QT 5
42-2/1932

IO. BAPT. MONTANI

VERONENSIS;

Omnium ſuæ olim ætatis, & Medicorum, & Philoſophorum; præcellentiſsimi;

In Primi Lib. Canonis Auicennæ Primam Fen, profundiſsima Commentaria.

Adiecto nuper Secundo, quod nunquàm anteà fuerat Typis excuſum; De Membris Capite.

Iano Matthæo Duraſtante, Medico, ac Philoſopho; Sanctoiuſtano; oculatiſsimo, ac diligentiſsimo; cenſore.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS

In ædibus Vincentij Valgrisij, et Balthaſſaris Conſtantini. 1557.

REVERENDISS. VNA ET AMPLISS. PRAESVLI, ET D. DOMINICO DVGAVRE; LODEVIENSI EPISCOPO;

Christianiss. atq; Inuictiss. Henrici. II. Gallię Regis, integerrimo ad Venetos Legato; Patrono optimo;

Ianus Matthæus Duraſtantes, Medicus, ac Philoſophus; Sanctoiuſtanus. S.

MNIBVS hominibus: Ampliſsime præſul: inſitũ quidem, vel à natura, vel ab intellectu, voluntate, arteue; eſt. (Nam hę Peripateticis ſublunarium omnium ex ſe ſunt effectuum cauſæ) vt quibuſdam, ſiue congenitis, ſiue acquiſitis; ſint, facultatibus, ac moribus; inſigniti. Eò autem homines ipſi in hoc inuicèm diſsident; quòd alij pro communi reliquorum hominum vſu, alij præter communem eorundem vſum; eos prę ſe ferant. Sic enim (quò ad illos) Annibalis

ſtratagemmata, Fabij cunctatio; Cæſaris in familiares; necnon Lycurgi, Solonis, Catonis, ac Ciceronis; in Patriam; Charitas propriæ fuêre. Sic itidem plurimorum, tàm recentiorum, quàm antiquiorum Auctorum (quorum penè infinitus eſt numerus) ſuorum operum, ſcripturæ, & editionis; cura. Contrà autem (quò ad hos) Scipionis apertus Mars; Varronis, cannenſis illius cladis auctoris, in hoſtes præcipitatio; Alexandri in domeſticos ad necem ſæuitia; recenſentur. Necnon Annibalis, & diuerſi generis ſuorum militum concordiæ ſciẽtia; &(quam ſibi obiecit Hãno) victoriæ vſus ignorantia; Prætereà & Catilinæ in Patriam crudelitas; connominantur. Præter hæc (vt in illos fiat reditus)cur olim pedeſtris oratio Demoſtheni, & Ciceroni; Cur contrà (quò ad hos) æqueſtris Homero,ac Vergilio; quàm è contrà; potiùs inditæ fuêre? Profectò, aut naturæ, temperaturæúe; aut intellectui, voluntati, atque arti; accepta hæc ſunt referenda. Vt in vergilianum illud vel facilè deueniendum ſit.

Trahit ſua quenq; voluptas.

Tantiq; ſemper eiuſmodi effectus apud antiquos Auctores habitus eſt; vt nihil inuita Minerua dicendum,nè dum faciendum;præceperit Flaccus. Nihil igitur mirum (vt in ſuum hæc iam finem redigantur) cuiquàm videatur;ſi quidem & Ioanni Baptiſtæ Montano, cuius operum cenſuram ſuſcepi, inſitum ab eiſdem fuerit, ſuorum ſcitorum proprio nihil calamo poſteris exaratum relinquere; licèt maximus profectò medicæ, & Theoriæ ſpeculator, & praxis exequutor; in patauino gymnaſiorum gymnaſio, publicus extiterit. Nam & Socrates ipſe, ſapientiſsimus ab Apolline iudicatus; eandem: Laertio teſte: naturam pre ſe,moremúe;tulit. Quamuis nanque moralia, circa quæ (vt Auerroes inquit) plurimùm negociatus eſt; hac, atq; illac; vndique iugiter panderet, ac docereret; nunquàm tamen, vt ea poſteris conſcripta relinqueret; animum applicuit. Vt, ni ſua dogmata diuinus, eius diſcipulus, Plato in vnum coegiſſet; ac collecta, veluti præcioſam quandam hæreditatem, eis condonaſſet; Planè, vel nullum, vel obſcurum; Socratis ipſius ad nos peruenisſet nomen. Sed cur antiquiores nunc recenſeo, cùm recentiorum Auctorum (& quidem probatiſsimorum) nonnulli ſint; qui plura ſapientiſsimè ſcripſerint; Præter tamen communem aliorum ritum (nam ferè omnes ſuarum lucubrationum editionem ſuperſtites curant)

ea viuentes vel typis cudenda tradere, vel in vulgus edere; inficias eant; qualem equidem Ioãnem Iacobum Leonardum, Montis Abbatis Comitem, ac excellentiſsimi Guid'Hubaldi rueri, Ducis Vrbini, ad Venetos Legatũ; ac patronũ meum; iam diu noui. Ipſe enim maximũ totius Italię ornamentũ, cùm vtiq; rei, bellicæ, et Politicę; plurima in opus iam diu coegerit, & doctiſsima, & à doctioribus expectatiſsima; dogmata; Ea ſanè (vt comi quadam benignitate, & admiranda magnanimitate; præditus eſt) amicis affatim, atque alijs; perlegenda omnibus ea tradere non dedignatur. Vt tamen ſe viuente chalcographis imprimenda exhibeantur, & omnino, & omnibus; abnegat. Sibi quidem ipſi ea ſe, elaboraſſe, ac conſcripſiſſe; non alijs; aſſerens. Quod ſanè maximum quidpiam eſſe videtur. Nam, cùm reliqui penè omnes mundana quadam gloriola allecti, ſua opera; veluti, proprij ingenij, ac ſcientiæ; monumenta; in vulgus propalare penitus properent; ſua Leonardus ideo reprimit; vt vulgaris huiuſcemodi ſe gloriæ, ac nominis; immunen reddat. Liceat autem nunc inter huiuſcemodi præſtantiſsimos Heroes & nobilem Virum Carolum paganellum matilicatem, Iureconſultum non aſpernandum, amicum

cum meum, quò ad præſens inſtitutum connumerare. Is etenim; cùm ex Illuſtribus, olim Montis Bodij Dominis, oriundus ſit (eius nanque paternus auus Robertus paganellus, optimus quippe, & inſignis; Dominus nouiſsimum quondam egit ipſorum Bodienſium in Piceno Dominium) eis vtique non modicum excandeſcit, & aduerſatur; eosq; odio nõ leui proſequitur; qui, vel clam, vel coram; ipſo aboletam iam ſuorum ditionem commemorant. licèt planè alij, ferè omnes; cùm præteritæ, tùm præſentis; nobilitatis commemoratione non modicùm oblectentur. Ad ſummam Ioannes Baptiſta Montanus noſter optimè profectò ſciuit, & docuit. Suam verò, ſcientiam, ac doctrinam; proprio, vel alieno; calamo ſcriptis mandare parui omnino pendit. Suorum auſcultãtium mentibus inſcripta ſua ſe ſcita relinquere dictitans. Vt planè eiuſdem; ſeu naturæ; ſeu ingenij, morisúe; tres in vnum coeant Philoſophi; Socrates, Mõtanus, Leonardus. Necnon totidem fuerint, talium genitrices Vrbes; Athenæ, Verona, Piſaurum. Quocirca Valentinum lublinum, polonum medicum (quem in montanis lectionibus exarandis veluti truncum, ac ſemibarbarum; nonnulli blaſphemant) quippe, vel magna laude

laude dignum, uel probro indignum; equidem autumo. Laude (inquàm) dignus ideo: me iudice: exiſtit; quòd, dum Montanum ipſum Pręceptorem auſcultaret; Noui cui uſdã Platonis more proprio calamo penè vniuerſa eius placita nõ modicis in vnum laboribus congeſſerit; ac deniq́ue congeſta ſpectatis viris, chalcographiq́ue operis diligentiſsimis patronis, Vincentio Valgriſio, & Balthaſſari Cõſtantino; cudẽda tradere haud renuerit. Aliàs nanq́ue adeò ſanè Montana ipſa opera deſiderarentur; vt, ni iterum Hippolyti inſtar in vitam Mõtanus ipſe rediret; impoſsibile profectò foret absq́ue Lublinia induſtria, ea perlegere. Probro verò eò indignus idem eſt; quòd, licèt pleraq́ue ab ipſo barbara, truncaq́ue, exarata reperiantur; Hęc vtiq́ue; partim, & viua voce docentis ipſius Auctoris, & tacita penna ſcribentis diſcipuli; neceſsitati; partim corrigentium (nè dicam corrumpentium) medicorum inſcitiæ; partim deniq́ue typographorum incuriæ (nè proferam iniuriæ) acceptum ſit referendum. Etenim; tum docentes ipſi, vt mentis intenta exactiùs diſcentibus exprimant, multa inter docendum proferre coguntur, quæ ſcriptis eos tradere nefas eſſet. Nec non in cathedris uiua voce docentis linguę promptitudi-

ni æquari

ni æquari minimè poteſt ſcribentis manus velocitas; Tum non pauci in operum cenſuras ſe ingerere audent; qui profectò ea potiùs corrũpunt, quàm corrigant; Tum deniq́; ea nõnulli imprimunt; qui quidẽ impoſtores, quàm impreſſores; potiùs ſunt nominandi. Quanta verò, ac qualia; in præſenti fuerim ſegete infœlicibus lolijs expurgãda exequutus; Tu ipſe vel facilè dignoſcere poteris; quem præ manibus corrigendum habui, libri margines, mendis refertos; inſpiciens. Præter enim, puncta, hypodiaſtoles, accentus, parentheſes, diphthongos, & aſpirationes; quæ ſanè plurima, ac ferè omnia; ſuperaddidi; Præter etiam & barbaras dictiones, quas in meliorem latinæ rei farraginem trãſplantaui; & ſuperfluas, quas plurimas obliteraui; etiam (quod longè ſatius extitit) ſexaginta dictiones, ſupra octingentas, & duo earum millia; ſuper addidi, vel reformaui; quæ (inquam) vel ſententiarum perfectioni deficientes erant, vel earundem perſonata ſui pręſentia toto penitus cœlo vim diſtrahebãt. Vt planè (abſit autem iactantia) per me, ſeu meæ cenſuræ ſpiritum; iam reuixiſſe montana hæc commentaria videantur. Non minori igitur gaudio eiuſmodi in Ioãnis Baptiſtæ Mõtani Veronẽ. opuſcula me afficit præſens

cenſurula;

censurula; quàm longè quippe (quantitate tamen, non qualitate) maiora, & Hugonis Benscij Senensis, & Ioannis Matthæi gradij mediolanensis; medicorum admirandorum opera censura me iam affecerit. Non enim magnum quid fuit in barbarorum auctorum (quales hi fuêre) operibus, & barbariem inuenisse, & inuentam ex eisdem extirpasse; Sed in, latini, græciqúe; Auctoris exquisitissimi, qualis ille extitit; opusculis eandem, & deprehendisse, & euulsisse; id planè maximum censeo. Consideranti verò mihi, cuinam labores hos meos (vt moris est) dedicarem; Tu Reuerendissime Domine præ cæteris, cui eos dicarem, ac dederem; occurristi. Vt primi medicorũ arabum Principis libri prima sen; Primario Christicolarum Regum Principis, Legato veluti primitiæ quæpiam offerrẽtur. Tanta enim est (quemadmodùm omnes vno ore confitentur) diuini nominis tui amplitudo, & animi præcellentia; vt; & Galenicis operibus, nèdum Durastãteis sis censuris dignus; & à subsannantium, ac liuidorum detrahentium; dentibus, sub sanctissimi ipsius nominis tui auxilio recubans, tutiorem censura hęc mea vitam deget; sub cuius consilio Regiam apud Venetos legationem gerentis, Christianissimus, atque inuictissimus; Henricus

ricus

ricus secũdus Gallorum Rex, vltra reliquos omnes totius Gallię Antistites securus recubare haud veretur. Quod, si quidem flosculos hosce meos, ex aliena arbore decerptos, cordi tibi extitisse dignouero; Non deerunt postea & fructus, è proprij ingenioli mei Mineruulæ arbustulo decerpendi; qui tibi itidem sint veluti terreno cuidam numini, vti secundæ quædam primitiæ, offerendi. Bene valeto; Nestoreosque dies mei memor, viuito. Venetijs, prid. nonas Martias; Anno à Virginis partu. M D LVII.

INDEX EORVM OMnium, Quæ in hoc opere notatu digna continentur.

A

Equalitas ponderis an detur. pagina 139
Auicennã fuisse principem. 2
Auicennam fuisse religiosum. 13
Ars num sit, vel scientia, medicina. 16
Ars dupliciter consideratur. 18
Artem complentia, quæ sint. 25
A qua quomodo sit primum frigidorum. 56.62
Aer cur non fiat aqua. 85
Affectus & passiones oculorum qui. 450
Artium subiectum est duplex. 3
Ars medica num etiam dicitur scientia. 16
Anima aliter medicis consideratur, aliter philosophis. 606
Atrophia morbus qui sit. 623
Anasarca quid. ibidem

Atra

Atra bilis, quomodo fiat. 648
An Elementa, humores & spiritus sint subiecta ægritudinis. 33
Alteratio quid. 36
An complexio sit forma. 38
An sit medium inter duas dispositiones. 40
Alphachi quid sit. 46
An de principijs quærendũ tantum quid sit. 47
An humiditas sit annexa materiæ primæ. 58
Accidens duplex. 58
An aqua sit frigida in summo. 60
An intelligentiæ à proposito intendant generationem variarum specierum. 66
An Elementa habeant figuram. 79
An terra sit sphæricæ figuræ. 81
An aqua circundet terram. 82
A qua quomodo diuisibilis. 90
Aerem esse vbiq;. 92
Aerem esse in cœlo secundum Stoicos. 93
An in igne sit humiditas quæ continuet. 103
An fluxus continui sit ante fluxum humidi. 105
An anima distinguatur à temperatura secundum Auicen. 112

An detur

An detur æqualitas ponderis. 118
A equalitas. ibidem.
An regio sub æquinoctiali sit habitabilis. 151
An Cous & Gnidius sint in medio orbis. 156
An caro sit temperata. 162
An natura agat propter finem. 211
An sanguis sit calidior spiritu. 216.220
An sanguis sit calidior omnibus partibus corporis humani. 217
An sanguis, & spiritus sint calidiores corde. 217
An pilus sit frigidior osse. 224
An humiditas sit causa flexibilitatis. 241
An dentes sint ossa, & sentiant. 244
An vngues sint membra organica. 245
Aetas quid sit. 146
Anima num distinguatur à temperatura. 112
Animalia quæ diu uiuunt. 252
An maior sit calor in puero, quàm in adulto. 272
Albenadan quid sit. 280
An ignis possit corrumpi sub concauo Lunæ. 283.
An fœmina sit frigidior mare. 288

An solus

An solus sanguis sufficiat ad generationem, & nutritionem. 306.503
A calore temperato fieri multum sanguinis contra modernos. 341
An detur actu sanguis purus. 345
An sanguis contra distinctus ab alijs humoribus possit putrescere. 549
An detur febris sanguinis. 359
An humor vitreus sit frigidior pituita acida. 380.
An detur pontica pituita. 381
An possit pituita congelari in corpore humano. 382
An ex amaro & insipido fiat sapor salsus. 391
An sanguis sit calidior bile. 398
An color indicet temperaturam. 452
An possit fieri transitus de extremo ad extremum sine medio. 453
An Aciditas possit esse in substantia aquea, et terrea. 469
An sint quatuor species atræ bilis. 480
An possit fieri atra bilis ex pituita. ibidem
An melancholia à sanguine sit dulcis. 502
An si sit plurimus sanguis in corpore tunc corpus degat

pus degat optime constitutum. 503
An existentibus humoribus proportionatis tunc existat sanitas. 504
An sint tantum quatuor humores, vel quinque. 513
An detur spiritus naturalis. 529
An spiritus sit subiectum sanitatis. 530
An membra generentur primo ex humoribus, vel humiditatibus. 533
An mẽbrana sit corpus simplex sine fibris. 535
An sint quædam membra, quæ tribuant et non participent. 537.540
An sit unum principium solum in corpore. 539
An quædam membra nutriantur ex se. 541
An membra generentur ex semine, vel sanguine. 546
An fœmina emittat semen. 548
An fœmina concurrat actiuè, vel passiuè. 550
Aqua num sit frigida in summo. 60
Aqua num circundet terram. 82

B

Bilis atræ differentiæ. 477
Bilis atræ an sint species quatuor. 480
Bilis atra an fieri possit ex pituita. 480

Bilis atra cur ferueat & erodat. 470.474

C

Canon quid sit. 3
Caro an sit temperata. 162
Causæ efficientes æqualitatis quot sint. 11
Cur à definitione inceperit Auicen. 15
Compositio quid. 35
Complexio quid. 36.114
Conditiones elementi. 50
Cur opium interficiat. 61
Causæ mistionum quæ sint. 64.70
Causa rerum omnium. 66
Causa particularium mistorum. 72
Cur terra supereminеat aquæ. 83
Cur fungi suffocent homines. 99
Color cinericius duplici modo fit. 152
Corpus humanum quomodo consideratur à medico. 5
Causæ generationis elementorum. 53
Causa distinguens formas quæ sit. ibidem
Clima temperatum quod. 146
Causæ generationis fœminæ. 290
Color quomodo sit actu. 435
Colorata quæ sint. 442

Concoctionis quot species, tot sunt species excrementorum. 521
Cholera zinaria quando fiat. 456
Coitus delectatio vnde oriatur. 548
Cor habet principatum in membris. 573
Cibus dupliciter capitur. 169
Cur membra attrahant succum uenenatũ. 183
Calidum duplex. 218
Calor an maior sit in puero quàm in adulto. 272
Calor duplex. 220
Causæ periodorum ætatum. 250
Calor quid. 278
Caliditas quot modis sumatur. 278
Causæ extinctionis caloris innati. 281
Cur ruta in mulieribus augeat semen, in uiris autem minuat. 297
Cur dixerit Gal. Erisypelas modo fieri à bile, modo à sanguine. 359
Causa per accidens duplex. 394
Cera cur fiat alba in sole. 455
Color an indicet temperaturam. 452
Color quid. 420. 425. 441.
Colorum differentia. 437. 445.
Coloris forma. 435

Color

Color albus cur disgreget visum. 450
Complexio an sit forma. 38. 58.
Cur dentes æthiopum sint albi, vngues non item. 454
Cur fiant homines nigri sub sole. 455
Cur bilis atra ferueat & erodat. 470. 474
Cancer incurabilis qui sit. 502
Calorem & spiritum non agere, sed esse instrumenta. 506
Cor in se esse frigidissimum. 507
Corruptionem non esse finem naturæ. 533

D

Dentes an sint ossa & sentiant. 244
Definitionem Auic. esse optimam. 16
Dentes æthiopum cur sunt albi, & vngues non item. 454
Delectatio in coitu unde oriatur. 548. 590
De spiritibus in vniuersali. 556
Diuisio virtutum naturalium. 618
Differentia inter mistionem, & temperaturam. 133
Durities à quibus causis proueniat. 224
Definitionem accidentis non esse medium in demonstratione. 466

Inter dispositiones duas an sit medium. 40

E

Elementum quid. 49
Elementa an sint subiecta ægritudinis. 53
Erysipelas cur Galeno fiat modo à bile, modo à sanguine. 359
Euaporatio quid. 93
Euaporationem esse in omnibus mistis. 94
Elementa esse triplicia. 301
Elementum est minima pars, quomodo intelligatur apud Galenum. 52
Elementa quomodo sunt in mistis. 199
Elementorum generationis causæ. 53
Elementa an habeant figuram. 79
Excrementorum tot species quot concoctiones. 521.
Expulsiua uirtus. 639
Excrementum. 521
De extremo ad extremum an fieri possit transitus sine medio. 453

F

Fen quid sit. 2
Finis pro subiecto. 9
Forma corporeitatis. 58

Figurarum gradus qui sint. 77
Figuram non esse necessariam similaribus. 80
Fœmina an mittat semen. 549
Fœmina an concurrat actiuè, uel passiuè. 550
Febris sanguinis an detur. 365
Frigidum duplex. 88
Formatiua uirtus quæ. 210
Fœminæ generationis causæ. 290
Febris quæ fiat à causa sanguinis putrescentis. 350.
Facultatum principia quot sunt. 608
Fibræ quomodo intelligantur. 556
Flatus in aquis contineri. 93
Fluxus continui an sit ante humidi fluxũ. 105
Febrem pestilentem non fieri à qualitate occulta. 359
Fibræ quid sint. 535
Fœmina an sit frigidior mare. 288
Fungi cur suffocent. 99

G

Generatio membrorum. 587
Generatiuæ virtutis diuisio. 623
Gentilis mendacium. 330
Gonorrheæ causa. 548

H

Habitudines quot ſint. 8
Humiditas an ſit in igne continuans. 103
Humiditatem eſſe in cœlo. 106
Humiditas duplex. ibidem.
Humoribus exiſtentibus proportionatis, an tunc ſit ſanitas. 504
Humor quid ſit. 304
Humores an ſint quatuor tantum, vel quinque. 513
Humidum multipliciter capitur. 304
Humiditates quot ſint. 329
Humiditas an ſit annexa materiæ primæ. 58
Humiditates quomodo generentur in corpore nutriendo. 332
Humidũ quatuor modis à ſicco ſeparatur. 486
Humores an ſint ſubiecta medicinæ. 33
Homo cur ſit figuræ erectæ. 97
Homines cur multum vel parum viuant. 250
Humores æquabiliter putreſcere in ſynocha, quomodo intelligendum. 352

I

Indiuiſibilitas duplex. 50
Influxus plantarum. 71

Ignis an poſsit corrumpi ſub concauo Lunæ. 132
Ignis quid. 105
In igne num continuet humiditas. 103
Intelligentiæ, quomodo ſint cauſæ miſsionũ. 67
Ignis diluuia, quomodo fiant. 92
Iuſtitia duplex. 141
In qualibet motione ſemper quatuor eſſe. 153
Ichor quid ſit. 147
Iudicium & prudentiam non eſſe in motu, ſed in quiete, vt ait Ariſt. 463
In vnoquoque mẽbro eſſe quatuor virtutes. 536

M

Medicina æqualis, vel inæqualis, quomodo dicatur. 164
Medicinæ frigidæ, quomodo deducuntur ad actum. 183
Mortis cauſa quæ. 28
Membrum conciſum cur non nutriatur. 536
Medicina an ars ſit, an ſcientia. 16
Melancholia ſi non haberet ſerum non aceſceret. 514
Membrana quid. 565
Membrum principale multipliciter intelligitur. 579.

Membra principalia quæ sint. 573
Membrorum operationes. 584
Membra deseruientia quæ sint. 582
Membrorum generatio. 587
Maturatio quid sit. 633
Maturatio quomodo fiat. 638
Melancholia duplex. 642
Medicina tripliciter dicitur. 173
Medicina an ars an scientia. 16
Medicinæ diuisio in theoricam, vel practicā. 20
Membra an generentur ex humoribus, an ex humiditatibus, primo. 533
Mēbrana an sit corpus simplex sine fibris. 535
Membra quædam an sint quæ tribuant, et non participent. 537
Modum esse duplicem. 7
Mutachelin quid. 45
Mista esse nobiliora simplicibus. 64
Mora solis quid faciat. 149
Melancholia à sanguine an sit dulcis. 235
Membra cur attrahāt succum venenatum. 189
Membro in omni sunt virtutes. 4.536
Membra quædam, an nutriantur ex se. 545
Membra an generentur ex semine, vel sanguine. 546
Membra calida esse propter sanguinem. 221
Materia prima dupliciter capitur. 283
Modi substantiæ qui sint secundum Arist. 373
Motione in qualibet semper esse quatuor. 72
Materia colorum. 416
Mumia quid sit. 489
Mos sepeliendi in Arabia. 490

N

Natura an agat propter finem. 211
Naturam non generare corpus immediate. 533
Natura dupliciter capitur. 75
Nutrimentum tripliciter dici. 323.505
Necessitas finis duplex. 400
Necessitas duplex. 464
Neutralitas an intelligatur in definitione medicinæ. 24
Nigri cur fiunt homines sub sole. 455
Noli me tangere qui morbus sit. 501
Necessitatem materiæ iungi cum necessitate finis in generabilibus. 516

O

Ordo quid sit. 8
Oleum de Saxo. 493

Omnis ſuccus ſi debet nutrire debet eſſe humidus. 510
Omnia fieri ex certa proportione, & determinata materia. 533
Ordo quo vtitur Auicenna. 12
Operationes virtutis naturalis. 567
Operationes membrorum. 584
Operationes animales, quomodo diſtinguantur. 610.
Oculorum paſsiones, quæ. 450

P

Principium an ſit unum ſolum in corpore. 539
Principia quot ſint. 46
De principijs, an quærendum tantum quid ſint. 46
Per quæ conſtituta ſint elementa in eſſe. 64
Paralleli in ſphæra. 155
Phlegma ponticum an detur. 178
Phlegma apud Antiquos quid ſit. 364
Pilus an ſit frigidior oſſe. 224
Pituita an congeletur in corpore humano. 382
Pituitæ diuiſio. 394
Perſpicuitas quid. 440
Principale dupliciter. 542

Pytho ſerpens, & quid per Pythonem intelligendum eſt. 59
Ponere partes naturales cibati, quid intelligendum. 181
Perſpicuitatis cauſa. 431
Putreſcit ſanguis dupliciter. 359
Pituitæ ſapores. 374

Q

Quomodo corpus humanum conſideretur à medico. 5
Quo ordine vtatur Auic. 13
Quæ ſint quæ compleant artem. 25
Quomodo tranſgrediatur proprium genus. 47
Quomodo intelligendum ſit dictum Gal. in primo de Ele. Elementum eſt minima pars. 52
Quæ ſint cauſæ generationis Elementorum. 53
Quæ ſit cauſa diſtinguens formas. 53
Quid intelligendum ſit per Pythonem. 59
Quomodo aqua ſit primum frigidorum. 56.62
Quomodo intelligentiæ ſint cauſæ miſtionum. 67
Quare aer non fiat aqua. 85
Quomodo fiant terremotus. 92
Quomodo fiant diluuia ignis. 92
Quare homo ſit figuræ erectæ. 97

Quæ sit causa materialis spirituum. 112
Qualitas quid. 116.124
Quæ regio, & quod clima sit temperatum. 146
Quomodo medicina dicatur æqualis, vel inæqualis. 164
Quid intelligat Auerr. per ponere partes naturales cibati. 181
Quomodo medicinæ frigidæ deducantur ad actum. 183
Quot sint temperaturæ. 186
Quomodo Elementa sint in mistis. 199
Quæ sit virtus formatiua. 205
Quomodo spiritus sit calidissimus omnium. 119
Quare homines multum, uel parum uiuant. 250
Quæ sit causa mortis. 280
Quot sint causæ generationis fœminæ. 290
Quomodo dicatur sanguis calidus, & humidus. 348
Quæ species febris fiat à sãguine putrescẽte. 350
Quomodo sit intelligendum humores æquabiliter putrescere in synocha. 352
Quæ sit causa perspicuitatis. 431
Quomodo color sit actu. 435
Quæ sint colorata. 442

Qui

Qui sint affectus & passiones colorum. 450
Quare ventriculus cum sit frigidus concoquat cibum. 506
Quot sunt species concoctionis, tot sunt species excrementorum. 521
Quare membrum concisum non nutriatur. 536

R

Regio temperata quæ. 146
Regio sub æquinoctiali num sit habitabilis. 151
Ruta cur in viris minuat semen & in fœminis augeat. 297

S

Scopus dupliciter sumitur. 3
Subiectum artium duplex esse. 5
Siccitas in terra & igne est æquiuoca. 88
Spiritus duplex. 112
Spiritus an sint subiecta medicinæ. 34
Sanguis sincerus dupliciter. 338.342
Synochæ febris characterismus. 352
Sanguinem dupliciter posse putrescere. 359
Sanguis an sit calidior spiritu. 101.103
Sanguis an sit calidior omnibus partibus corporis humani. 217
Sãguis & spiritus an sint calidiores corde. 218

Sanguinem

Sanguinem multũ fieri à calore temperato. 341
Sanguis an calidior bile. 398
Sanguine plurimo existente in corpore an corpus sit optime constitutum. 503
Sapores pituitæ. 373
Salsedinis causæ. 374
Sapor quid. 389
Sol & Luna quid sint. 432
Substantiæ modi qui sint apud Arist. 373
Serositas quid. 513
Si serũ non esset in melãcholia nõ acesceret. 314
Spiritus naturalis an detur. 529
Spiritus an sit subiectum sanitatis. 531
Spiritus quid. 528
Spirituum causa naturalis quæ. 113
Spiritus quomodo sit calidissimus. 219
Sanguis calidus, vel humidus, quõ dicatur. 348
Sanguis putrescens quam febrem faciat. 350
Scientia medicinæ, utrum dici possit, vel ars medicinæ. 16
Serum si non esset in melãcholia nõ acescet. 514
Spiritus in humano corpore triplex. 556
Semen viri & mulieris, vtrum cõcurrant iactiuè & passiuè. 598

Semen

Semen vbi generatur. 624

T

Tabulæ pictæ quid sint. 14
Temperatura an indicetur a calore. 453
Terram esse subiectum influxionum. 78
Temperatura quid. 117
Terra cur superemineat aquæ. 82
Terra an sit sphericæ figuræ. 81
Terram esse fecem mundi. 429
Terræ motus, quomodo fiant. 92
Temperaturæ quæ. 187
Tria esse membra principalia, secundum Aristotelem. 575
Tartarum quid sit. 491
Testes esse membra principalia. 544

V

Vnde excitentur venti in mari. 93
Vbi dominatur aer est substantia tenuis. 101
Venenum. 178
Vngues an sit membra organica. 244
Vitreus humor an sit frigidior pituita acida. 177
Virtus formatiua quæ. 210
Viuere parum, vel multum qui possint. 251
Ventriculus cum sit frigidus, quare concoquit cibum.

cibum. 506
Venti in mari vnde excitantur. 93
Vtrum spiritus sit subiectum sanitatis. 559
Virtus naturalis quæ sit. 567
Vtrum mulier emittat semen. 595
Vtrum semen mulieris misceatur cum semine viri. 595
Vtrum semen viri & mulieris concurrant actiuè & passiuè. 598
Vita secundum Arist. quid sit. 612
Virtutum naturalium diuisio. 618
Virtutis generatiuæ diuisio. 623
Virtus formatiua. 626
Virtutes naturales ministrantes quot sint. 629
Villi qui dicantur in corpore humano. 630
Virtus expulsiua. 639
Vnde oriatur delectatio in coitu. 548.590

Z

Zinaria cholera quando fiat. 456

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI;

Medici, ac Philosophi; Veronensis; suæ ætatis omnium præcellentiss. in primi Lib. Canonis Auicennæ primam Fen Commentaria.

Iano Matthæo Durastante, Medico, ac Philosopho; Sanctoiustano; occulatissimo, ac diligentissimo censore.

PRAEFATIO.

LECTIO PRIMA.

VT PARATIORES *sitis ad ea, quæ sumus dicturi; duo proponam capita. Alterum; quod pertinet ad doctorem. Alterum quod ad auctorem. Quò ad primum igitur (quod ad me attinet) cùm alij inutilibus semper soleãt implicari quæstionibus ita, ut scholares auertant; propterea afferam rationem, qua sum processurus. Quæstiones igitur omnes uanas prætermittam. Vanas dico; quoniam quæstiones, quæ pertinent ad rem; non sunt prætermittendæ. Dicit enim Arist. tertio metaphy. com. primo, & secundo; dubitationes sunt tanquàm*

 ligamenta,

ligamenta, quæ impediunt mentem. Necessarium igitur est, soluere, & explicare, istas quæstiones. Vanas igitur omittam; alias autem omnes, quæ ad rem pertinent; tractabo. Tractabo autem; sicut docuerunt, & Aristot. & sui boni expositores, & Auer. & Galen. soluendo .s. difficultates per naturam rerum, & non per ambagum implicationem. et hæc, quantùm attinet ad primum caput. Ad secundum cap. de authore; primò sciendum est de nomine authoris. &, licèt hoc non faciat ad artem; tamen, quia turpe est peccare in nomine; de hoc etiam est aliquid dicendum. Fuit Auicenna reuera, Princeps, & à secretis Persiæ regis Primarius. Quare (Raijs) duplici (ij) significat dignitatem, & principatum. Neque dicatis, quòd Auicenna ideo dicatur Princeps, quia fuerit primus omnium medicorum; Sed potius dicatis, quòd Hippo. Imperator, Galenus Rex, Auicen. princeps; in medicina fuerit. Hoc, quantùm attinet ad illud nomen (Raijs). Secundum est Aboali, idest pater Ali. Alaiser, est nomen proprium Auicennæ. ebenali, siue aboali, idest filius ali. Eben sena; idest, qui fuit filius Sena. Istud autem nomen (Ebensena) corrupto nomine dictum est Auicenna. sed satis de nomine authoris. Secundò est uidenda inscriptio, quæ pertinet ad rem ipsam. Quia inscriptio est tanquàm argumentum totius libri, & indicat mercimonia libri. Prima Fen, primi libri Auicennæ. Fen apud Arabes significat partem alicuius rei; sicut brachium dicitur humani corporis pars; sed in se ipsa

De nomine auctoris.

De lib. inscriptione.

fen qd.

tamen est integra ac perfecta. & feliciùs apud Græcos dicitur μόριον. Vnde Aristot. diuisit lib. Problematum in μόρια, idest in fen; ut dicunt Arabes. Isti uerterunt sectiones; sed non ita feliciter. à Latinis membrum dici potest. Primi Canonis. Canon est nomen Græcum, & significat ligulam illam, quæ est in lance. habet enim lanx lignum illud longum, in quo est cauum, & uacuum; per quod transit ligula; quæ, cùm æqualiter in uacuo illo est; facit æquilibrium. et dicitur canon ἀπὸ τοῦ χαίνειν, postea dicti sunt canones, quæcunq; dirigunt aliquid, & dimetiũtur corpora, ut apud fabros lignarios. Sic apud eos, qui dimetiuntur incorporea; ut apud philosophos, & medicos; Theoremata dicuntur canones, ut istud Contraria curantur contrarijs; dicitur canon, quia est regula, qua dimetimur operationes omnes in arte medica. Meritò igitur Auicenna appellauit librũ canonum; quia sunt in hoc libro Theoremata uniuersalia; ad quæ dirigendo operationes nostras, possumus rectè operari in medicina. & ita facit docilem; attentumq; auditorem; quia pollicetur se traditurum regulam, et principia uniuersalia, medicinæ; quæ regant, & moderentur, operationes omnes in medicina. & hæc satis de nomine anthoris, & de libri inscriptione.

Canon qd.

Tertium est ipse scopus, & intentio authoris. Notetis; quòd scopus habet duplicem sensum. accipitur enim pro consilio scribentis; qui proposita quadam utilitate, constituit, & intendit scribere. alio modo

Scopus duplex.

dicitur ſcopus finis, & ſubiectum. primo modo intel ligimus, quando quærimus ſcopum Auicennæ inſcribendo. Cùm igitur uideret Auicenna, neq; apud Græcos, neq; apud Arabes, haberi ullum librum, qui integram, & continuatam, doceret artem medicinæ. (nam Hippocr. per enigmata, et obſcura, artem tradidit; immo ſemina potiùs artis, quàm artem, ut inquit Galenus) iecit. Secutus poſtmodum eos eſt Oribaſius, ut omittamus Galenum, qui conſcripſit uolumen ingens de arte, ſed multis uerbis; et, ubi oportet docere; nihil docet. Poſt hunc Paul. Aeg. & Aetius, & Alexander Trallianus; artis compendium ſcripſerunt, artem non docuerunt. Ex Arabibus; Raſis, magnum uolumen ſcripſit, quod Continens dicitur; ſed Confuſionem illud malim appellare. Cùm itaque Auicenna philoſophus grauiſſimus, & methodi doctiſſimus, aduerteret hanc ſcribendi temeritatem, & nullum perfectè artem tradidiſſe, & in omnibus aliquid deſiderari; Galenum uerò artem quidem eſſe aſſecutum, ſed ad ſatietatem uſq; remorari lectorem; & medicum properantem ad artem in recitandis, ac refellendis ueterum ſententijs; quò fit, ut continuata tradendæ artis ratio interpellatur; Duxit operæpre cium fore, ſi hunc librum ſcriberet. In eo ſanè collegit omnia Theoremata, quæ docet artem. poſtea pro greditur ad modum curandi, & ad medicinarum inuentionem. In his duabus primis ſen. docet principia omnia artis. Is eſt igitur ſcopus, & conſilium, Auicennæ. Ideo hinc apparet quartum, quod erat conſi-

derandum;

derandum; uidelicet, utilitas, quæ percipienda eſt ex lectione huius libri. Nam, ſi principia docet, et quæ ſequuntur principia; quid poteſt eſſe utilius hoc libro? & hæc utilitas non eſt imaginoſa, ſed uera. Videtis enim, tot præclaros medicos fuiſſe uerſatos dum taxàt in doctrina Auicēnæ ſine Galeni lectione. Neq; equidem poſſum comparare Auic. cum aliquo Græco alio, quàm cū Galeno. fuit. n. uerus Galeni uicarius. & iam habetis quatuor, quæ ad authorem pertinent. eſt uidendum; Quintum; quod quidē ſubiectum huius libri eſt. Quia enim aliàs ſatis abundè fuit de eo dictum; Ideo nunc paucis de hoc quoq; dicendum eſt. Debetis ergo ſcire; quòd ſubiectum artium duplex eſt, alterum eſt artificis operantis, alterum ſpeculantis. Subiectum artificis operantis eſt ſine aliqua ratione formali conſideratum; ut medicus, dum operatur; habet corpus humanum ſimpliciter pro ſubiecto circa quod operatur. Ita faber lignarius conſiderat ſubiectum lignum, in quo uerſatur, & operatur materialiter; quatenus eſt aptum, ut fiat arca, uel ſcamnum. Sed artifex ſpeculans conſiderat ſub ratione formali; aliter nihil unquàm diſceret. propterea, quando corpus humanum conſideratur à medico ſpeculante; conſideratur, ut limitatum, & deſcriptum ſua ratione formali, quæ facit, ut iſtud ſubiectum ſit ſolius medicinæ. Iſta igitur ratio formalis eſt ſanabile, & ægrotabile. &, ubi habetis talem rationē formalem; omnes paßiones poſſunt demonſtrari per principia medicinalia, non alia. & hæc eſt ratio, quæ contra-

Medicina subiectum.

hit consideratione de corpore humano ad solũ medicum. Quare manifestum est, quòd subiectum medicinæ, & huius libri; est corpus humanum sanabile et ægrotabile. & hæc satis de subiecto in præsenti. Reliqua omitto; quia abundè dixi aliàs, & quo modo omnes scientiæ quantò sunt superiores, tãtò simplicius habent subiectum formale, ut in metaphysica subiectum est ens, ut ens est. In philosophia autem naturali est ens; ut mobile; quod est magis compositum, & contractum. Circa igitur istud subiectum. quod est corpus humanum sanabile, & ægrotabile; uersatur medicina. His uisis; reliquum est, ut uideamus ultimum, in ordine prænoscendum; quod est, ut sciamus modum, & uiam, & ordinem; quibus procedit author. & hoc est maxime necessarium; quia ordo, cùm sit habitudo prioris ad posterius; si quis non nouerit hunc ordinem, non poterit scire habitudinem causæ ad effectum. & ,si id ignorat; etiam ignorabit causas. At sine causarum cognitione nihil sciri potest. Præterea; qui nescit ordinem, & uiam (quia nescit, quò sit eundum, & per quæ procedendum) nunquàm addiscet aliquid, quia facillimè diuertetur à leuissima ratione. At, qui habet scientiam ordinis; nunquàm poterit diuerti. Præterea, qui non habet ordinem; non potest memoria tenere, quæ didicit; est enim ordo causa memoriæ. Vnde dicebat Galenus; quòd ordo definitiuus pertinet maximè ad memoriã. Sunt igitur ista tria uidenda; quæ sit uia, & qui modus, & qui ordo. & uia, & modus; sunt tanquã passiones

Ordo causa memoriæ.

Quo facto distinguit uiam ordo, et modus.

De uia quã seruauit Auic.

stiones ordinis. ordo autem; tanquàm subiectũ. Quantùm ad uiam: seruauit optimam uiam. Via autem in docendo nihil aliud est, quàm ratio progrediendi de noto ad ignotum. Quia nullus addiscit, nisi per discursum; discursus autem fit progrediendo de noto ad ignotum. Vnde dicit Aristot. quòd innata est nobiscum uia. & bene dicit (innata) quia iste progressus fit per discursum, qui nobiscum natus est. Sed, quòd magis notum est; docet ibi Arist. quòd sunt uniuersalia. & confusa magis sunt notiora. In omnibus igitur ordinibus, siue definitiuus, siue resolutiuus, siue compositiuus fit; quicunq; fit; semper in his hæc uia est tenenda, quia est nobiscum nata. hanc uiam quantùm seruauerit Auic. uos uidebitis progredientes in eius lectionem. Hæc satis sint de uia, quam seruarũt omnes docti uiri. Secundò sciendum, quis modus sit seruatus ab Auicenna. est autem duplex modus; alter ex parte rerum, alter ex parte auditoris. Ex parte rerum; est, ut capitulum non ponatur in capitulo, & non transeatur de una re ad aliam, nec euagemur extra limites proprios. Id, quod optimè seruat Auic. ita ut etiam Galenum de hoc reprehendat. Immo fortè id fuit in causa, cur sit impulsus Auic. ad scribendum, quia uidebat Galenum euagari. Alter modus ex parte auditoris, secundo metaphysicæ, circa finem, dicit Arist. habendam esse rationem eorum, qui discũt. Alij enim exemplis libentius discunt, quia ita sunt assueti. alij rationibus sunt assueti; ideo cupiunt rationes, & demostrationes. alij sunt contenti solis authoritatibus

De modo.

Modus 2.

Quis modus sit habendus respectu Auditoris.

ritatibus. Immo delicati isti, qui uersantur in poeticis; nisi citetis aliquem poetam, non acquiescunt. sed uos estis philosophi, & logici; ideo docebo per ueras rationes, & demonstrationes. & hunc modum docendi seruat Auicen. ut uidebimus in processu. Quantùm ad ordinem, quem seruat Auic. ut hoc melius intelligatis; quædam sunt dicenda quàm breuißimè de ordine. Cætera habetis ex mea methodo, quam me inuito quidam scholaris ædidit; licèt non ex animi mei sententia; quia sunt multa, quæ mihi non probantur. ordo ergo non est aliud, quàm ratio formalis habitudinis unius ad alterum.

De ordine.

Ordo quid.

Quod dicimus (ratio) genus est in ista definitione. Quod addimus (habitudinis essentialis) est differentia, & ratio formalis, in hac definitione. & (essentialis) additum est, quia talis in ordine scientiarum requiritur. habitudo enim membrorum in corpore à capite ad pedes non dicitur ordo; quia non est habitudo essentialis. & habitudo illa debet esse essentialis; si ordo debet esse essentialis. &, quot erunt habitudines essentiales; tot erunt ordines. Cùm autem sint tantùm tres habitudines essentiales; tres tantùm erunt ordines. Vel enim est per habitudinem principiati ad principia, idest, posterioris ad suum prius. Vel principiorum ad principiata; idest, prioris ad suum posterius. Vel definitionis ad definitum, idest totius ad partes, & partium ad totum. Primus igitur per habitudinem principiati ad principiata; dicitur resolutiuus, & ingeniosißimus est, & aptißimus ad inueniendum, & ad excitandum

Ordo triplex.

excitandum ingenia potiùs quàm ad docendum rudes artis. Incipit autem iste ordo à conceptione finis. Sed non concipit distinctè, sed sub ratione cuiusdam boni. Vt igitur assequatur finem istum, incipit resoluere. conceptus igitur iste præcedit necessariò; sed nondum est distinctus. & iste finis à modernis dicitur subiectum. & quando dicunt moderni, quòd de subiecto præsupponitur quid, & quia; non requiritur, ut sciatur quid distinctè, sed notio quædam sufficit. pone igitur, quòd nos uelimus artem medicam docere per ordinem resolutiuum; quid erit faciendum? concipimus primò sanitatem, quod sit bonum quoddam. Quæ, quia accidens est; etiam potest separari à subiecto. ideo concipitur cum corpore humano. Cõcipitur enim sanitas in corpore humano, non distinctè; sed ut bonum quoddam. habito isto conceptu, quid facimus? ita discurrimus. Sanitas hæc, uel abest, uel adest. pone ipsam adesse; igitur conseruanda est. si absit; igitur restituenda. sed quomodo conseruabimus? conseruando æqualitatem in humano corpore. Sed quomodo conseruabimus æqualitatem istam? cognoscendo causas sanitatis efficientes, conseruantesq́; & causas subiecti sanitatis, quod est corpus humanum recipiens sanitatem, & ægritudinem. Vtrùm autem à causis formalibus, & efficiètibus; an à causis subiecti recipientis; incipiendum est? certè à magis compositis erit incipiendum; ordine uidelicèt resolutiuo, si uti uolumus. Causæ efficientes sunt magis compositæ, & posteriores; quando quidem dicuntur sanæ causæ, uel ægræ, per

Quis ordo resolutiuus.

qn sanitas adest qd faciendum

per analogiam ad corpus ſanum, uel ægrum. Quare ſupponunt ſibi ſubiectum. Cauſæ autem efficientes, & conſeruantes; habent ſua genera. Quædam enim ſunt neceſſariæ; ut, aer, cibus, & potus. Quædam non neceſſariæ; ut, balnea. Diſtinguenda igitur erunt tantùm hæc genera cauſarum, efficientium & conſeruantium; ſanitatem, uſqúe ad ſpecies ſpecialiſſimas. Non poſſumus autem in iſtis cauſis facere ordinem reſolutiuum; quia non eſt habitudo eſſentialis; Quia non habent rationem, prioris, & poſterioris; neqúe totius, & partis. ideo hiſtorice explicantur, ut fecit Galenus in Arte parua. Bene uerum eſt, quòd datur illis ea forma, quæ poteſt. & hæc eſt uia, incipere à magis uniuerſalibus, & notioribus; ut uidebitis in Auic. qui incipit ab aere, deinde accedit ad motum. Seruatur igitur uia; quando ordo ſeruari non poteſt. Facta igitur reſolutione cauſarum efficientium, & conſeruantium, ſanitatem; quæ debet conſeruari; accedatis poſtea ad cauſas recipientes ſubiecti. Quæ duplices ſunt, uidelicet principia, uel materialia, uel formalia. Formalia ſunt, uirtutes, & operationes. Materialia ſunt ueluti, elementa, humores, &c. Vnde incipiemus à formalibus, quia ſunt notiora, & magis compoſita; ſequuntur enim etiam materialia temperaturas. Diſtinguere igitur oportebit uirtutes, & operationes; poſtea accedẽdum erit ad principia materialia, quæ ſunt membra compoſita primò, deinde ſimplicia, ueluti temperaturæ, humores, & tandem elementa. & ita facta erit ultima reſolutio, quæ fieri

poteſt.

poteſt. Vbi hæc ſciuerimus; nihil aliud ſupererit, niſi applicare res conſeruantes ſanitatem corpori bene diſpoſito. Hoc bene nouit Ariſt. 7. metaph. 23. qui dicit; Si ſanitatem uolumus inducere; facienda eſt æqualitas. Si æqualitatem uolumus facere; facienda eſt caliditas. & ita breuiſſimè docet Ariſt. (concepto fine priùs) diſtinguendas etiam cauſas efficientes, deinde accedendum ad principia formalia, & materialia. Quòd autem id uoluerit; declarant ea, quæ ſequuntur. dicit enim; Quando caliditatem inueneris; debes reſoluere, donec deuenias ad ultimum, quod iam te facere oportuit. & ita habetis, quo modo per ordinem reſolutiuum in medicina, ſit procedendum, quando ſanitas adeſt. At, ſi ſanitas abſit; oportet facere æqualitatem, quæ abeſt. At quo modo faciemus? per cauſas efficientes æqualitatis. Cauſæ iſtæ tres genere ſunt, diæteticæ, pharmaceuticæ, chirurgicæ. ſingula iſta genera ſunt diuidenda, donec habeatis omnes ſpecies. deinde uenietis ad ſubiecta; & conſiderabitis inæqualitates, quæ ſunt in membris, in humoribus, in temperaturis; donec ad elementa ueniatis. & hæc breuiſſimè de ordine reſolutiuo. Quantùm ad Compoſitiuum, breuiſſimè me explicabo. quia nulla eſt differentia inter reſolutiuum, & compoſitiuum; niſi differentia rationis. neque alia planè; quàm ea, quæ eſt inter uiam ab Athenis ad Thebas, & è contrario à Thebis ad Athenas. Quia quicquid ordine reſolutiuo inuentum eſt; ordine conuerſo in compoſitiuo docetur. Incipiendo ab eo, quod ultimum erat in reſolutione.

3 qn tarities abest q faciendum?

lutione. In isto igitur ordine primò incipietis à principijs materialibus. & primò ab elementis; deinde ab humoribus, deinde ad principia formalia accedetis, deinde ad causas efficientes sanitatis; quod principium erat in ordine resolutiuo post finem conceptum. De ordine definitiuo nihil uolo dicere; tum, quia à me per totam expositionem artis de eo fuit dictum, quia ad Auicennæ expositionem non attinet; tum, quia habetis libellum meum, qui de eo abundè dicit. His uisis; respondendum est ad quæsitum, quo ordine sit usus Auic. utitur.n. compositiuo; qui est aptior ad docendum, nam resolutiuus magis est aptus ad inueniẽdum, quàm ad docendum. & ita non conuenit, rudibus, et incipientibus discere; sed eruditissimis tantùm, quos etiam uulgò resolutos homines uocamus. Est autem Auic. merito ab omnibus laudatus; quia pro omnibus facit. Pro eruditissimis quidem, et excellentissimis ingenijs; quia uident eum optimè ordinem resolutiuum calluisse, quo artem inuenit. Pro mediocribus; propter dexteritatem, et commoditatem ordinis compositiui; quo facillimè artem docuit. utitur igitur ordine compositiuo; sed non ita, ut quidam exponunt; scilicet, quòd incipiat ab uniuersalibus, et progrediatur ad particularia; quia istud non est seruare ordinem, sed est uia, quæ seruatur in omnibus ordinibus; ut uidetis in Gal. qui, et in constitutione artis medicæ, et in meth. curatiua ubiq; ita semper procedit, quoniam ista uia est nobis innata. Sed quoniam incipit à principijs, et tendit ad principiata; ex his ideo sequitur

corolariè,

corolariè, quo ordine sint legendæ istæ duæ fen. quas nunc legendas suscepi. Est enim primus liber, qui legendus est in medica scientia, quia est de principijs. Nunc ad uerba Auic. exponenda me conuerto.

PROOEMII EXPOSITIO.

LECTIO. II.

Primus Auicennæ Canonis liber, &cæt.

In primis Deo gratia agamus, sicut, &cæt.

IN HOC *proœmio quinque facit. Primò; gratias Deo agit. Secundò; proponit causam scribendi. Tertio; proponit, modum, uiam, et ordinem; procedendi. Quartò; utilitatem. Quintò; diuidit omnes suos libros. Primò ergo agit gratias Deo; quia ex se fuit religiosus, ut uidere est in suis metaphysicis. Et causa potissima rerum, quæ sunt in metaphysicis; fuit propter maximam religionẽ. agit gratias Deo; quòd sciuerit rectè concipere, & inuenire; quòd est difficillimum. Nam scribere cuiquè est facilè. At rectè concipere, & inuenire, & disponere; non est, nisi maximi et doctissimi uiri. Iure ergo gratias Deo agit; cuius beneficio tàm præclara concepit, et inuenit. Secundum est causa, ob quam scripserit; & dicit amici preces fuisse. & id facit Auic. & alij uiri docti; modestiæ gratia, ne uideantur ambitione moti scribere. & ita facit Gal. in lib. de constitutione artis medicæ;*

dicæ; & in lib. methodi. Tertiò proponit modum uiæ, & ordinem. Modum ostendit, quando dicit, se cum breuitate, & explicatione, scripturum. Nam ista fuit conditio modi, à nobis superius proposita ex parte rei; non euagari; s. neq; confundere res, neq; ponere caput in capite. Viam proponit; quando dicit ab uniuersalibus, ad particularia procedendum esse. ordinem ostendit; quando dicit se à theoria ad praxim, & à causis ad effectus; processurum. Quartò proponit utilitatem; & dicit, quòd in hoc libro continentur omnia quæ in arte compręhendi possunt. *Nam, quæ non sunt in hoc libro; sunt supra artem, & non possunt tradi. et sunt particulares occasiones circa particulares operationes. dicit bonum esse, ut plurimũ huius libri sit apud omnes. Quia enim non omnes possunt omnia tenere præ imbecillitate ingenij, aut memoriæ; sit saltèm plurimum apud omnes, si totum esse nequit. Vltimò tradit diuisionem omnium librorum suorum; & hoc facillimum est cognitu, & non est opus expositione nostra. & ita est expositum totum procœmium, quando scilicet dicit, ubi loquitur de libro medicinarum simpl.* (in tabulis pictis) *Quæ sint autem istæ tabulæ pictæ, si quis ignorat; legat primum cap. secundi libri Auicennæ, ubi loquitur de areolis. Ibi uidebit, quid sint istæ tabulæ pictæ.*

FEN

FEN PRIMAE, DOCTRI. PRIMAE, De defi. medicinæ. Caput.

LECTIO. III.

DICO, quòd medicina est scientia, qua, &c. *Viso procœmio Auicennæ; in quo exposuerat primò, qua ratione motus fuerat ad scribendum; Secundò, qua uia, quo modo, & quo ordine; sit processurus; Tertiò utilitatem; Vltimò diuisionem suorum librorum; Post procœmium igitur aggressurus rem suam; ut certa ratione hoc faciat, proponit definitionem medicinæ. Sed dicetis; Cur ordine compositiuo usurus in arte tradenda, incipit à definitione? Fuit necessarium propter duas rationes; antequàm traderet per ordinem compositiuum artem. Prima est; quia non potest exquisitè haberi (ab eo, saltèm, qui inuenit) ordo compositiuus; nisi priùs habeatur ordo resolutiuus, sicut uidere est in ædificatore domus. Antequàm enim incipiat ædificare domum; concipit primò finem, quo fabricanda sit domus; ut scilicèt arceatur, & frigus, & aliæ iniuriæ. Deinde cogitat tectum ad hunc finem assequendum, esse faciendum. Tum uerò parietes ducendos. Postremò fundamenta facienda. & tandem paranda esse, materiam, cementa, lapides & ligna. Facta hac resolutione, incipit postea componere; & ita ex resolutione acquiritur cõpositio. Ita facit Auic. Quoniam priùs oportebat ordinem compositiuum concipere; antequàm ipsum traderet. Hoc autem fieri non poterat, nisi*

priùs

priùs res inuentæ essent per resolutionem; ideo oportuit priùs resoluere. Facit igitur resolutionem totius artis breuißimam, ex qua postea oritur ordo compositiuus. Resolutio autem fit à conceptu finis, quæ est sanitas; quæ innotescit per definitionem medicinæ. oportuit igitur statim à principio medicinæ definitionem tradere, quia ex ea habetur, quòd sanitas est finis medicinæ. à fine autem incipit resoluere; ex qua resolutione nascitur ordo compositiuus. Fuit alia ratio; Quia accipit postea partes definitionis, & resoluit eas; ex qua resolutione postea nascitur ordo compositiuus. Iure igitur Auic. priùs definit medicinam, cùm esset etiam artem hanc alioqui per ordinem compositiuum traditurus. Definit igitur medicinam in hoc capite; quòd totum in duas partes diuiditur. Primò definit secundò tollit obiectiones, quæ fieri possunt contra definitionem traditam; Quæ quidem duæ sunt. Quare duo habentur in hoc cap. toto, primò medicinæ definitio, secundò responsio ad duas obiectiones. Definitio talis est, ut audiuistis Medicina est scientia, &c. oportet considerare hanc definitionem. Non equidem faciam, ueluti alij, qui colligunt omnes definitiones medicinæ, quas inuenerunt in omnibus libris. & omnia confundentes; dicunt, hæc est bona, hæc non est bona. dißimilis omnibus alijs; ostensurus sum primò hanc definitionem esse optimam, & non superfluam, nec diminutam. Ex qua re omnes iudicabunt, utrùm bonæ, an malæ, sint. Secundò ostendam hanc definitionem esse Herophili, quam

Huius cap. diuisio in duas partes.

quam attulit Gal. primo in arte parua. Dico igitur; hanc definitionem esse optimã, quia habet omnes conditiones optimæ definitionis. Quæ sunt tres. Prima; ut exprimat totam rei quidditatem. Secunda; ut per eam demonstrentur omnes paßiones, ut ait Ari. quarto phy. 3. & primo, & secundo de anima, et quarto ethic. Tertia; ut tollantur omnes difficultates, quæ in tali re contingunt. Quantùm ad ultimas duas pertinet; Vt demonstrentur omnes paßiones per hanc definitionem, et tollantur omnes difficultates; nunc non possum ostendere, quia oporteret totum librum declarare; sed hoc postea manifestißimè in toto progressu uidebitis. Sed, quod adsit prima conditio; declaro nunc, quia adsunt omnes causæ, ueræ, et intrinsecæ, medicinæ; et præter has etiam aliæ, quæ non sunt intrinsecæ. et, quòd hoc sit uerum; patet, quia habet genus, et differentias. genus autem est materia; differentia uero forma. habet suum uerum genus; dicendo, quòd medicina est scientia. At hic obijciet aliquis, quòd medicina non sit scientia, sed ars; authoritate Arist. 6. eth. cap. 4. qui definit, artem esse habitum recta ratione factiuum. Quòd etiam Auer. affirmat. Dico ad hoc; quòd medicina est sciẽtia, et proprium genus medicinæ est scientia. et probatur hoc modo; quia quicunq; habitus paratur demonstratione, est habitus scientificus. medicina talis est; ergo etc. maior patet per Arist. quia demonstratio est syllogismus faciens scire. minor etiam patet. Præterea scientia est æternorum, ars uerò caducorum; ut ait Arist.

Tres conditiones optimæ definitionis

Duo. quod medicina non sit scientia.

primo Rhetoricorum, cap. secundo, Medicina uerò est æternorum. Alexander autem primo methaphysicæ. 6. dicit, quòd nulla ars considerat æterna. et ita habetis, tum ratione, tum authoritate magnorum uirorum; quòd medicina est scientia, non ars. Demum, autem hoc habetur ex authoritate, non tantùm Auicennæ, Gal. & Herophili; sed etiam Arist. qui medicinam multis in locis appellauit scientiam. Hic dicet quis solue mihi authoritatem Aristo. qui dicit scientiam distingui ab arte, primùm fine; secundò ratione subiecti, quia finis scientiæ est scire, finis artis est operari, deinde scientia est in intellectu speculatiuo tanquàm in subiecto; ars autem in intellectu practico. Aduertatis igitur, quòd ars consideratur dupliciter. Vel, ut uersatur circa materiam, & subiectum extrinsecum, circa quòd operatur. Vel, ut uersatur circa uniuersalia, & rationẽ faciendi. Primo modo considerando artem; ars uerè est, & dicitur; quando uersatur circa subiectum operationis. Secũdo autem modo; est scientia, sicut medicina. Si enim uersetur medicus circa Platonem: est ars uerè, non scientia. Considerando autem medicinam, prout est in mente artificis, & non extra, & suam rationẽ formalem; est scientia. Itaq; medicus, & sciens, et artifex; dicitur. Quando enim dirigitur ad opus extrinsecum, & curat Platonem, uel Socratem; est artifex. Quando autem speculatur uniuersalia, & principia artis; est sciẽs, septimo metaphysices. 23. dicit hoc Aristot. & Auerroe clariùs dicit Arist. Inquit enim; quòd prout consideratur

ratur ars extra animam, & intellectum; est ars. Prout autẽ consideratur in intellectu, ut est ratio, & principium, & forma; est scientia. Ista sufficiant ad declarandum quòd scientia sit uerum genus medicinæ. Sed, quæ nam sunt differentiæ illæ, quas posuit Arist. sexto metaphysicæ? illæ scilicet, quæ sumuntur à fine, & subiecto. Distinguitur enim una quælibet scientia à fine. Si igitur accipiatur proprius finis medicinæ; habetur differentia distinguens per finem medicinam ab alijs scientijs. Sed, quodnam est subiectum medicinæ? dicebamus superiùs corpus sanabile, & ægrotabile, esse subiectum medicinæ; Quia corpus est materia lata, competens pluribus scientijs, & artibus. Sed coarctatum per formam sanitatis, & ægritudinis; fit proprium subiectum medicinæ. Habetis igitur definitionem integram. Quantùm autem attinet ad causas intrinsecas; habet materiam, et formam. habet etiam extrinseca principia, efficiens, & finem. Efficiens est. ibi (qua humani corporis dispositiones noscuntur) efficit enim medicina cognitionem dispositionum corporis humani. & sic habetis causam efficientem. Finis liquet ibi (ut sanitas conseruetur) & ita habetis hãc definitionem optimam esse. Quòd autem sit eadẽ, quæ Herophili (quæ ponitur à Gal. in arte parua) quòd scilicèt medicina sit scientia, sanorum, ægrorum, & neutrorum; quorum singula de corporibus, & causis, & signis; dicuntur; liquidò constat. Quando enim dico (medicina est scientia, sanabilium, & ægrotabilium) æquè bene intelligo signa, & causas; sicut Galenus

lenus intellexit; quia ſanari & ægrotare non poſſunt ſine cauſis, & ſignis. Sed dicet quis, hic eſt magna differentia, quia definitio Herophili, et Galeni, habet in ſe corpora neutra; Auicenna uerò, ſanabilia, et ægrotabilia tantum (quod etiam animaduertit ipſe in textu) Ad hoc dicamus, quòd Auic. in uirtute hoc eſt complexus. Quando enim poſuit duo extrema, ſcilicèt ſanabile, et ægrotabile; in quorum medio ſtat corpus neutrum; neceſſariò etiam clauſit medium. Dum enim fit tranſitus ab ægritudine ad ſanitatem, qui termini ſunt extremi; non poteſt fieri tranſitus, niſi per medium. et ita Auicenna nihil omiſit neceſſarij. et hoc de definitione. Nunc ſecũda pars eſt declaranda, quæ tollit dubitationes; quæ ſubdiuiditur in duas partes. Prima pars eſt hæc, inquit Anicenna, poſſet mihi quis obijcere: Tua definitio non eſt bona, quia eſt diminuta, cùm enim dicis medicinã eſſe ſcientiam; vt tantùm partem Theoricam claudis, partem autem practicam omittis. *Supponuntur autem in hoc argumento duo. Vnum; quòd medicina diuidatur in Theoricam, et practicam. Alterum; quòd practica non ſit ſcientia. Primum ſuppoſitum admittit Auicenna. dicit enim Auicenna, ſe bene cognoſcere, non ſolùm in artibus, ſed etiã in philoſophia; quandam partem eſſe Theoricam, quandam practicã. Sed falſum poſtea dicit illud eſſe, quòd pars practica non ſit ſcientia, et dicit Auic. quòd* (qui crediderunt practicam non eſſe ſciẽtiam; erra uerunt) *propter malum conceptũ iſtius uocis (practica)*

Dub.

Sol.

De secunda parte.

Duo supposita

ctica) quia acceperunt partẽ practicam pro ea parte, quæ habet operationes At ego non ita intelligo practicam partem (*inquit Auicenna*) ſed eam, in qua fiunt ſimul demonſtrationes, & ſpeculamur. *differt autẽ hæc pars à Theorica; non, quia magis ſpeculemur in ea quàm in illa practica; ſed, quia in Theorica conſideramus principia, quæ nihil dirigunt ad operationem, et in practica ſpeculamur ea, quæ dirigunt ad operationem, et docent genus operandi. et dat exemplum; quando inquit* ſpeculamur nouem eſſe temperaturas, aut tria eſſe genera febrium. *Iſta pars dicitur Theorica; quia hic docentur principia non operandi, ſed ſciendi tantùm. At, quando docetur; quòd in inflammationum principio tantùm frigidis, repercutientibus, et conſtipantibus; ſit utendum; poſt principium uerò, partim repellentibus, partim reſoluentibus; Quia partim fluxit materia, partim fluit, fluxuræ enim debentur repellentia, fluxæ reſoluentia. In ſtatu uerò, quãdo tota fluxit materia, ceſſat intentio repellendi, ſed tantùm eſt reſoluendum; In hac parte fiunt ſpeculationes, ut uidebitis (inquit Auicenna) ſed iſtæ ſpeculationes docent modum operandi, quod non faciunt ſpeculationes in Theorica. In utraq; igitur parte eſt ſpeculatio. Non eſt igitur uerum (inquit Anicenna) quòd practica pars non ſit ſcientia, quia et ipſa ſpeculatur, ſed pars Theorica eſt ſcientia ſcientialis; practica eſt ſcientia operatiua. hæc eſt mens Auic. utrùm autem rectè hic ſenſerit Auicenna in omnibus; et, ſecundùm*

quem ſenſum ſit uera; et, ſecundùm quem falſa; docebimus breuiſſimè.

LECTIO IIII.

EST QVAESTIO *logica, & nimis uulgata; quòd hæc ſententia, hoc eſt medicina; ſit, partim Theorica, partim practica; ſit uulgata apud Arabes. & tuentur eam hac ratione, qua mouetur Auicenna. ſed nullum equidem Græcorum inueni; qui ita diuiſerit medicinam in partem, Theoricam, & practicam. Immo Galenus appellauit eam libro de conſtitutione Artis, non ſolùm factiuam, ſed etiam refectiuam. Reficit enim, & reparat proprium corpus; potiùs, quàm conſtituat. Hippoc. autem recognouit ſemper medicinam pro practica in libro de flatibus. dicit enim ipſam eſſe additionem, & remotionem, ſeu adiectionem & ablationem: propterea author ille definitionum; Qui dicit medicinam partim eſſe poſitam in contemplari, partim in agere, non ſolùm fecit pro Auicenna, ſed refutatur ab Auicenna in hoc cap. Qui dicit, nullam prorſus partem eſſe in agere, et multos in hoc loco non recte perſcrutantes errare. Nam alioqui iſta ſententia eſt ſecundùm alios Græcos. Quia medicina priùs ſpeculatur, deinde accedit ad operationem. ſpeculatur enim principia, & cauſas. Immo ubiq; ſpeculatur, ut poßit finem aſſequi. Sed præter authoritates Græcorum, eſt ipſa ratio. & neſcio, quomodò tanti uiri ſint decepti. & præſertim Auicenna; qui dicitur etiam uir ingenioſiſſimus à ſuis aduerſarijs.*

error. Auicē: et eius de re dargutio.

uerſarijs. Auer. licèt eum carpat; libenter tamen ei concedit ingenij magnitudinem. Dicis ò Auicen. quòd quando aliquis conſiderat principia diſpoſitionum corporis humani, & temperaturas; tunc eſt pars Theorica, *quæro à te, nunquid medicus, quando iſta principia conſiderat abſolutè, an reſpectiuè; conſideret ſecundùm rationem formalem ſubiecti? Si abſolutè conſiderat; non tanquàm medicus, ſed tanquàm philoſophus; hoc facit. Quia corpus humanum, ſimpliciter, & abſolutè, non eſt ſubiectum medici, ſed philoſophi. Si autem cõſiderat iſta principia non abſolutè. ſed quatenus corpus humanum eſt ſanabile, & ægrotabile; iſta omnis conſideratio dirigitur ad opus, & ad ſanitatem formaliter in mente conceptam. &, cùm dirigitur ad eam formam, & ad eum habitum ſanitatis, qui eſt potentia, et uirtus occaſione obiecti extrinſeci acquiſita ab intellectu, merito cuius transfertur ad opus, ſicut potentia uiſiua dirigitur, & perficitur ab obiecto uiſiuo. Nam ſexto Eth. & ſexto Metaphy. dicit Ariſt. quòd ſcientiæ, & artes diſtinguuntur ab obiecto extrinſeco. Quia iſta potentia, cùm eſt acquiſita; poteſt homo, qui habet talem potentiam; quando uult, exire in opus; ſicut, qui habet potentiam uiſiuam; poteſt uidere quãdo uult. et ita nulla pars medicinæ eſt Theorica eo modo, quo ipſe intelligit. Nam illud argumentum Auicennæ, quando dicit.* ſi quis nouit elementa corporis, & temperaturas; neſcit tamẽ propterea operari, & medicari; ideo non

facit hoc ad operationem.) *uanißimũ est. Istud enim est similiter; ac, si quis dicat, puer sciens elementa grammaticæ, nescit propterea loqui grammaticè, ideo elementa non sunt pars grammaticæ. Videtis, quàm hoc sit uanũ. licèt enim nesciat propterea puer loqui grammaticè; uanum tamen est dicere, quòd scire principia, & temperaturas, & eà, quæ multũ remota sunt; sit pars Theorica. Pars autem, quæ est magis propinqua operationi; sit practica. Demiror Auicennã, uirum alioqui ingeniosum, isthæc non uidisse. præsertim, cùm res ista illum ad eò perturbarit; ut coactus fuerit in sequentibus capitibus idem repetere.* Dico igitur, *quòd sententia Græcorum est magis docta, & magis secundùm essentiã medicinæ. Hæc satis, siue stetis à Galeno, & omnibus Græcis, siue ab Auicenna; non propterea eritis mali medici. Secunda dubitatio est hæc. Dixisti ò Auicen. quòd* medicina est scientia, qua corporis humani dispositiones noscuntur; quatenus, sanabiles, & ægrotabiles, *ubi ponis neutralitatẽ, quæ ab omnibus ponitur Græcis, & à Galen. Ad hãc obiectionem respondet Auicen. tanquàm deridens. Si bene consideraueris contradictor; non inuenies, quòd in mea definitione affirmem, aut negem istam tertiam dispositionem. postea dicit, si bene consideramus; non potes dicere, quòd multi obijciunt. uolo ostendere, quòd hæc tertia dispositio nõ potest admitti, neq; contineri sub definitione, neq; sanitatis, neq; ægritudinis. Quia sanitas est dispositio corporis humani, à qua operationes*

perationes sanæ proueniunt. & ita dispositio neutralis hic non continetur. Similiter nec sub definitione ægritudinis; quia ægritudo est dispositio humani corporis, à qua operationes læduntur. At ò contradictor, bene nota (inquit Auic.) quòd si tu uis ponere hanc tertiam dispositionem; ego sub ea parte posui, ubi dico in definitione (ex parte qua sanatur.) *Præterea ostendens, se deridere hanc tertiam dispositionem; dicit,* (non est, quòd in hoc litigemus cum medicis) *respiciens scilicet ad Gale.* & hoc (*inquit*) probare; pertinet ad principia alterius Artis. *Et hæc satis sint à nobis dicta pro primi capitis explanatione.*

DE SVBIECTIS MEDICINAE.

CAPVT.

LECTIO V.

Quoniam medicina corpus humanum ex parte &c.

TRANSEAMVS *modò ad alterum cap. in quo facit resolutionem medicinæ, ex qua colligit postea ordinem compositiuum, in quo fuit mirabilis ingenij. & ostẽdit, se omnia uidisse, et legisse, quæ apud Græcos habẽtur. Author ille definitionum dicit; tria esse, quæ complent artem; inuenire, constituere, & explicare. Inuentio paratur per resolutionem, post inuentionem constituitur ars. i. id, quòd per resolutionem inuentum est. Tertiò explicatio. In primo cap. ostendit*

ostendit se inuenisse, ubi dicit, placuit mihi, vt ab vniuersalibus, ad particularia procederem, *& rectè dixit* (placuit mihi) *quia id ipse ope ingenij sui inuenerat. In hoc cap. facit resolutionem; à definitione sua incipiens, & secundùm duas partes definitionis facit duas resolutiones. Prima pars est circa subiectum, id est corpus humanum; ex parte, qua sanatur, & ab ea remouetur ægritudo. Secunda est finis, ut sanitas conseruetur, & amissa recuperetur. Resoluit igitur circa primam partem. & dicit; quòd ex quo* medicina est scientia, qua corpus humanum, & eius dispositiones; noscuntur, quatenus id est sanabile, & ægrotabile. Nulla autem res; quæ habet, principia, causas, & elementa; sciri potest, nisi causę ipsius cognoscantur; Ideo, cùm corpus humanũ sit sanabile, & ægrotabile (quòd est subiectum medicinæ) & habeat causas, oportet istas causas cognoscere ad hoc, ut ipsum uerissime cognoscatur. *Sed quot sunt causæ, et quæstiones? materialis, formalis, efficiens, & finalis. Sunt quatuor genera causarum, per quæ cognoscitur corpus humanum quatenus sanabile, & ægrotabile; duæ intrinsecæ, materia, et forma, duæ extrinsecæ, finis, & efficiens. Facit igitur Auic. resolutionem, quantùm potest in his causis. & primò incipit resoluere causam materialem, quæ est subiectum causæ formalis; & dicit, quòd* proximum subiectum sunt ipsa mẽbra, quia immediatè sanitas

De quatuor causarum generibus sanitatis, et ægritudinis.

De cá mati

tas inuenitur in membris corporis. Subiecta autem longinqua, sunt humores, & elementa; quia, neq; humores, neq; elementa; per se sunt subiectum sanitatis. *sed efficiuntur subiecta sanitatis; quando componuntur. &, non tantùm componuntur; sed etiam alterantur. ratione cuius compositionis, & alterationis; fit unum, quòd appellatur complexio, uel temperatura, siue forma. Complexio quidem, & temperatura, respectu alterationis. Forma autem; respectu compositionis, & ita ista unitas dicitur subiectum sanitatis. dicimus enim temperaturam, sanam, et ægram; quæ temperatura resultat ex compositione, & alteratione humorum, & elementorum, hoc satis de causis materialibus. Causæ autem formales; sunt ipsæ temperaturæ, & compositiones. Temperaturæ sunt in membris similaribus. Compositio in organicis, et sunt causæ formales, quia causa formalis sanitatis in similaribus est temperatura. In organicis autem; causa formalis est compositio. dicet aliquis; Quomodò ergo posuisti temperaturam inter causas etiã materiales? Dico, quòd fecit hoc per accidens, et consecutiuè; non primò, ut scilicet ostenderet, quomodò, humores, et elementa; sint subiecta sanitatis. Ideo enim sunt subiecta; quia ex ipsorum alteratione, et compositione, resultat temperatura. Causa finalis est ipsa operatio; quia sanitatis finis sunt bonæ operationes, ægritudinis autem finis: sunt læsæ operationes. Quæ operationes habent sibi annexas uirtutes; quia non possunt fieri*

De formali

De finali

operationes

uirtutes spes habent pro subiecto.

De causis efficientibus

operationes sine uirtutibus. at uirtutes habent spiritus pro subiecto: et hæc de tribus causarum generibus. Causæ autem efficientes sunt causæ extrinsecæ, & causæ non naturales, aer, cibus, potus, somnus, et uigilia. Sed non possunt considerari istæ causæ (cùm sint ad aliquid) sine cognitione dispositionũ: ideo meritò sequitur, ut necessariò de dispositionibus corporis humani agatur, ad quas referuntur. at istæ dispositiones, quia quandoq; sunt occultæ; ideo per signa sunt indagandæ. Signorum igitur traditio necessariò consequitur. & ita habetis subiecta omnia (de quibus agit in his duabus primis fen.) per ordinem compositiuum. Primò enim in prima fen per ordinẽ compositiuum procedens, aget de elementis. Postea de temperaturis. Tertiò de humoribus. Quartò de membris similaribus, quæ quidem pars solet omitti, et anatomicis relinqui. Deinde de uirtutibus, de spiritibus, postremò de operationibus. In secunda fen, incipit agere de dispositionibus corporis. Quia, et causæ omnes prædictæ sunt dictæ respectu ad dispositionum corporis humani. & etiam causæ efficientes (de quibus postea agit) quæ sunt, efficientes, & conseruantes; sanitatem. Postremò; quia dispositiones sunt sæpè occultæ; agit de signis, & ita complet duas primas fen.

Hactenus per tres causas discurrimus, dimissa efficiente. cùm. n. Auic. consideret, & hanc; ideo ratio est reddenda. Non potuimus enim; quia, si miscuissemus; omnia confusa apparuissent. Resoluit enim Auic. suo modo omnia. sed in compositione deinde confusio apparet;

paret; quoniam resolutio mensuratur compositione. quia, si bene resoluistis; in compositione apparet. est enim quædam cõsultatio resolutio. ut, qui fabricat domum; primò consulit à notione finis, resoluendo usque ad prima principia. &, cùm fit domus; uidet errorem resolutionis. ideo Auic. cùm uideret errorem in resolutione; in compositione id animaduertit. Sed, quomodò errauit, & reliquit hunc errorem in suo libro? dicam id, quod peritiores credunt. scilicet, quòd primo discursu hunc librum composuit, & ordinem collegit. et sic defendi potest; quia non uixit, nisi quadraginta annos, & tot composuit uolumina. Hæc enim non indicant ignorantiam; sed, quòd liber non fuerit ab eo re cognitus. Modò in resolutione primæ partis debemus dimittere omnes causas efficientes; quoniam in duplici resolutione considerabuntur. uel debemus ponere in prima; ut nascantur tertia, et quarta fen, ex ipsis. Nisi enim alterum horum fiat; bis repetetur idem, scilicet de causis efficientibus, quæ sunt conseruantes, & alterantes. In secunda enim resolutione dicit de, regionibus, potibus, & huiusmodi: quare bis repetit idem, et nos elegimus primam partem definitionis. Huius autem inquisitionis perfectionem. s. ut sanitas conseruetur. Modo hæc est secunda pars definitionis. & debet resolui hæc pars; quia nihil conseruatur, uel recuperatur; nisi ab aliqua causa id operante extrinseca. Quod enim conseruat; id habet rationem causæ. et sic hic causæ considerantur. & quidquid conseruatur; à simili conseruatur. Quia hic status necessarius,

Dub. est.

non

non motus. Sed motus non est in simili; quia à contrario fit motus. modò, si uolumus esse boni Medici; post primam resolutionem, in qua tres causas sanitatis uidimus: oportet deinde causas efficientes habere. quæ, uel sunt similes, uel contrariæ. & eadem causa facit sanitatem, & conseruat; idem enim genus causarum. semper enim producunt causæ eundem effectum ex se. Vt uerò diuersis corporibus applicãtur; diuersum. Vt calidum semper calefacit, & similiter acutũ semper incidit; & magis, quòd magis tale; & minus, quòd minùs tale. et secundùm diuersum subiectum, uel tollit, uel seruat sanitatem, uel etiam recuperat. nam, si applicantur similibus; conseruant. si contrarijs; recuperant. Quare genera causarum non sunt multiplicanda. & ista, uel semper, & necessariò, corpori humano occurrunt; uel accidentaliter. & historicè explicantur genera causarum; quarum sex necessariò occurrunt. & sunt, aer, cibus, & potus, & huiusmodi; quæ possunt conseruare, et alterare ad bonum, uel malum. Balnea uerò, frictiones, syrupi, cauteria, pharmaca, & huiusmodi; sunt ea, quæ non necessariò occurrunt corporibus. & hæc sunt consideranda in secunda resolutione. Modò; nisi corporum dispositiones noscatis; nõ poterunt applicari rectè, cùm omnia omnibus non conueniant. Quare dispositiones corporis hic ueniebant distinguendæ; quæ sunt, & in temperatura, et in compositione, et in unitate. Sed, quoniam non possunt rectè cognosci causæ, et dispositiones; quia latitant; ideo consideratis causis, et dispositionibus,

bus, signorum etiam cognitio necessaria apparet. & hoc ad causas habendas. & sic his habitis; nullo medicus indigebit; nisi, ut ad opus ueniat. fuit enim consultum hoc Auicennæ, ut primò incipiat à subiectis medicinæ, et primò de elementis; deinde de temperaturis, humoribus, membris, uirtutibus, et huiusmodi. In secunda fen. agit in prima parte de dispositionibus huiusmodi corporis. In secunda de causis efficientibus. deinde de signis indicantibus. deinde in tertia fen. magis particulariter de causis efficientibus, & conseruantibus; sanitatem agit. In quarta de efficientibus, et alterantibus. & ita totam habet medicinam, qui has partes habet. Quoniã autem non omnia ingenia sunt æqualia; postquàm totam meth. tradidit; manuducit nos per omnes particulares ægritudines, in tertio, et in quarto libro. et simplices, et compositas medicinas; in secundo, & quinto docet. & expletè totam methodum docet in primo libro, in illis quatuor fen; deinde exercet in reliquis libris artem, et methodum. In quo quidem superauit Galenum; qui nos in particularibus non exercet, nisi per exẽplum. Quare primò discendus uobis primus liber; quàm ad tertiũ, quartumq;; accedatis; si medicinam attingere uultis, et methodum habere. Hæc satis de resolutione duarum partiũ definitionis medicinæ; quarũ in prima considerantur tres causæ, in secunda efficientes. hinc Auic. dixit partem alteram medicinæ theoricam, alterã practicam. Nam in prima resolutione nullus modus operandi habetur. In secunda resolutione patet ex causis

ſis efficientibus (quod quidem iam uidiſtis) quomodò falſum ſit. & hoc de prima parte capitis. Modò in ſecunda parte capitis docet, quæ tradenda ſint; & quo ordine tradi debeant. Compoſitiuo ſcilicèt; poſt reſolutionem. Sed primò ad textum primæ partis capitis deſcendamus. Et quia cauſæ quatuor ſunt &c. *Notetis, quòd in iſta parte occurrit dubitatio (quæ poterat fieri contra definitionem datam) quo modò poßint ex ipſa ſigna elici, quæ tantùm medicinæ ſunt neceſſaria. per definitionem enim paßiones debēt manifeſtari. Quare dicit, ubi ponit cauſas, &, quod per ipſa principia debemus diſpoſitiones cognoſcere; & per cauſas, quod concomitantia etiam debemus intelligere. Quia, ſi ſanitatem, & ægritudinem, debemus noſcere formaliter, & ſecundùm ſubiectum; ſic concomitantia etiam patebunt; & ſigna, ſcilicèt accidentia. nam ſigna non cognoſcuntur; ſed recognoſcuntur, quia debetis ſigna recognoſcere, & primò per cauſas ipſa cognoſcere; ut patet per exemplum hoc. nam, cùm uidetis fumum; cognoſcitis, quòd ibi flamma ſit. et hoc non alia de cauſa; niſi, quia ſcitis ex flamma neceſſariò conſequi fumum. quia etiam uulgares noſcunt flammam eſſe uaporem inflammatum. quòd ſi ſubiectum non ſit diſpoſitum, & aliquando nimis humidum; tranſit in fumum; ut faciunt paleæ etiam, cùm ſunt humidæ. & quia materia eſt etiam indigeſta; palea ſicca parum fumi facit, quia habet ſuum humidum digeſtum. Quare rectè doctus noſcit hoc, ut etiam boni medici ſigna; cùm ſoli empirici noſcant*

ſcant experientia. &, ſiquis nunquàm uidiſſet flammam; non cognoſceret ex fumo. Quare oportet mutuam conſequentiam ſignorum adeſſe. & hoc neceſſariò adeſt; ſi cauſas ſanitatis noſcimus per ſua principia, quia conſequuntur, et ſic dicit Auicenna ibi ſupra aut non complet *& melior eſt lectio, quàm illa bellunenſis (in ſcientijs ueridicis. i. in philoſophia) et dixit ita; quia finis philoſophiæ eſt uerum, ut bonum in alijs ſcientijs, & artibus. non quòd aliæ ſcientiæ, et artes, non ſint ueræ; ſed, quia non habent uerum pro fine* (Subiectum quidem) *Quæſtio hic pulcherrima eſt. Dicit enim, quòd ſubiectum remotum ſanitatis, & ægritudinis; ſunt elementa, et humores; quia nunquàm fient ſubiectum huiuſmodi, niſi uniantur, et fiat unum aliud; ſcilicèt temperatura. ſed modò aliqui dicunt humorem eſſe immediatum ſubiectum ægritudinis; ut in febribus humoralibus, in quibus humores ſunt ſubiecta ægritudinis, & ſanitatis. Ad hoc eſt reſpondendum; quòd pituita, & bilis, non ſunt ſubiectum febris; ſed putredinis, quæ uapores mittit ad cor. Qui quidem uapores inflammant ipſum cor; et ita accenditur calor in ſubſtantia cordis. et ſic ſubſtantia cordis ſubiecta recipit febrem. & ſic cor eſt ſubiectum febris. humor uero; putredinis. & ſic febris cholerica eſt humoris cholerici putreſcentis; non quòd febris in cholera ſit; ſed, quòd à cholera pendeat, & eius putredine. Quoniam nulla ægritudo, uel ſanitas; poteſt eſſe in parte aliqua corporis, in qua non exercentur operationes corporis. Sanitas enim*

quesho

est habitus, à quo proueniũt sanæ operationes, quare tantùm in talibus membris? Quare, nec sanguis etiam, uel spiritus, nisi materialiter; habent hoc? & Galenus mille in locis dicit hoc, & septimo de aggressibus anatomicis non longè à principio; à substantia. s. membri prouenire operationes. & tertio de causis symptomatum, tertio per longum processum hoc docet, & tertio de prognosticatione pulsuum, & mille alijs in locis, quare à substantia membri prouenit actio. sanguis enim spiritusq;, quòd huiusmodi non sint, patet. nam, nec in sanguine, nec in spiritibus; sunt naturales uirtutes, nec uitales, nec animales, sed in membris, ut attrahendi, retinendi, & reliquæ. Immo attrahuntur hæc, & patiuntur potiùs, quàm operentur. Nec uirtus uitalis, nisi in substantia cordis est? Spiritus autem instrumentum. Quare uirtus, et operatio; his non attribuitur, sed tantùm membris. Vnde uanum est dicere in humoribus esse febrem. sed in substantia cordis est semper febris; & non tamen semper hectica est? Quia solùm hectica est, cùm æqualiter in toto firmata est caliditas. Ephemera uerò est; cùm incalescit substantia cordis ob spiritus inflammatos. Putrida; cùm incalescit ob putridos uapores eleuatos ab humoribus putrescentibus. & sic semper febris est in substãtia cordis; siue sit hectica, siue ephemera, siue putrida. In hectica autem; tota substãtia cordis est in calefacto esse. In ephemera autem, & putrida; solùm in calefieri, & erat necessarium mouere dubium huiusmodi ad febrium ueram notionem;

in quo

in quo intricati fuerunt omnes moderni, nec aliquis uidit ueritatem. Et ego quoq; (ut ingenuè fatear) non fui in hoc olim resolutus, sed in nube hæc uidebam, & in nube declaraui hæc omnia in tractatu de febribus; postea usu, & speculatione; fui illuminatus. &, cùm fui ego resolutus in materia; resolutè etiam potui uos docere. nam scientis est signum posse docere; ut ait Arist. & sic teneatis bene hanc rem, ut sitis resoluti & uos in hac materia.

LECTIO VI.

VIDIMVS, *quomodò humores, & elementa, sint subiecta sanitatis, & ægritudinis; quia sunt subiecta quatenus deueniunt ad unitatem, quæ immediatè est subiectum. Vnitas autem ista duplex erat, complexio, & forma. Complexio quidem ex alteratione; forma autem ex compositione. Cùm igitur ista dixerimus, & eadem dixerit Auicenna, quia apud Auic. uerba sunt implicata; Ideo oportet illa declarare. oportet autem præscire terminos ipsius Auicennæ.* Primò *ergo ponit* compositionem, Secundò alterationem, Tertiò complexionem, Quartò formam. *Isti quatuor termini sunt noscendi, ut appareat sententia Auicennæ. Compositio in re nostra apud medicos, & philosophos; est duplex. Primo modo est acceruus partium, sine alteratione aliqua congregatarum; ut usurpat Aristot. primo de gene. & cor. & Gale. primo Therap. & sic aceruus frumenti potest dici compositio, dicitur etiam iuxtà po-*

Compositio duplex est.

 sitio.

ſitio. Alio modo dicitur; prout conſtruũtur partes, quæ alteratæ ſimul ſunt ad faciendum quandam entitatem. De prima nihil loquimur, nec loquitur Auic.

Secunda cõpositio triplex.

Secunda est triplex; prima ſimplex, quæ fit ex partibus ſimplicibus, ut ſunt elementa. Secunda compoſita: quia reſultat ex partibus cõpoſitis, ut ſunt membra ſimilaria, quæ ex humoribus, & elementis fiũt. Tertia eſt, quando miſta adhuc faciunt tertiam quandam compoſitionem, & poteſt appellari compoſitio decompoſita. Sicut, quando ex ſimilibus membris fiũt membra, quæ organa appellantur. De his tribus conſiderabitur. Modò uidendum, quid ſit alteratio.

Alteratio duplex.

Alteratio eſt duplex; quædam paſſiua dicitur, quædam perfectiua. Paſſiua eſt (ut Ariſt. quinto phyſ. à principio) in primis qualitatibus, calido, frigido, humido, ſicco; mutatio; ſubiecto manente, quando ſcilicet paſſiua qualitas ab actiua corrumpitur. Perfectiua eſt, quæ in patiente ſuo acquirit aliquem habitum perfectionis, ſicut illuminatio in aere, & ſcientia in anima. & hoc non proprie alteratio dicitur; ſed per metaphoram. hæc diſtinctio fuit Ariſtot. tertio cœli ſecundo; necnon ſecundo de anima. 58. De alteratione metaphorica non loquemur nunc; ſed de illa propriè dicta, ex qua reſultat complexio. Complexio autem eſt actus perfectus, reſultãs ex miſtione ſimplicium per alterationem; à qua complexione reſultant omnes operationes miſti illius. Refertur autem ad alterationem; quia fit per alterationem. Quia, niſi miſta alterentur; non fit complexio. Ideo meliùs dicitur

tur temperatura; quia complexio ſignificat potius complicationem. Quia qualitates, quæ in ſimilibus ſunt in ſummo; inducuntur ad quandam mediocritatem, & temperantur. Sed appelletis, ut uultis; dum modò rectum conceptum habeatis; & ſciatis; complexionem eſſe actum ultimum, & ἐντελέχειαν; ex alteratione reſultantem, à qua proueniunt operationes. Forma autem & ipſa eſt perfectio, & actus ultimus. qui reſultat ex ipſa compoſitione, quatenus eſt compoſitio propriè dicta; & refertur ad compoſitionem. & ſicut ſe habet complexio ad alterationem; ita forma ad compoſitionem. & ita uidetis, quomodò differat complexio à forma. differt enim; ſicut ſpecies a genere. In plus enim ſe habet forma quàm complexio. Corpora enim cœleſtia habent formam, ſed non habent complexionem. & ita non omnis forma eſt complexio; ſicut quæcunq; complexio eſt forma. & ita complexio differt ut ſpecies. Videamus modò, quid dicat Auicenna; & utrum ſentiat idem, quòd nos ſupra diximus. Vtrum humores, et elementa; dicantur ſubiectum; quia reducuntur ad unã unitatem; quæ, uel complexio, uel forma appellatur. Et hæc duo ſunt ſubiecta ſecundùm compoſitionem. &, quia duplex eſt compoſitio, ut ſupra dixi; Ideo diſtinxit, dicens (licet ſint cum alteratione) quia iſta compoſitio ea eſt, quæ propriè dicitur, et eſt per alterationem. In iſta autem compoſitione propriè dicta; peruenimus ad aliquam unitatem. & hoc nomen unitas eſt commune ad complexionem, & formam.

Ideo primò usus est hoc nomine; deinde dicit, quòd ista unitas; ad quam terminatur ista compositio humorum, & clementorum; est, uel complexio, uel forma. Complexio est secundùm alterationē. Diximus, quòd complexio est actus ille ultimus, qui resultat ex alteratione miscibilium; & meliùs temperatura appellatur, propter rationes dictas. (Et forma secundùm compositionem.) Cùm sit triplex compositio, proprie dicta, ut diximus; intellexit per compositionem eam, quæ inuenitur in mēbris organicis per admistionem partium similarium. & sensus omnium istorum est; quòd ægritudo, & sanitas; uel est in temperatura similarium partium, uel in compositione organicorum membrorum ex similaribus. Reliqua sunt facilia. Hic solet quæri; unùm quod est uanum. Vtrũ complexio idem sit, quod forma. & de hoc iam audiuistis ex me, quòd differunt inter se sicut genus, & species. Secundò quæritur; utrùm complexio sit uera forma eius, cuius est complexio. De hoc alibi dicetur. Tamen etiam nunc dicamus unum uerbum. Complexio est forma substantialis eius, cuius est complexio, quod, & ratione probatur, & authoritate, Gal. atque etiam Arist. cogitur ita dicere; etiam, quòd nolit. & ratio quidem est, quia, Cuicunq; competit definitio; per locum topicum, eidem competit & definitum. Complexioni competit omnis ratio formæ; ergo &c. Maior patet per se; est enim tanquàm dignitas quædam. Minor etiam; quia complexio nihil aliud est (ut diximus) quàm ultimus actus, resultans ex re-

fractione

fractione rerum mistarum; & est finis motus. At hoc immediatè competit formæ; quia omne agens agit propter introductionem formæ. & forma acquisita; cessat motus, à qua forma proueniunt omnes operationes misti; quòd etiam competit complexioni. Ideo nihil in essentia formæ inuenietis, quod non sit in essentia complexionis. Quare patet ratione; quòd complexio est forma substantialis rei, cuius est complexio. & hoc dixit Galenus in suo illo libro; Quòd animi mores sequātur temperaturam corporis. Vnde credidit etiam animam rationalem esse temperaturam corporis. Immo etiam addit; Aristot. ex suis principijs cogi (etiam, quòd nolit) fateri animam esse temperaturā corporis ex sua scilicet definitione animæ in communi. Sed, quicquid sit; de anima rationali, quia ista est forma diuina taceamus. Vt autem bene dixit multis alijs in locis Gale. (sed de alijs formis mistorum, siue miscililum) constanter est dicendum; formam nihil aliud esse, quàm temperaturam ipsam. Id, quod prædicat Gal. etiam pluribus in locis, & inter alia primo de usu partium, cap. 9. tertio Aphor. 2. et 34. Ideo secundùm mentem medicorum, & Gal. præcipuè; de hoc non est dubitandum. Differt autem complexio à forma ratione tantùm, non subiecto. Dicitur enim temperatura; prout resultat ex alteratione elemētorum; Forma, prout informat corpus. Omnia modò sunt facilia; quia de enumeratione efficiētium causarum, quas hic Auicen. enumerat; etiam epilogando suo loco seriatim dicetur. Transcurratis usque ad locum

Differentia inter complexionem, et formam.

cum

cum illum. Circa autem hoc totum (ſecundùm medicos; & ſecundùm tres ſpecies) quoniam poſſunt hęrere iuniores; ideo aliqua hic dicamus. *Cùm reſoluerit Auicenna omnes cauſas ſanitatis, & ægritudinis; dicit, quòd hoc totum, quod de cauſis eſt dictum; refertur ad tres diſpoſitiones corporis humani. &, non ſolùm ad ſanitatem, & ægritudinem; ſed etiam ad neutralitatem. &, quia uidebat neutram diſpoſitionem à philoſophis nõ concedi; ideo bene dixit* (& hoc totum apud medicos) *tanquàm apud philoſophos non concedatur, et dicit* nos dicemus ſuo loco; quomodò inter duas diſpoſitiones non cadat medium, *hoc autem docebit in ſen ſecunda; ubi de diſpoſitionibus corporis humani aget. &, nè nunc hæreatis, & habeatis mentem ligatam, debetis ſcire optimè Auicennam dixiſſe, mediam eſſe diſpoſitionem inter duas diſpoſitiones, inter quas reuera non eſt medium. Sed dicetis; Quomodò, ſi reuera non ſit medium; eſt tamen medium? Iſtud enim implicat. Si uolumus conſiderare ſanitatem, & ægritudinẽ abſolutè; non eſt dubium, quòd inter iſtas duas non ſit medium, quia opponuntur priuatiuè. Præterea inducuntur ſanitas, & ægritudo; tanquàm formæ in ſubiecto, ſubitò, non per ſucceſsionem. & hoc modo nõ eſt medium inter has duas. Sed eſt medium hoc modo; quia, cùm concedis* fieri alterationem in temperatura per, calidum, frigidum, &c. *uidetur, quòd in alteratione iſta temperaturæ perueniamus ad aliquod medium ſanitatis, & ægritudinis; ſed iſtud medium*

medium non eſt ſecundùm rationem. Sed ita uidetur ad ſenſum non ex parte rei ipſius. Ita enim uidetur, quòd non poteſt iudicari, utrùm ibi ſit ſanitas, an ægritudo. Ideo medici, qui ſunt artifices, ſenſu utentes; poſuerunt mediam diſpoſitionem. Quia, qui iudicant ſecundùm ſenſum; uident in corpore humano talem diſpoſitionem; ut, neq; poſsit nec ſanitas, neq; ægritudo; appellari. & ita patet expoſitio Auic. Et poſtquàm diuiſimus has cauſas; iam collectum eſt à nobis, quòd medicina tractat de elementis, &c. *Notat reſolutiuum, quod fecit ſuperiùs. dixit* diuiſimus *quia reſolutio eſt quædam diuiſio; ex qua reſolutione dicit patere, & collectum eſſe ordinem compoſitiuum; in quo ordine præpoſterè procedendum. Quod enim ultimum erat in reſolutione; primum fit in compoſitione. & hoc patet; quoniam ſatisfecimus huic parti; non eſt quòd repetamus. Ideo accedamus ad finẽ capitis.* Harum autem rerum ſunt quædam; de quibus medico. *Iſta eſt ſecunda pars totius capitis. duo enim proponebamus. Primò uidere reſolutionẽ, ex qua ordo compoſtiuus naſcebatur, per quem eſt tota ars tradenda. Secundò uidere modum, quo ſit tradenda ars medicinæ. Primò in hac ſecunda parte declaremus uerba; deinde uideamus, utrùm rectè ſentiat Auic. Dicit igitur; quòd* quædam ſunt, in quibus debemus eſſe contenti ſcire, quid ſint, utrùm ſint autem, vel nõ; &, quot ſint, & propter quid; prætermittere philoſopho naturali. Quædam verò ſunt; in quibus

quibus etiam medicos ingerere se oportet, vtrùm sint, & propter quid. *Postea dicit; quænam sint illa, in quibus præsupponendum est, utrùm sint, & propter quid, & dicit* ista esse illa, quæ sunt principia artis. *Principia possunt intelligi hoc loco, uel complexa, uel incomplexa. complexa sunt, propositiones, & dignitates; quæ debent credi. ut est illud, Contraria curantur contrarijs, &c. Incomplexa sunt; ut, elementa, humores, temperaturæ. non determinauit autem Auicen. de quibus principijs loquatur. De complexis fortaßis uerum dicit; quia, si uolo probare, quòd contraria contrarijs curentur; oportet me uidere, quòd curatio per contraria fiat per alterationem, quia trãsmutatur subiectum de una qualitate ad alteram. & ita oportebit uidere, quomodò fiat alteratio, quid sit alteratio, & propter quid. & ita iam erit opus physici. Ideo transcendemus, de genere in genus. Immo etiam, si philosophus naturalis uoluerit considerare essentiam cõtrariatã, cogetur & ipse deuenire ad opus metaphysicum. & ita uerum diceret Auic. si de complexis loqueretur.*

Principia ut sunt complexa ut incõplexa.

(Cumq; aliquis medicorum loqui ceperit) *Hic uidetis; quòd principia, quæ dicuntur accipi à medico credita; sunt etiam principia incomplexa. Quia dicit* (siquis medicus voluerit disputare de principijs, humoribus, & tẽperaturis; vtrùm sint, vel non sint; dupliciter peccat) *primo quia intromittit se in id, quòd est philosophi naturalis. secundò; quia facit circulum in demonstratione. probat enim*

enim nota per ignota; & superiora per inferiora.

LECTIO. VII.

(Eius verò, de quo medicus formare debet) *Præscribebat uobis Auic. modum, qui seruari debet in docendo. Modus autem erat, nè pertransiremus proprium genus. Quia quando proprium genus pertransimus; nõ ampliùs sumus doctores illius scientiæ. &, cùm hoc dixisset; cæpit declarare modum magis particularem. & dixit* (quædam esse, de quibus medicus debet quærere solum in genere, quid sint, omissis alijs. Quædam verò esse; de quibus quærendum non est,) *Secundò postquàm sunt quatuor quæstiones, de quibus quæritur; an sit, quid, quale, propter quid; ex his unum tantùm dicit Auic. debere inquiri à medico, quid sit res in tradendis principijs. hoc, cùm dixisset; cæpit numerare per catalogum, quæ nam sint ea, de quibus credere debet medicus, utrùm sint, uel non sint, & propter quid sint, & quomodo sint; & dicit.* (Talia esse elemẽta, & humores &c.) *et breuiter talia sunt omnia, quæ supra dixit esse causas sanitatis, & ægritudinis. In his enim omnibus dicit Auicen. satis esse; si sciat medicus, quid sint. &, nè hic erretis; neq; credatis, quòd hic Auic. quando dicit (sciendum esse à Medico de his principijs tantùm, quid sint) uelit, ut inuestigemus definitionem horum principiorum eo modo, quo docetur in secundo posteriorum. Quia hoc modo essent quærendæ, & sciendæ omnes causæ definitionis. Sed sufficit*

ſufficit habere uerum conceptum definitionis per ſuas cauſas;acceptas tamen à philoſopho naturali, & creditas. Nam *inueſtigare definitionem elementi per ueras, & proprias; cauſas; non eſt medici, ſed philoſophi naturalis.* Ideo *dicit ea,quæ inquiri debẽt, et quid ſint,& utrùm ſint, & propter quid ſint, & quo modo, & talia ſunt ea, quæ emanant ex principijs.* Modus *autem inquirendi talis eſt.* Exemplum *in ægritudine.* Quia *non ſolùm oportet ſcire, quid ſit ægritudo;ſed etiam propter quid.* Quia *nõ poteſt tolli ægritudo;niſi tollatur cauſa.* Quærendum *etiam eſt utrùm ſit ægritudo,quia ſæpe occulta eſt.* Quærendũ *etiam, quo modo ſit; quia qualitates ægritudinis plurimùm conducunt ad medicationem. & ita in alijs eſt faciendum.* Iſta *eſt ſententia* Auic. *& clara ſatis.* (Et cuiuſcunque eorum occultum fuerit; ad illud declarandum demõſtrationem afferre debet, diuidendo, numerando,complendo.) *In hoc torquentur omnes expoſitores;neq; aliquis eorũ mentem attigit. & reuera, quando* Auic. *dicit* vbi eſſe rei occultum eſt; debemus, &c. *Iſtud uidetur quiddam enigmaticum; ſed facile eſt, ſi recordamini, quæ dicta ſunt in noſtra methodo.* Quãdo *eſſentia rei occulta eſt;non habemus ſyllogiſmum, neq; demõſtrationem; ad inquirẽdam eſſentiam iſtius rei, quia neſcimus definitionem. Sed quid facimus?* Per *diuiſionem confuſi generis procedimus,donec deueniamus ad aliquam differentiam determinatam, quæ oſtendat nobis eſſentiam rei.et,cùm per diuiſionem inuenerimus differentias*

eſſentiales; colligimus partes omnes eſſentiæ,demum complemus ipſam definitionem et hoc naturale eſt. Nam,*ſi quis uelit rem inuenire,quæ in magno rerum aceruo ſit; incipit diuidere totũ aceruum. & non ſolùm diuidit; ſed etiam ſegregat ea, quæ uidentur eſſe ſimilia; ab alijs.poſtea colligit,quæ ſegregauerit; et complet tandẽ negocium ſuum,re inuenta. hoc uoluit* Auic. *& nihil aliud.* Demonſtrationem afferre, *hic modò intelligit demonſtrationem ſyllogiſticam,ſecundùm quancunq; declarationẽ, quæ fit diuidendo, poſtea colligendo partes per diuiſionem acceptas,& poſtea complendo.* Nõ *enim dicitur ceſſare à diuiſione;donec differentias omnes iam inuenerit;* Quibus *inſimul collectis, compleat tandem definitionem.* Iſtis *modò determinatis;carpit* Galenum, *& dicit.* (Gal. peccaſſe; quòd præuaricatus fuerit hanc legem. Quia voluit cauſas principaliter inueſtigare. Quod nõ debuit facere,tanquàm medicus; ſed tanquàm philoſophus, & affert exemplum. nam ſicut promulgator legis ſui regis debet tantùm promulgare legem; non afferendo aliquam rationem, propter quam talis lex lata ſit, inquantũ eſt promulgator. ſi autem etiam reddat rationem illius legis populo; iſtud non facit,vt promulgator; ſed,vt ſuperioris,& regis,partes agens, *ita dicit* Aui.*quòd* ſi quis in medicina velit reddere cauſas principiorum; hoc non faciet, vt medicus; ſed, ſicut philoſophus *iſtud uult dicere*

cere Auic. licèt obscurè hoc dicat. Quia utitur suis uocabulis Arabicis Alphachi, & mutachelim per alphachim; intelligatis eum, ad quem attinet tantùm promulgare legem. Per autem; Mutachelim eum, ad quem attinet reddere rationem illius legis, sicut esset rex ipse. Ita debet (inquit Auic.) facere medicus, aliter fiet circulus; probando nota per ignota, et ignota per nota; quòd est uanum. Ista est mens Auic. Examinandum autem est istud; utrùm uerè senserit Auicen. nos igitur duo faciemus. Primò uidebimus, utrùm de principijs quærendum sit tantùm, quid sint, prætermißis omnibus alijs quæstionibus; an non. Secundò; utrùm meritò carpserit Auic. Gal. De principijs igitur primò dimisit Auic. distinguere principia, quia quædam sunt complexa, quædam incomplexa. complexa sunt dignitates, & propositiones, acceptæ, & creditæ in arte; ut est illud (contraria contrarijs curantur) hoc reuera est supponendum; & propter quid sit, & utrùm sit, & quo modo sit. Sufficit habere conceptum rectum talium principiorũ, quòd sint; reliquæ uerò quæstiones sunt philosophi naturalis. Principia autem incomplexa sunt ea, quæ diximus; causæ. s. materiales, formales, & efficientes, & finales. et circa hæc principia non concedimus, quod dicit Auic. Quia de his non solùm quærendum est, quid sint; sed omnes aliæ quæstiones. et non fecit hoc tantùm Galenus; sed etiam Hip. Qui in libro de natura humana, non solùm inuestigauit, quid sint elementa; sed utrùm sint, an sint unum, an plura, et quomodo alterentur

terentur. Idem fecit Hip. et de humoribus. et ratio erroris Auic. fuit; quia, cùm uerum proposuisset Auic. quòd scilicèt non transgrediendum sit proprium genus; non habuit postea ueram methodum distinguendi quo modò transgrediamur proprium genus, uel non transgrediamur. Ideo non potuit rectè pronunciare; quæ nam sint illa, de quibus quærendum sit tantùm, quid sint, alijs omißis quæstionibus; et quæ nam sint, de quibus omnes quæstiones quærendæ sint. Nõ enim eadem (de quibus tantùm inquirendum est, quid sint) sunt ea principia, de quibus sensit Auic. immo de illis etiam quærendum est, utrùm sint, et quot sint, et quo modo sint. Cognoscitur autem quo modò transgrediatur proprium genus, uel non; ex ratione finali, ut dicitur sexto methaphysicæ, tertio; et diximus nos alias. Nam, quæ non faciunt ad proprium finem artis; illa transeunt genus. & non est de illis inquirendum; nisi quid sint sub conceptu tantùm uero; sicut in medicina quæcunq; non faciunt ad sanitatem sunt dimittenda. Quæ autem faciunt ad finem; ea omnia sunt inuestiganda, et omnes quæstiones. & hanc sententiam, & scopum; aduertit ex Hip. de loc. aff. Gal. Quare; si elementorum numerus, et modus mistionis eorum; plurimùm conferat ad sanitatem, ut ostendit Hip. qui ex dolore inquirit numerum elementorum; Ideo de elementis etiam quærendũ est, an sint, et quot sint, et quo modo. Bene uerum est, quòd medicus pro alijs medijs debet inquirere de elemẽtis, et huiusmodi, quàm inquirit philosophus naturalis. Proprijs enim medijs medicinæ

cinæ debet inquirere medicus. Quod obser uauit Hip. qui ex dolore inquirit numerũ elemẽtorũ. Arist. autẽ, ipse propijs medijs, et naturalibus; inquirit hoc idẽ. et ita circa hãc partẽ errauit Auic. Quòd autẽ in ægritudinibus non semper sunt inquirẽdæ quæstiones propter quid, & quo modo; contra Auic. in alia parte est authoritas Gal. 1. de Elementis. Dicit enim ibi, quòd sunt quædam ægritudines, & medicamenta; de quibus non quærendum est propter quid, & quo modo. nam non debet medicus inquirere propter quid ulcera caua difficilè sanentur, istud enim ad mathematicum pertinet; neq; propter quid rhabarbarum purget choleram. & ratio est; quia hoc nihil attinet ad artem. hæc enim est propria regula; quæ docet, quo modo transgrediatur proprium genus, uel non. & hæc de primo. Vtrùm uerò Auic. rectè carpat Galenum, quòd transgrediatur proprium genus; non equidem negauerim hoc, quòd Galenus aliquãdo hoc non faciat; sed non ab re fecit hoc Galenus, quia duplicem Scopum habuit in tradenda medicina; alterum tradere ueram medicinam; alterum demoliri opiniones antiquorum, & sophistarum cauillationes. Vnde se excusat, de hoc, & de prolixitate etiam sermonis; et dicit hunc errorem non sibi, sed sophistis debere imputari. Cogitur enim propter eos, & propter falsas antiquorum opiniones; aliquando euagari ad ea, quæ sunt philosophi naturalis. At, cùm uult tantùm tradere medicinam; omißis sophistis, & antiquorũ erroribus; exactißimè se continet intra proprium genus

nus, ut uidere potestis in illis diuinis libris de causis morborum, & symptomatum. Quare patet, quòd Auic. & malè rem ipsam determinauit, & non satis iustè Gal. reprehendit.

AVIC. LIB. PRIMI FEN PRIMAE,

LECTIO. VIII.

Doc. 11. De Elementis. Caput.

ELEMENTA sunt corpora simplicia, &c. *Audiuistis, quòd in his tribus capitibus superioribus Auic. proposuerat resolutionem, ex qua ordinẽ compositiuũ consecuturus erat. Hoc cùm fecisset, et diuisisset librum suum in fen. i. in particulas, (quæ, cùm partes sint; tamen sunt integræ per se,) fen. autem in doctrinas; Doctrina autem est pars partis distinguens rem à re; Incipit in doctrina secunda aggredi ordinem compositiuum, quem in doctrina prima per resolutionem inuenit ita; quod dicit* Doctrina secunda, cuius est vnum capitulum. *Tractat igitur in hac doctrina de elementis eo modo, quo promiserat. Dixit enim; de principijs quærendum esse tantùm, quid sint; omittendo, utrùm sint, et propter quid sint, et quo modo sint. Dicit igitur, quid sint; et consequentia quædam. et primò de elementis in uniuersali; secundò de singulis ipsorum. In prima parte definit elementa. Vt autem habeamus ueram cognitionem istorum; est primò sciendum, istam uocem (elementũ)*

nihil aliud significare, quàm id, quòd est indiuisibile in re composita. Et ita omnes conceperunt, quòd characterismus elementi sit ipsa indiuisibilitas. Ita grammatici appellant elementa; ex quibus syllabæ componuntur. Ita Euclides profata, et postulata; ex quibus demonstrationes componũtur. Ita musici tonum grauem, et acutum; elementa appellant. Ista indiuisibilitas accipitur, uel secundùm formam, uel secundùm materiam. Secundùm materiam est secundùm quantitatem. Talis autem indiuisibilitas accipiebatur à Democrito, et Leucippo; qui ponebant atomos esse elementa rerum omnium. Ita etiam accipiebat Anaxagoras. Plato, autem et Arist. non ita acceperunt istam indiuisibilitatem, sed secundùm formam. Sed diuersimodè quidem hi; hoc est Plato, et Arist. accipiebant. Nam Plato accipiebat quoddam uniuersale, existens extra rem, quã appellauit ideam. At Arist. huius modi ideas semper monstra existimauit. aliter intellexit secundùm formam, idest secundum speciem ita; ut elementum sit indiuisibile secundùm speciem, quia aerem diuidetis secundùm partes quantitatiuas; sed non secundùm formam, id est speciem. Quia minima pars aeris æque bene est aer, sicut totum. at caro, licèt uideatur esse elementũ; tamẽ partes eius diuiduntur secundùm formã; Quia aliqua eius pars est aer, aliqua est terra, aliqua ignis, aliqua aqua. Ita accipiemus nos, q̃ sumus peripatetici, 5. metaphy. 4. Elementũ est id, ex quo res cõponitur primum inexistẽte indiuisibili specie in aliam speciem. et sunt in hac definitione tres conditiones.

Prima; ut res cuius est elementum; sit composita ex ipso primùm. Secunda; ut inexistat elementum in ea re. Tertia conditio; ut sit indiuisibile secundùm speciem. Elementum diuiserunt peripatetici primò in materiam primam, deinde in quatuor corpora simplicia; 4. cœli. 37. et. 3. cœli. 30. et materia prima maximè est elementum; quia ipsi primò competunt tres conditiones, secundariò corporibus simplicibus. Auic. hic non materiam primam, sed quatuor simplicia corpora; intellexit. Dicit igitur Auicen. quòd quatuor corpora simplicia sunt elementa, & sunt partes primæ corporis humani; & in alia corpora diuersarum formarũ diuidi non possunt. *Hæc definitio habet omnes conditiones optimæ definitionis. Dicit igitur primò, quòd* (elementa sunt corpora) *per quod distinguit à materia prima. Quia materia habet quidem conditiones omnes, & proprias elementi; sed non est sub genere corporis. addit* (& sunt partes primæ corporis humani, & aliorum) *Hæc conditio facit, ut ista corpora sint uera elementa, Quia hæc est prima conditio secundùm Aristot. ut res componatur ex ipso elemento primùm. Quæ tamen corpora diuersarum formarum minimè. Ista est alia conditio elementi, quæ erat tertia apud Arist. & per hanc separat ab humoribus. Quia humores componũt quidem primò membra similaria; sed tamen possunt diuidi in partes diuersarum formarum; ex quorum cõmistione ista tertia conditio apud Auicennam optimè posita est;*

ta est; quia etiam à Democrito, & Leucippo ponebantur atomi, qui erant corpora, ex quibus primò res componebantur, & non poterant diuidi in partes diuersarum formarum, at ipsorum non erat commistio, quia non erat eorum alteratio, sed iuxta positio. Ideo distinguit Auic. per hanc elementa ab atomis istorum philosophorum. ex ista definitione ita intellecta; apparet illa quæstio esse uana, utrùm elementa in rerum compositione diuidantur ad minima. secundùm materiam, an secundùm formam. Iam enim diximus de conditionibus elementi esse; ut sit indiuisibile secundùm formam, non secundùm materiã. Apparet secundò, quo modo sit intelligendum dictũ Gal. in primo libro de elementis in primis statim uerbis, quando dicit (elem. est minima pars rei, cuius est elementum) minima pars intelligenda est secundùm formam. licet (si propriè loqui uoluisset) nõ ita debuisset dicere, sed (simplicissima pars) quia. 4. cœli, ut dicit Auer. 42. minimum proprie intelligitur de quantitate, sicut simplicissimum intelligitur de forma. Tamen ibi Auerr. non intelligit de minimo materiali, sed de minimo naturali. i. de eo, sub quo potest stare forma naturalis. & hoc declarat ipse Auer. sed hæc satis de definitione communi elementi. Hic est unum uidendum necessarium scitu, antequàm ad definitionem particularem accedamus. Dixerat Auicenna in definitione. ex quorum commistione &c. Expedit hic scire, quomodo ex mistione elementorũ fiant generationes rerum. & hoc est utile ad artem nostram;

Notan.

stram; quia ex mistione elementorum fiunt temperaturæ diuersæ, quæ sunt causæ sanitatis, & ægritudinis. & est præterea res scitu iucundissima. Sed non possumus scire causas mistionis elementorum; nisi sciamus causas generationis elementorum. Quia eadem est causa mistionis elementorum; quæ est generationis elementorum. & ita primò uidendum est de causis generationis elementorum. Sunt autem causæ quatuor generationis elementorum. & primò est causa materialis. Hoc unum præsciri oportet, quòd à concau orbis lunæ usque ad centrum; totum est repletum materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis. Quæ quidem materia est informis, receptiua tamen omnium, tanquàm in nube cognoscens. Ouid. primo Metam. dixit hoc nomine (chaos) formarum, & alterationum. Sed, quæ est causa distinguens formas in ista materia ornanda? Quæ inquàm est causa efficiens distinctionis formarum huiusmodi materiæ? Procul dubiò est (ut dicit Auer. in sua paraphrasi metaphy. cap. 4.) motus primi mobilis. Debetis igitur scire, quòd magnus ille motus, qui etiam diurnus appellatus est; est uelocissimus, & trahit secum uiolenter omnes sphæras. Scitis autem ex primo meteororum; quòd à motu, & lumine generatur calor. & ex maximo motu, & maximo lumine; generatur maximus calor. Sed maximum motum supposuimus in primo mobili; unde est etiam maximum lumen. maximus igitur calor inde nascitur. & ,quò magis aliquid appropinquat illi motui primi mobilis; eò

magis calescit. Ideo materiæ istius, quæ semper fuit (sicut etiam dixit Albertus in libro de quatuor causis) pars illa in concauo orbis, quæ magis appropinquat motui, & lumini primi mobilis; magis calefacta est. fuit enim necessarium, ut susciperet maximũ calorem per motum maximum, et lumen maximum propinquissimum. Ex quo factum est, ut euaporauerit omnis humiditas propter maximum calorem; ideo facta est calida, & sicca in summo; ex quo consecuta est summa raritas, & summa subtiliatio, et summa depuratio. & ex hoc facta est summa leuitas. & ideo factum est; ut huiusmodi substantia, quam ignem appellamus; nũc facta sit similis corporibus cœlestibus, quia habet plurimas similitudines cum eis, scilicet lumen, puritatem, &c. Et, cùm assimiletur illis, necnon omne simile conseruatur à simili; Ideo sicut formam similem habuit illis, ita habuit appetitum propriũ naturalem, ut maneret in loco. in quo posset conseruari, quia unumquodq; conseruatur à simili. & locatum conseruatur à loco; ideo sortitur primum locum in concauo orbis lunæ; &, si infi a apud nos fuerit; mouetur sursum ad proprium locum à natura sua, nisi impediatur. & ista natura principaliter dicitur de forma. Forma igitur ignis est illa, quæ facit ipsum mouere, & quiescere in suo loco. Ista forma est leuitas tertio cœli. Arist. & Auer. in sua paraphrasi, & Alexander; secutus est hanc sententiam. Quòd scilicet grauitas, & leuitas sit forma elemẽtorum. & ista est mens uera peripateticorum. habet igitur leuitatem,

tem, uel tanquàm formam propriam, uel tanquã quid maxime essentiale, & formæ coniunctum. Habetis igitur causam efficientem huius elementi (qui est calor, effectus à motu primi mobilis, & lumine) et, quomodo sortitus sit suam formam, & sua accidentia, consequentia essentiam. Habetis etiam causas suorũ accidentium. &, cùm hæc iam de igne habueritis; uideamus de alijs elementis. Subsequitur, quòd habet eandem materiam (cùm sit eadem materia elementorum omnium.) Vndè alterantur, & mutantur inuicẽ. Sed, quia aer non potuit ita calefieri sicut ignis, quia calor non erat in summo, ex eo, quòd non erat materia ita propinqua motui, & lumini; Ideo habuit quidem caliditatem. Sed, quia in summo non fuit caliditas; nõ potuit absumere humorem, sed depurauit tantum materiam, & rarefecit, & fecit leuem. Ideo aer fuit calidus, & humidus, rarus, purus, & leuis. Sed, quia calor non fuit in summo, sicut in igne; propter maiorem distantiam à motu primi mobilis; & lumine; ex quo, neq; potuit absumere humorem, ideo neq; leuitatem, neq; raritatem, neq; puritatem; in primo loco habuit, sed in secundo. & quoniam concauum ignis; & infima pars ignis, remisit suas qualitates essentiales, & formam propriam ita, ut multùm communicet cum aere; Ideo aer ad sui conseruationẽ naturaliter habuit locum suum penès concauum ipsius ignis. Aquæ autem materia, quoniam multùm aberat à motu, & lumine; Ideo non potuit multùm calefieri, quare remansit frigida. Quia autem, & caliditas mo

dica fuit; neq; tanta, ut potuerit absumere humiditatem; neq; frigiditas fuit in summo; neq; tanta, ut potuerit constringere materiam, & exprimere humidum; Ideo remansit aqua frigida, & humida. Nam (quò ad eius frigiditatem attinet) nè credatis aquam esse frigidam in summo, sicut multi existimauerũt, non rectè intelligentes dictum illud philosophi. Aqua est primum frigidorum. nam, quòd non sit ita intelligendum; duobus modis potest demonstrari, ratione, & sensu. Ratione quidem; quoniam aqua in ordine elementorum non est id, quod longissimè abest à calore, sed hoc est terra. & ideo neq; potuit esse frigida in summo. Sed hoc esse (scilicèt frigidum in summo) est proprium terræ. nam quantò magis terra abest à calore, quàm cætera omnia elementa. Tantò etiã debuit esse frigidior cæteris omnibus elementis. Sensu etiam hoc probatur; quia, si aqua esset frigida in summo; nihil reperiretur frigidius ipsa aqua. Videmus enim grandines, glaciem, & gelu; esse longe frigidiora. non igitur ita est intelligendum aquam esse primum frigidorum; neque istud uoluit Aristoteles; sed hoc uoluit, quòd aqua sit primum frigidorũ. Quia, sicut alia elementa per unam ex quatuor qualitatibus sunt talia elementa, sicut aer per humiditatem, unde dicitur primum humidorum; Ita etiam aqua per frigiditatem est aqua. Nam, quò ad alteram suam qualitatem non est aqua, sed communicat cum aere, & est potius aer. Vnde uidemus, quòd, si ab aqua remoueatur frigiditas; fit aer, ut uidemus in aqua efferuescente in

te in lebete. Pars enim illa, quæ magis feruet, & propter maiorẽ caliditatem rarescit; transit in uaporem, et in aerem. Sed de hoc satis. Remansit ergo aqua frigida (sed non in summo) et humida. In frigiditate quidem minus frigida, quàm terra. In humiditate autem; magis humida, quàm aer. Quia; quantò magis diminuta fuit caliditas in aqua, quàm in aere; tanto magis abundauit humiditas, quia minus de ea potuit absumi. Quantò etiam magis defecit à caliditate; tantò etiam magis defecit & à leuitate, & à raritate, et à puritate. Ista enim accidentia sunt intensiora, uel remissiora secundùm gradum, et proportionem caloris. Fuit igitur aqua, & minùs leuis, & minùs rara, et minùs defecata; quàm aer; magis autem, quàm terra. &, quia concauum aeris, & ultima pars aeris; erat multùm similis in suis qualitatibus aquæ; ideo aqua sortita est suum locum post concauum æris, in quo posset cõseruari, ut in simili. Ambitur igitur à concauo aeris. Vltimum elementorum est terra. Quæ, quia longissimè aberat à calore, & à motu, & lumine; ideo remansit frigidissima omnium elementorum. &, quia frigiditas ista fuit in summo; ideo constipauit, & cõstrinxit materiam. & ita constrinxit; ut congelauerit omnẽ humiditatem. reddita igitur est frigida, & sicca. &, quoniã non adfuit calor, qui dilataret et rarefaceret; ideo reddita est grauis, densa, et fæculenta. Ex quo consequenter etiam ultimũ tenuit locum. Cùm enim sit maximæ grauitatis; non potuit alibi quiescere, quàm in centro.

LECTIO. IX.

IAM perfecimus de causa, materiali, formali, et efficiente; restant autem causæ finales. De quibus antequàm aliquid dicamus; oportet meliùs discutere duo; quæ non quantùm oportebat; explicauimus; et, cõtra quæ aliquis instare posset. Primum est; quia dixi ego humorem esse annexum, et concentratũ materiæ primæ. Alterum est; quia dixi aquam non esse in summo frigidã, neq; ita debere intelligi illud, aqua est primum frigidorum. Quantùm ad primum; dubitaret aliquis, quomodò possit humiditas esse annexa materiæ primæ, quia humiditas est accidens; accidens autem non potest esse, nisi in composito, existente in actu per formam; & non in eo, quod est purè in potentia. Sciẽdum igitur est; quòd accidens terminatum nõ potest esse in materia prima. at accidens interminatum non inconuenit, ut sit in materia prima. nam et priuatio, quæ est aliquid; est in materia prima, neq; est purum nihil. Sed dimittamus de priuatione; et dicamus; quòd, non solùm non inconuenit sed est necessarium; imaginari in materia quantitatem interminatam, ut scilicet possit inde prodire corpulentia. & plerique, philosophorum doctissimi, hoc dixerunt; quia non uidebant, quomodo à sola forma posset oriri corpulentia. Immo plurimi fuerunt; qui posuerunt in ea corpulentiam. i. formam corporeitatis. & non equidẽ sum primus, qui dicam hoc; sed dixit hoc Arist. et Auer. secũdo coll. cap. primo, scilicet quòd humidũ est proprium subiectum caloris in generatione omnium rerum. Siccum enim non est

est subiectum in generatione; sed magis communicat cum qualitatibus actiuis. Secundo uidemus, quòd humidum est interminabile proprio termino, sed terminabile alieno termino; et est informæ quiddam, quod est proprium materiæ. Tertiò uidemus, quòd humidum est terminatiuum, idest continuatiuum. & quicquid continuatur; per humidum continuatur. siccum enim, si continuat; ratione humidi continuat. et hoc etiam est proprium materiæ primæ. Quartò uidemus humidum esse destructiuum, et obtusiuum omnium operationum. siccum autem adiuuat omnes operationes. Vnde dixit Democritus (spiritus siccus; anima prudens) Ideo bene conuenit humidum ipsi materiæ; materia enim destruit operationes. hoc humidum est maximè receptiuum formarum omnium. siccum enim resistit receptioni ipsi; et quicquid recipit respectu humidi recipit. Ideo mulieres non multùm resistunt ad receptionem, et facile recipiunt; quia humidæ sunt. Sextò humidum est causa corruptionis, quarto meteor. sicca autem resistunt putredini; et, si uerè sicca sint; nunquàm putrescunt. Ideo uidemus humiditatem maximè attinere ad materiam; quia materia est causa omnis corruptionis. & propter hoc fabulati sunt poetæ antiqui ex terra ualdè humida in primordijs generationis ipsius generatum fuisse pythonem serpentem, qui deuastabat omnia sata; sed fuisse interemptum ab Apollinis sagittis. Indicat enim hæc fabula mystica propter humiditatem maximam esse ortam putredinem, quæ deuastabat, et corrumpebat omnia; quæ potuit

ſtea fuit ſublata radijs ſolis. Et ita uidetis; non fuiſſe abſonum, quòd humidum interminatum ponatur coæternum cum materia. Bene tamen uerum eſt; quòd humiditas determinata eſt rei compoſitæ tantùm, & conſequitur compoſitionem. & hæc quantùm ad primum. Quantùm ad ſecundùm, quòd, aqua non ſit frigida in ſummo, ſicut plurimi malè intelligentes Ariſt. dixerunt; oſtendam primò rationibus, deinde experimento, & authoritatibus. Video enim, iſtud adeò eſſe infixum mentibus multorum; ut non poſſit facilè eradicari. Prima ratio eſt hæc. Quanto aliquid magis diſtat à calore, & cauſis caloris; illud tanto magis eſt frigidum. Propterea dicebatur; ignem omnium eſſe maximè calidum; quia maximè eſt propinquus, calori, motui, & lumini. Terra autem contra maxime omnium diſtat à calore, & cauſis caloris; ergo terra omnium eſt frigidiſſima. non ergo aqua eſt frigida in ſummo, ſed terra. Alia ratio eſt hæc. Sicut grauitas, & leuitas ſunt quædam formæ, quæ ſequuntur ex caliditate; Ita pro genere caloris ſequitur maior, uel minor intẽſio harum formarum. & quanto maior eſt caliditas, tanto maior eſt leuitas; ideo ignis eſt leuior aere, quia etiam calidior eſt. Cõtra; aer grauior quidẽ igne; leuior autem aqua; quia calor eſt maior, quàm aquæ. Ideo partter terra grauior eſt, quia frigidior. Cùm ſit igitur terra grauior quàm aqua; ideo apparet ipſam eſſe frigidiorem etiam, quàm ſit aqua. Tertia ratio eſt ſumpta à denſitate. Quãto enim aliquid eſt magis denſatum; tanto eſt magis frigidũ; quia frigiditas eſt cauſa

denſitatis. At terra eſt maximè omnium denſa; ergo, &c. dixit hoc etiam Alexander primo quæſtionum, quæſtione decimaſeptima. Sed præter rationes ſunt etiam experimenta manifeſtiſſima, rationibus fundata. Quia uidemus, quòd omnia miſta, quæ habent prædominium terræ; ſunt lõgè frigidiſſima; quàm, quæ habent prædominium aquæ. accipiatis enim aquã frigidiſſimam, etiam in maxima quantitate; & exhibeatis pro potu ægro homini, ut laboranti febre ardente. Non enim ſolùm non interficiet hominem; ſed ſanabit. At ſi quis det non magnam quantitatem, ſed drachmam opij, uel mandragoræ; tunc interficiet etiam ualidiſſimum hominem. et hoc eſt propter prædominium terræ. Neq; eſt dicendum, quòd medicamenta iſta faciant hoc ratione occultæ formæ, quia Gal. non admittit hoc, ſed uult fieri ab iſtis uenenis ratione frigiditatis. & addit Gal. unum; dicens. uenena iſta ideo interficere; quia frigiditas ipſorum adeò eſt intenſa, ut non poſſit uinci à calore, ſed uincat calorem. Immo dicit; quòd, ſi uenenum uincatur à calore; non ampliùs erit uenenum. Præterea uidemus, gelu, & niuem, eſſe frigidiora, quàm aquam. Sed dicet quis; quòd quando in niue, & gelu, eſt frigiditas ita intenſa; iſtud eſt, quia aqua condenſata eſt; & ideo qualitas aquæ condenſata fit magis frigida, quia quæq; qualitas dẽſata, et unita, fit ualidior. ſicut etiam eſt maior caliditas ignis in ferro, quàm in palea. & ego hoc concederem, quia neque ego propter aliud dico eſſe maiorem frigiditatem in terra, quàm in aqua; niſi, quia frigiditas eſt ma-

gis condensata. Si igitur gelu propterea sit frigidum, quia est condensatum; sic etiam terra erit frigidissima, quia materia est condensata. Ideo argumẽtum retorquetur. relinquitur igitur; quòd terra sit frigidissima omnium elementorũ. Præterea; Galenus dicit, aquam fontanam non esse ualde frigidam; ideo consulit; ut, quando uolumus exhibere aquam multùm frigidam; extrinseco aliquo refrigeremus magis ipsam. Potest igitur dictum illud (aqua est primum frigidorum) non esse ita intelligendum, ut aqua sit frigida in summo. Quo modò autem intelligi debeat; iam ostendam; supponendo unum, quòd humiditas sit qualitas quædã interminata, coniuncta materiæ; & sit ista qualitas maxime omnium materialis, ut superiùs ostendimus. Dico igitur (hoc supposito) quòd, cùm ista massa informis incepit excitari, & calefieri à calore; sequutum est, ut pars materiæ, quæ magis propinqua erat calori; facta fuerit rarior, & leuior, & subtilior; quàm omnis alia pars materiæ. hoc autem à calore factum est; quia prorsus omnem humorem absumpsit; Ideo ignis constitutus est propter calorem; non quòd ignis sit calidissimus omnium (licèt & hoc sequatur) sed propter calidum, absumens omnem humiditatẽ, habuit suam formam, et suum characterismum. Sequitur postea aer; Qui quidem, quoniam longiùs abfuit à calore, quàm ignis; ideo non tantùm potuit rarefieri, et attenuari, ut omnis humiditas euaporauerit. Quare, cùm non potuerit humiditas absumi; cõstitutus est aer per ipsum humidum; nam per calidum non potuerat constitui,

stitui, nisi ignis. Si enim calidum ita fuisset intensum, ut absumere potuisset omne humidum; iam non aer, sed ignis; factus fuisset. Postquàm igitur per calidum non potuit constitui, nisi ignis; relinquit, ut per humidum constitutus fuerit aer. Et hac ratione dictum est, aerem esse primum humidorum; non, quòd sit aer humidus in summo (Est enim aqua longè humidior, quàm aer) sed, quia aer habet suum characterismum, ut sit aer per humiditatem, et primum est omnium, quæ per humiditatem constituta sunt. Tertio loco fuit materia aquæ. Hæc, cùm adhuc magis abesset à calore, et à causis caloris, quàm aer; minùs etiam potuit rarefieri, & attenuari. Modò humiditas ipsa interminata materiæ fuit condensata à frigido; & ita per frigidum constituta fuit aqua; quia per calidum non poterat constitui, nisi ignis; per humidum autem, nisi aer. Cùm igitur aqua per frigidum facta fuerit aqua, & à frigido suũ acceperit characterismum; hoc est, ut sit aqua; hac igitur ratione dictum est, Aquam esse primũ frigidorum; non, quòd sit frigida in summo, & frigidior quàm terra. Vltimo loco fuit materia terræ; quæ, quia longissimè omnium aberat à calore, & à causis caloris; propterea minimè omnium potuit rarefieri, & attenuari; cùm attenuatio, & rarefactio: fiat à calido, & maximè omnium remansit frigidissima. Et adeò fuit intẽsa frigiditas; ut prorsus condensauerit omnem humiditatem, & ita constrinxerit; ut reddita sit siccissima, & primum siccorum; nõ, quòd sit sicca in summo, quia ignis longe siccior est; in quo humiditas non fuit congelata,

gelata, sed absumpta per siccitatem. Igitur terra constituta est terra; quia, cùm propter maximam frigiditatem tota humiditas fuerit congelata; reddita est siccissima. Ignis autem, quoniam est formalissimus omnium; formalitas autem est propter calorem; ideo conuenit, ut ignis, non solùm sit constitutus propter calorem, sed sit etiam calidissimus omnium. Et hæc sufficiant ad illa duo, cõtra quæ aliquis dubitare potuisset.

LECTIO. X.

Restat, ut de causis mistionum agamus. Nam hoc fuit causa finalis generationis elementorum; fuerunt enim generatà propter generationem corporum mistorum. Neq; enim est mirũ, quòd elementa sint propter mista; quia mista sunt nobiliora corporibus simplicibus. Et sunt nobiliora tripliciter; tùm propter operationes, tùm propter formam, tùm propter materiam. Ratione quidem operationum; quia operationes elementorum sunt operationes simplices tantùm, sicut calefacere, frigefacere, &c. operationes autem mistorum habent præter has multas alias nobiliores, ut in metallis; & nobiliores adhuc in animalibus; & adhuc nobiliores in homine, in quo sunt etiam operationes diuinæ. Ratione autem formæ; quia formæ elementorum sunt in excessu, & inæqualiter. At in mistis formæ habent maximam æqualitatem per formas refractas, quæ accedũt ad æqualitatem cœlestem. Ratione ueró materiæ; quia materia mistorum est materia ornata priùs alijs formis. Materia autem elementorum

torum est materia informis, & prorsus rudis. Materiæ autem nobilitas est propter formam. & eò nobilior est omnis materia; quò nobiliori forma fuerit ornata. Causa igitur finalis, propter quam elemẽta fuerunt generata; est, ut non deesset materia pro generatione mistorum. Nam ex materia prima nihil aliud poterat generari præter corpora ipsa simplicia; pro diuersitate enim proportionis caloris generabatur, modò ignis, modò aer, modò aqua, modò terra. At ex horum mistione diuersa; diuersæ generãtur mistorum formæ, ac propè infinitæ, & uarijssimæ; iuxta uarietatem propè infinitam mistionum. Quoniam autem finis supponit, & dat nobis intelligere; efficientem causam. (Quemadmodùm enim agens agit propter aliquem finem, ita omnis finis ab aliquo efficiente emanat.) Ideo oritur hic maxima quæstio, quæ nam fuit causa efficiens rerum omnium, quæ in hoc orbe sublunari per mistionem generantur. In qua quidem generatione aliter respondent Theologi, aliter Philosophi, aliter Medici. Ego breuissime de hac quæstione aliqua dicam, sed quæcunq; dicam; dicam, ut peripateticus, & ut medicus. Nam quando Theologicè de ea loqui uoluero; totum fortè oppositum dicam. Nihil autem existimo deterius in philosophia posse contingere; quàm cũ ea Theologiam commiscere. Hinc est, quòd nullum unquàm uidi rectè philosophatum; qui Theologiam cum Philosophia uoluerit permiscere. Hinc est quòd Auicenna in infinitos penè errores incidit. Hinc est etiam; quòd omnes, Scotistæ, & Thomistæ;

mistæ; dum omnia permiscent; perturbant omnia, sæpissime à uera peripateticorum uia aberrantes. In hac igitur quæstione duæ fuerunt opiniones apud Philosophos. Prima fuit omnium Arabum; præter Auerroem, qui solus cũ Græcis sensit; &, qui unus semper in ueritate præponderat; omnibus alijs Arabibus simul collectis. Opinio igitur Arabum fuit; quòd causa efficiens omnium mistorum sit idea, istorum omnium mistorum insidens in intelligentia; qua quidem idea mouetur intelligentia ad generationem specierũ mistorum, & consequenter singulorum indiuiduorum; non aliter, quàm artifex moueatur ad operandum propter ideam rei efficiendæ, in mente habitam. & ita uolunt intelligentias intendere generationem mistorum, non secus, quàm artifex intendat super re artificiata efficiẽda. Hinc ideæ in uniuersali acceptæ, uoluit Auic. etiam nomen ponere: & eam appellauit Colcodeam. *Græci autem omnes unà cum Auerroe inter Arabes. (Quorum melior est sententia, & ueré peripatetica) uoluerunt quidem & ipsi mista ab intelligentijs generari; sed non ita sicut artificiata fiunt ab artifice (quòd. s. intelligentia primò intendat efficere mista, sicut intendit artifex artificiatum producere) sed uoluerunt ista propter influxus cœlestes ab intelligentijs generari; et propter aspectus, ac propter accessum planetarũ in Zodiaco; sicut propter recessum corrumpuntur. (Id, quod & Aristo. in libris de generatione, & corruptione uidetur attestari) ac propter diuersitatem aspectuum, & accessuum,*

suum, & influxuum; fieri diuersarum, & uariarum specierum; generationem; Et propterea in Zodiaco esse planetas diuersos, & secundùm longitudinem, et secundùm latitudinem. Sed hoc non ideo contingere dicunt, quòd intelligentiæ hoc intendant, sicut intendit artifex rei artificiatæ productionem; sed hoc per accidens, et secundariò cõuenire. Intelligentias enim moueri; ut per motum aßimilentur primæ intelligentiæ, quàm maximè possunt. hoc enim principaliter intendi ab istis intelligentijs; licèt ex ipsarum motu, & oppositione; sequatur postea generatio mistorum. Tales enim operationes sunt; sicut sunt operationes bonorum, & magnorum uirorum; ex quibus plura sæpè bona consequuntur, licèt ipsi aliud intendant.

Talis est etiam operatio intelligentiarum (dicunt peripatetici) quòd prima intelligentia, propter sui nobilitatem intelligendo seipsam, mouet nobilißimum, & primum orbem; ex quo motu sequitur uiuificatio omnium inferiorum; non, quòd intelligentia istud intelligat. Postea inferiores omnes intelligentiæ mouentur imitando primam suam intelligentiam, à qua dependent; ut illi, quatenus possunt; aßimilentur; & ita ultimam sui perfectionem acquirunt. ex quarum motu adhuc magis particulariter in istis inferioribus efficitur per influxus ipsarum generatio. & ita per seriem omnes intelligentiæ, dum mouentur, ut imitentur primam; per influxus ipsarum fiunt generationes, & mistiones; donec ad ultimam tandem deueniatur, quæ magis particulariter omnibus influit. oportet

tet autē ſupponere quòd in materia ſint ſemina quædam generationis, & uirtus quædam formatiua. Dum autem influunt corpora illa cœleſtia, ſuam uirtutem, & ſuum calorem; excitatur ab iſto calore prolifico, & motus intelligentiarum; & calor ſeminalis uiuificatur, uel uirtus illa formatiua in materia exiſtens in potentia tanquam ſemen. & ita habetis, quo modò intelligentiæ ſint cauſa miſtionum, & ſecundo de Genera.animal.cap.3. habet hæc Ariſt.non, quòd calor cœleſtis iſtud intendat (generationem ſcilicet miſtorum) ſed, quia excitat ſolùm uirtutem formatiuam, & calorem exiſtentem in materia in potentia; qua excitata, educitur forma ex materia. Et iſta eſt uera opinio Ariſt. & peripatetica. Et, ſi uolumus eſſe peripatetici; iſta opinio tenenda eſt; quia ad hanc nulla incommoda ſequuntur. Quòd non poteſt dici de prima. Nam prima; primò non eſt rationalis; deinde non eſt neceſſaria; deinde non eſt digna, ut de intelligentijs ipſis credatur. Quòd autem non ſit rationalis; probatur. Quia, ſi intendit intelligentia, ſicut Artifex, & imprimit ſicut Artifex; neceſſe eſt, ipſam eognoſcere ſuam operationem. hoc autem non poteſt; niſi cognoſcat ſubiectum, in quod agit. at hoc ſubiectum indiuiduum eſt; ergo intelligentia cognoſcit indiuidua, & particularia; quod eſt alienum à uia Ar. Præterea eſt ſuperflua, & non neceßaria; quoniam abſq; eo, quòd fingamus intelligentias intendere generationes; æquè bene, immo meliùs; ſequitur generatio miſtorum, ponendo ſemina, & diſpoſitiones,

& uirtutem

& uirtutem formatiuam in materia; quæ de potentia ad actum deducitur per motum intelligentiarum. Tertiò non eſt honeſtum fingere hoc de intelligentijs illis; quæ ſunt occupatæ circa diuinas operationes, non circa uiles iſtas operationes; ut dicamus, quòd generent quandoq; etiam pediculos. Hoc pacto enim facimus uiles ipſas intelligentias. Iſtud ſatis de cauſis efficientibus, utrùm Agant à propoſito, uel non. Accedamus modò ad alia. Quæſiuimus principali intentione, quæ eſſent cauſæ miſtionum, & temperaturarum noſtri corporis. Sumus enim medici; & ideo cognoſcendæ ſunt cauſæ omnes temperaturarum. Quod cognoſcitur; cognoſcendo cauſas miſtionis. Quæ igitur ſunt cauſæ miſtionis? Iſtud quidem eſt quærere, quomodò, & cur; corpora ſimplicia deueniant ad miſtionem. & hoc ſuppoſito; apparet cauſa materialis. Videtis enim cauſam materialem miſtorum eſſe corpora ſimplicia. & de hoc non eſt dubium ullum. ſed quærendum eſt modò; quid ſit illud, quod deducit materiam ad miſtionem. & primò quærenda eſt una cauſa generalis in omnibus efficiens; poſtea cauſa particularis in omnibus ſpeciebus. Debetis ergo primò ſupponere; corpora omnia inferiora, regi, & gubernari; connexu, & influxu ſuperiorum corporum. Hoc habito; debetis ſcire; ex corporibus cœleſtibus illud magis influere, quod magis poteſt influere. Influxus autem primi mobilis eſt maximus omnium propter maximum, & eccellentißimum motū; ſed eſt nobis obſcurus; quia non fit, niſi per multa

 media,

media, uidelicet per alias sphæras inferiores. Istarum autem sphærarum septem planetarum erraticorum influxus est deprehensus manifestißimus. Primò autem ex istis habemus duo luminaria magna, Solem, & Lunam, ex quibus appellauit Galenus, Solem Regẽ, Lunam Reginam. & primò ex Sole uidemus calorem prolificum, & uiuificum; non adurentem, nisi in aliquibus locis propter malũ situm: & propter sui ipsius accessum; & recessum; in Zodiaco; augetur, & minuitur in inferioribus istis calor. Calor autem (ut diximus) est causa efficiens, & etiam sol fons caloris. Est modò Luna; quæ uidetur esse Domina humoris, sicut Sol est Dominus caloris. et diximus quòd humor est materia sicut calor efficiens; Ideo meritò Sol dicitur Rex tanquam mas, Luna Regina tãquàm fœmina, Nam fœmina est sicut materia. Ideo Luna super suum accessum, et recessum; auget, & diminuit humidum, et aquam maris, & fluminum, et humores etiam in animalibus. Habemus igitur duo ista luminaria; alterum, quod dominatur calori et causæ efficienti; alterum, quod materiæ. Ideo Poetæ attribuerunt omnia soli. & appellatur etiam Iuppiter ab ipsis, Luna autẽ Iuno. & ideo præcipuæ causæ istorum mistorum sunt, Sol, & Luna. Mouetur enim humor, qui est materia à Luna; & per influxũ prolificum Solis uiuificatur. & hæ sunt causæ uniuersales. Sed non sunt frustra alij quinq; Planetæ erraticí; fiunt enim secundùm uarios aspectus ipsorum, et accessus, & recessus; uariæ mutationes aeris. A

Saturno

Saturno refrigeratur aer, et exiccatur dominante ipso. et contingit hæc mutatio, non solùm in aere; sed in satis, in metallis, in plantis, in brutis, atq; etiam in homine. Vnde minuuntur, spiritus, et calor naturalis in nostris corporibus (in metallicis præsertim) et nascuntur, doli, insidiæ, suspiciones.

Vbi autem Iuppiter habet Dominium suum et aspectum (quia enim Iuppiter est benignus, placidus, & Rex caloris placidi; ideo aer est tranquillus) omnia sata rident, mores hominum fiunt, mites, boni, et benigni. Mars autem, ubi dominatur, alteratur aer ad calidum et humidum, non ad calidum prolificum, sed ad calidum furens, et igneum. Vnde fiunt cometæ, aduruntur sata, fiunt homines iracundi, et prompti ad lites, et furiosi; unde sequuntur bella, et cædes. Succedit Venus. Quæ, cùm dominatur; plurimi flatus, et spiritus generantur in aere. dicitur enim Domina humidi flatuosi. (Vndè optimè dicta est nata ex spuma maris à Poetis) quod quidem humidum flatuosum facit maximè ad prolem, et ad generationẽ. Ideo Venus à Poetis generationi præesse dicta est; et appellata est etiam Zephyrus, quasi ζωὸφορος, id est ferens uitam. Ventus enim ille, quia humidus est; maximè facit ad generationem. Fuit autem hoc etiã approbatum in libro illo de natura aeris, qui inter Hippocraticos libros habetur; siue fuerit Hipp. author illius libri, siue quiuis alius. Nam quisquis fuerit; fuit certe uir doctißimus. Succedit postea Mercurius; qui facit instabilitatem maximam, et in aere, et in satis,

et in animalibus. Et ita uidetis, quòd Sol, et Luna; sunt principes causæ. Vnde, Rex, et Regina; dicti sunt à Galeno tertio de diebus creticis. Alij autē planetæ sunt coadiutoria, modò impedientia, modò adiuuantia. et hæc de causa uniuersali efficiente. Sed, quæ est causa mistorum particularium? Sunt tres. Primò est influxus uarius stellarum omnium. et non est mirum, siquidem tanta uarietas sit in speciebus, et indiuiduis mistorum; primò enim est (ut diximus) uarietas maxima influxuum omnium stellarum. Secundò sunt infinita semina in materia. et tertiò est infinitus situs influxuum. Influxus sunt uarij. Primò propter oppositionem motus, quia primum mobile trahit ad unam partem; aliæ autem sphæræ ad oppositam partem trahuntur. deinde propter diuersitatem motuum inter se uelocitate, et tarditate. Ex hoc enim necesse est fieri maximam uarietatem formarum; dū Luna per mensem unū, uel circa, perficit suum cursum; Sol aūt per duodecim menses; & alij planetæ aliter. Præterea uarius est etiam secundum latitudinem. modò enim motu recto, modò motu obliquo, modò retrogrado; mouentur. & ita apparet; ex hac triplici causa uarietatis influxuum haud quaquàm mirum esse, siquidem ex parte cœli generentur tot species, et tàm uariæ in mistis. Sed hoc non sufficit; nec enim potest agere agens, nisi in materiam bene dispositam; ideo requirūtur etiam semina in materia. Quæ, quia diuersa, & uaria sunt; ideo fiunt uariæ mistorum species, & formæ. Tertiò requiritur

postea

postea situs aspectuum. Qui, cùm sit diuersissimus; & ipse in causa est diuersitatis formarū in mistis. Quod ostendit Poeta in suis Georgicis; asserens, in alijs locis generari bonos equos, in alijs bonas uites, in alijs bonos homines, in alijs contrà omnia mala. Semina uerò quantùm ualeāt ad generationem; apparet manifeste. Quia semina calorem habent; & uirtutem formatiuam, existentem in potentia; quæ postea deducuntur ad actum. & ita ex tribus, alterum adiuuat alterum, uel impedit; quare necessaria sunt tria simul ad generationem. Et ita uidemus sata sæpè, in bono loco spargi, & bona etiam semina; sed tamen malè prouenire uel propter aspectum, & situs astrorum, uel propter influxus. Et ita omnia tria requiruntur. Et requiruntur semina, uel aliquid proportionale semini; & hoc dico propter ea, quæ generantur ex putredine. In luto enim licèt non sit semen; est tamen aliquid proportionale semini, ex quo generantur uermes, & huiusmodi. Requiritur postea locus propter situs astrorum. Requiritur tertiò influxus ipsorum planetarum, et stellarū. Et hæc, non solùm ab astrologis, & à philosophis; probantur; sed etiā à medicis. Nā, quòd cōferant ad generationē influxus; testatur Hip. etiam tertio Aphor. in eo Aphor. (Si hyems fuerit Austrina, & pluuiosa, &c.) Infert enim (mulieres quacunque causa abortiuntur. &, si pariunt; faciunt partus imbecilles.) Quantùm conferat locus; uideatis in quinta particula Aph. ubi de dispositione uteri dicit. Quātùm cōferat semen; declarat in tertia particula Aph.

Et isto

Et isto modo fit quidam concentus cœlestium, et corruptibilium; neq; tamen æterna fiunt corruptibilia, neq; corruptibilia fiunt æterna; propter mirabilissimum ordinem, & connexum.

LECTIO. XI.

Terra est locus simplex *Auic. in superioribus cœpit tractare de elemẽtis. & ita tractauit istum tractatum; quæmadmodùm promiserat. tradit enim solùm, quid sint elementa; & quædam consequentia ad ipsa. Cæteras autem quæstiones omittit; quia dixit pertinere illas ad Physicum. Nos autem diximus opinionem nostram circa hoc; & ostendimus Auic. non rectè sentire. Auicen. autem sibi constans exequitur, ut proposuit. Et in primis definiuit elementum in communi (ut uidistis) et inuenit genus, quod est corpus simplex. & cùm hoc inuenisset; aggreditur definitiones singulorum elementorum, et in singulis definitionibus proponit ipsam definitionem. Postea assignat causam, propter quid differẽtiæ formalis. Tertiò ponit ea, quæ consequuntur ad substantiam elementi. Incipit igitur à terra, & inquit.* Terra est corpus simplex, cuius locus naturalis in medio totius existit, in quo naturaliter manet; qui, &c. *Dat modò differentiam distinguentem. Quæ, adiuncta suo generi; facit, ut hæc definitio non possit competere alij corpori simplici, sed terræ solummodò. locus enim in medio totius soli terræ competit. & ita hæc differentia distinguit terram ab alijs elementis. & bene dicit (naturaliter)*

quia et alia elementa possunt esse circa cẽtrum; sed uiolenter, non naturaliter. Quare, si libera dimittãtur; tendunt ad suum locum naturalem. In medio autem intelligite in centro. orbis enim est circularis, et rotundæ figuræ; medium autem circuli est centrum. & hoc sit dictũ pro iunioribus. Et ad quem, cùm ab ipso separata fuerit; mouentur. *Quod enim* facit, vt terra quiescat in medio totius; illud ipsum facit etiam; vt, si ab isto medio separata fuerit; ad ipsum moueatur. Et hæc quidem eius naturalis grauitas existit. *Hactenus satisfecit definitioni; modò assignat causam formalis differentiæ. Nam, quòd terra quiescat in centro, & moueatur naturaliter ad centrum; est hoc à sua natura. Natura autem terræ potissimùm intelligitur de forma; forma autem terræ est grauitas. & ita sequitur, quòd terra quiescat in medio totius naturaliter, et ad ipsum naturaliter moueatur· propter grauitatem, quæ est forma terræ.* Et natura eius frigida est, & sicca. *Dixit superiùs, naturam terræ esse grauitatem. Hic etiam dicit, naturam terræ esse frigidam, et siccam. Videtur igitur, quòd terra habeat duas naturas. Quod est absurdum; cùm unumquodq;, quod est; sit per unicam formam. Aduertatis igitur, quòd natura capitur dupliciter potissimùm. Primò pro materia, & forma substantiali rei; quæ apud Hippoc. & Gale. est tẽperatura. In quo sensu cepit Hip. secundo Aph. 34. & etiam in toto libro suo de natura humana. Ibi enim nihil aliud quærit Hipp. nisi formam substantialem*

lem hominis, qua homo est homo. Alio modo capitur Natura pro facultatibus ipsis, quæ sequuntur temperaturam; et naturam, primo modo dictam. In quo sensu accepit sæpissimè Galen. & inter alia loca primo secundi de causis sympt. & in quo sensu dicimus naturam uentriculi esse, ut concoquat. Auicen. igitur, quando dicit, grauitatem esse naturam terræ, intelligit naturam pro forma substantiali. Hic autem quando dicit naturam terræ esse frigidam, & siccam; intelligit per naturam facultates, quæ sequuntur formam substantialem. Et ita nulla est difficultas. Est autem frigida terra necessariò; quia necessarium fuit terram fuisse siccam siccitate, corpulenta, & crassa; ut postea uidebitis. Cùm igitur fuerit hoc necessarium; non potuit esse calida; quia siccitas corpulenta non potest stare cum calore; calor enim rare facit, & attenuat materiam. fuit igitur necessaria frigiditas. & non omnis frigiditas; sed ea, quæ posset incrassare, & condensare humidum. & opportuit esse frigiditatem in summo; quia erat necessarium terram esse maximè condensatam, et crassefactam. At hic effectus maximus non poterat esse, nisi à maxima causa; idest à maximo incrassante, & à maximo condensante. Et ita uidetis quomodò omnia consonant nostris fundamentis. Sequitur autem ex hoc; quia frigiditas est qualitas, quæ facit grauitatem, & condensat, & trahit ad centrum; sicut caliditas facit leuitatem, quia rarefacit, & retrahit à centro. Sequitur igitur; quòd quanto aliquid erit calidius; tantò leuius erit. & quã-

tò

tò frigidius; tantò grauius. et ita ex summa frigiditate terræ sequitur maxima eius grauitas; & densitas; & crassitudo; & siccitas, crassa, & corpulenta; quæ quidem siccitas maximè competit ei. & ideo Arist. quem, ut Deum, admiror in natura; dicit in quarto meteor. siccitatem esse propriã terræ. Hic modò primò enumerabimus iuuamenta terræ, quæ enumerat Auicen. Postea dicemus quoddam iuuamentum maximũ, quod ipse Auicen. omisit. Sed priùs uideamus unum, quod interponit Auic. et est illud; Quod, si demissa fuerit, sicut ei requiritur, esse, frigidam, & siccam. Sed, quomodò hoc probatur nõ syllogismo, aut demonstratione; sed sensu. hoc enim est docti uiri. & ridebat Galen. eos, qui in rebus sensatis demonstratione uti uolebãt. Accedamus modò ad iuuamenta terræ, Auicen. ponit tria iuuamenta terræ; quæ omnia à siccitate proueniunt. Primum iuuamentum est ad retentionem, Secundum ad fixionem, Tertium ad conseruationem figurarũ. Debetis enim scire; quòd figuræ habent quinq; gradus penes impressiones suas. figuræ enim, & impressiones; primò recipiuntur, secundò imprimũtur, tertiò retinentur, quartò figurantur, quintò, conseruantur. Ex his autem quinq;; tres ultimi gradus sunt proprij terræ. & semper in quacunq; re fuerint; sunt in illa merito terræ. Receptio enim, & impressio; non sunt merito siccitatis, sed humiditatis. Receptio est propria aeris; sed non in aere fit impressio. Vnde in aere fit receptio imaginum tantùm propter maximam humiditatem raram nimis. In

aqua

aqua autem, quoniam humiditas est crassa, & corpulenta; fit impreßio in superficie. Sed non retinentur postea, nec figurantur, nec conseruantur; quia ad retentionem necessaria est siccitas. Quia ad retētionem necessaria est permanentia; quæ non potest esse, nisi per siccum continens partes. Dicit igitur Auicen. Quòd primum iuuamentum terræ est ad retentionem, secundum autem ad fixionem, quia non, ubicunq; fit retentio, ibi est fixio. nam in butyro fit quidem retentio; sed non fixio. Quia materia licèt sit crassa, (quod facit ad retentionem) nō est tamen solida. Vbi igitur est modicum terræ; ibi fit quidem retentio, sed non fixio. At, ubi multum de terra; non tātùm fit retentio, sed etiam fixio. Tertium autem iuuamentum, & ultimus gradus siccitatis; est conseruatio. Quod non potest esse; nisi, ubi plurimum est de terra. Conseruare autem; est defendere rem, retentam, & fixam; ab iniurijs extrinsecis. Quod non potest fieri, nisi in re multùm terrea, & solida. Nam in plumbo quidem fit retētio imaginum, et fixio; sed non conseruatio. At in ferro, non solùm retentio, & fixio; sed etiam conseruatio. Auic. igitur tres ultimos gradus numerauit inter adiumenta terræ. Duos autē primos, receptionem, scilicèt, & impreßionem; non numerauit; quia non sunt terræ, nec meritò siccitatis, sed humiditatis. & hæc de terræ iuuamentis ab Auic. enumeratis dicta sint. Nunc ad aliud ueniamus; quod quidem maximum esse diximus, & omissum fuisse ab Auic. Atq; illud quidem est; quòd terra ipsa à natura constituta

constituta est; tanquàm subiectum, in quod iacularentur omnes influxiones cœlestes, & infigerentur omnes impreßiones cœlestes; ex quo opportuit etiam ipsam siccam fuisse, ut possent impreßiones in ea optimè retineri, & figi, & conseruari. Propter quam causam etiam posita est, ut centrum in medio totius. Est enim unum, quod omisit Auic. quod tamen sequitur ex dictis. Quoniam enim natura uolebat terrā esse subiectum omnium impreßionum cœlestium, et formarum; ideo uoluit terram locum esse, & centrum orbis; ut omnes influxiones cœlestes (undecunq; ueniāt,) æqualiter in terram imprimerentur. Cùm centrum æqualiter distet undiq; à sua circumferentia; & omnes lineæ à circūferentia ductæ æqualiter super centrum cadant. & hæc satis de iuuamentis. Quæritur hic unum, quia uidetur Auic. omisisse proprietatem quādam terræ, (quam non hic tantùm omisit; sed in omnibus elementis) & hæc est. Figura ipsa. Quare enim; cùm terra sit res terminata, non meminit Auic. de figura termināte ipsam? Respondemus ad hoc, quòd elementa nullam habent propriam naturalem figuram, ut bene etiam dixit Ar. 3. cœli. Quia, si haberent propriam formam naturalem; corrumperentur, ubi amitterent hanc. Sed præter rationem Ar. est, et alia (quam, nec Ar. dixit, nec ab alio quopiam aßignatam esse opinor) quod unicuiq; corpori similari competit omnis figura; & ideo nulla est figura propria. Nec hoc solùm competit quatuor elementis; sed omnibus similaribus. Atq; ideo competit elementis; quia similaria

ria ſunt. & ratio, cur ſimilaria nullam habeant figuram propriam; eſt quoniam non fuit neceſſarium, ut figura illis adeſſet; quoniam figura eſt à natura conſtituta propter operationes. Brachium enim talem figuram ideo habuit; quia merito talis figuræ brachium ſuas exercet operationes. Ideo per talem figurã brachium eſt brachium; & amiſſa tali figura, non eſt ampliùs brachium. Id, quod manifeſtiſſimè apparet in his, quæ fiunt ab arte. Securis enim ideo eſt ſecuris; quia talem habet figuram. Qua quidem figura amiſſa; ſecuris non eſt ampliùs ſecuris; ſed ferrum, & materia ſolùm. & ratio eſt; quoniam à tali figura emanat operatio ſecuris, quæ eſt ſecare. Neceſſaria eſt igitur figura in compoſitis; at in ſimilaribus non eſt neceſſaria. Quia uſus ſimilarium non eſt operatio aliqua; ſed hoc tantùm, ut ſint materia aliorum. Materiæ autem, non ſolùm non confert forma; ſed eſt impedimento potiùs. Quare & Ar. poſuit materiam primam, (quæ eſt materia omnium rerum mobilium,) informem, & ſine ulla figura. Similaria igitur, cùm ſint materia partium organicarum; iure non debuerunt habuiſſe figuram ullam. Ideo Anaxagoras uoluit materiam omnium rerum eſſe ipſa ſimilaria; quia ſimilaria apta ſunt, ut ſint materia rerum, quæ figura terminantur. Sed, licèt elementa non habeant propriam formam; tamen neceſſe eſt ipſarum locum eſſe circularem, & ſphæricæ figuræ, (ut dicit Ar. 2. cœli, 30. & 31. & 32.) propter æqualitatem omnium partium maximam. Quoniam, cùm ſit æquale prorſus elementum; non

nõ habuit, quo modò efficerentur anguli. Anguli enim fiunt propter inæqualitatem materiæ, prouenientem à ſiccitate; non bene admiſta humiditati. At, ſi non ſit angulus ullus; neceſſe eſt figuram ſemper eſſe ſphæricam. Cùm igitur elementa habeãt omnes partes æqualiſſimas; quia tota ipſorum materia eſt temperatiſſima pro ratione ipſorum meritò fuerunt ſphericæ figuræ. Et hæc eſt prima ratio, quare terra habuit figuram ſphæricam. Secunda ratio eſt, ut omnes partes æqualiter motui ſubijcerentur. Tertia ratio eſt, nè detur uacuum. Quia poſito, quod orbis lunaris ſit ſphæricæ figuræ; niſi ignis, qui immediatè conſequitur ſub concauo lunæ; eſſet ſphericæ figuræ, ſed angulos haberet; daretur neceſſariò uacuum. Quia impoſſibile eſt; intra figuram circularẽ collocare figuram angularem, quæ totum ſpatium contentum intra circulum occupet. & ratio eſt; quoniam, neceſſe eſt circulum magis à lateribus figuræ angularis diſtare, quàm ab angulis. Propter hanc igitur rationem; &, nè detur uacuũ; neceſſe fuit elementa eſſe ſphæricæ figuræ. Nã, quod de igne probatum eſt; idem de omnibus alijs probatum eſt etiam. Nam, ſi ignis fuerit ſphæricæ figuræ; neceſſariò etiam aer, ſub concauo ignis locatus, ſphæricæ erit figuræ, propter eandem rationem. Quòd, ſi aer; etiam aqua; quòd ſi aqua; etiam terra. Patet igitur his tribus de cauſis terram eſſe rotundam. Sed contrà diceret aliquis. Nos uidemus in terra alicubi multã planiciem eſſe; alibi autem adeſſe montes altiſſimos. Quomodò igitur erit terra ſphæricæ figuræ? Quantùm

ad planiciem; facillimum est respondere. Istæ enim sunt nugæ. Quia istud, quod nobis planicies uidetur; non est planicies; si consideretur, non per se seorsum, sed coniunctim cum tota terra. Sic enim non planicies; sed terræ conuexum esse constabit. Quantùm ad montes; &, si alij aliter respondeant; hæc tamen mihi uidetur esse melior responsio; quòd montes non sunt pars elementi terræ. i. pars corporis simplicis; sed sunt quoddam compositum, et aggregatum ex multis. habent enim in se lapides, & ligna, & aquam, & ignem. Nos autem loquimur de uera terra; quæ est simplex; &, quæ est circa centrum. & hæc de terra sufficiant.

LECTIO XII.

DEFINIT *modò Auic. primò aquam; & dicit,* aquam esse corpus simplex *quod est genus proprium in definitione. Deinde dat differentiam, distinguentem hoc corpus simplex ab alijs; & est* (quòd aquæ locus naturalis est, vt ipsa circũdet terram, & sit circundata ab aere.) *Et affert rationem propter quid, id est causam formalem; & dicit* hoc esse propter grauitatem; *Quæ quidem grauitas, non est absoluta, sed comparatiua; quia per comparationem ad aerem dicitur grauis, ad terram autem leuis. Dicitur autem potiùs grauis, quàm leuis; quia leuis est per comparationem tantùm ad unũ elementum, ueluti ad terram, grauis autem; per comparationem ad duo elementa. Circundat igitur aqua terram;*

terram; & circundatur ab aere. & ita habetis definitionẽ aquæ; qua differt aqua ab omnibus alijs elementis. Sequitur modò Auic. in declarando proprietates essentiales aquæ; & inquit frigida est, & humida. *Sed, antequàm declaremus hoc; oportet hic priùs uidere, uidelicet; quia dixit, quòd* locus naturalis aquæ est, vt circundet terram, & circundetur ab aere, *an hoc sit uerũ. Videtur enim; quod aqua non circundet terram, sed terra uidetur eminere in plurima parte super ipsam aquam. Præterea uidemus, quòd aqua æquè bene descendit ad centrum, sicut terra; ergo non est grauis comparatiuè. Dicimus; quòd uerum est, quòd terra secundùm maximam partem eminet aquæ; quia, si diuidamus totam terram in duo hemisperia per lineam equinoctialem; uidebimus ultra equinoctialem uersus polum Arcticum terram in multis locis eminere super aquas. & eodem modo uidebimus etiã in altero circulo ab æquinoctiali uersus polum antarcticum; ut deprehensum est nostris temporibus per nauigationẽ illius Hispani. Qui, si dignos scriptores inuenisset; insignior certè esset illo Iasone, de quo tam multa dixerunt antiqui poetæ. Postea; si comparetis omnes insulas; erit adhuc magis uerum; quod dixi, maximam partẽ terræ eminere super aquas. Quid dicemus igitur ad Auicen? Rectè quidem dixit Auic. quia naturaliter terra ambitur ab aqua. At, si in multis partibus superemineat terra; hoc est per accidens. (3. Cœli,) quia aqua exiccata est; non, quòd refugiat, & det locum terræ.*

ræ. huius autem rei (quòd scilicet terra supereminеat) duæ sunt rationes, causa finalis, & causa efficiens. Ratione *quidem finis; propter bonum; ut bona esset habitatio animalibus. &, ubi est causa finalis; ibi sequitur causa materialis, disposita ad talis finis consecutionem. Causa autem efficiens; talis est. Cùm enim influxus cœlestis, & radij astrorum; uario modo alterẽt inferiora; fuit necessarium propter hoc; ut, ubi radij isti astrorum unirentur, & fortificarentur in terra,* Efficerent, *quod apti sunt efficere. Quod est, exsiccare humidum. & uidemus; quòd, ubi maximè influunt radij astrorum; ibi exsiccantur aquæ, & melior est habitatio animalium. Vndè uidemus; quòd circa utrunq; polum, ubi minus possunt radij isti; occupant infinita maria. & prout uariè influunt radij astrorum; fit etiã uaria uicissitudo terræ, & maris ita, ut, ubi priùs erat terra; modo sit mare. &, ubi priùs mare; ibi sit modò terra. Quod etiam philosophi ipsi dixerunt; experientia ipsa, & sensu; admoniti.* Terra *igitur naturaliter ambitur ab ipsa aqua. &, si supereminet; non est, quòd aqua refugiat; sed, quia exsiccatur. & ita habetis, quòd recte dixit Auic. quòd* (aqua circundat terram naturaliter, & circundatur ab aere,) *& quandoquidem terra in multis locis non circundetur ab aqua, sed supereminet; audiuistis rationes. Quare autem non ubiq; circundetur ab aere ipsa aqua, sed terra potiùs circundetur ab aere (ubi scilicet terra supereminet aquam) duæ sunt rationes. Prima est, ut*

ut impleatur uacuum. Nam, si terra foderetur usq; ad centrum, & nihil aliud impleret; descenderet aer usq; ad centrum. natura enim maximè refugit uacuũ. Alia ratio est ex parte aeris; quia aer inferior, proximus terræ, non est uerus aer, sed degenerat ad naturam aquæ. Cuius signum est; quòd, ubi ponatis aliquid in hoc aere; nisi sit radijs Solis exiccatus; semper humectatur; non humiditate uera syncera, quæ non incorporatur alicui; sed crassa humiditate, & corpulenta. & quantum amisit de sinceritate naturæ aeris; tantum etiam descendit. Sed diceret aliquis; Quare aer cùm sit de se humidus, & aliquando maximè refrigeretur; non fit aqua; præsertim, cùm sit substantia maximè passibilis? Respõdetur dupliciter. Prima responsio est Galeni, primo de simpl. med. cap. decimo octauo. Dicit enim ibi Gal. quòd aer non potest, nisi in magno tempore, uerti in aquam; propter contrarietatem maximam in modo substantiæ. Quia aer tenuissimus est; at aqua contrà est crassissimæ substantiæ; Ideo non facilè accedẽte frigiditate fit aqua. Aqua autem, quia est substantiæ crassæ; congelatur, & fit terra. Aer autem nunquàm congelatur; ut dicit ibi Gal. A qua autem, quemadmodùm facilè transit in terram propter magnum symbolum in substantia, quod habet cum terra; Ita nõ facilè transit in aerem. licèt efferuescat maximè. Et hæc est una ratio, quare aer humidus, & ualdè refrigeratus; non facilè transit in aquam. Alia ratio est illustratio ipsorum radiorum Solis; qui semper ad conseruationem aeris

 facit,

facit, rarificando, & attenuando; substantiam. & hæc pro prima dubitatione, quo modò aqua naturaliter circundet terram, & circundetur ab aere. Alia dubitatio erat; quòd aqua semper (nisi impediatur) tendit ad centrum. Quando igitur dicit Auic. quòd superficies terræ sit locus naturalis aquæ; *bene hoc dicit. Quòd autem moueatur deorsum; duplex est ratio. Prima; ratione medij. Quia, ubi debiscit magna uorago; succedit aer; & aqua mouetur per medium aerem, quod est sibi naturale. At quantùm ad terminum ad quem; hoc est uiolenter, & non naturaliter. Alia ratio est; quia aqua est natura interminabilis; quæ ad proprium terminum non terminatur, sed ad alienum terminum. Ad centrum autem non descenderet; quia ibi est maxima frigiditas in centro, & penetralibus; terræ, aqua refugit. Aer, cùm sit calidus; ideo est etiam impossibile, ut fiat aliqua uorago terræ tanta, ut descendat usq; ad centrum. His uisis; accedamus modò ad proprietates aquæ, quas Auic. describit* frigida est, & humida; scilicet eius naturæ talis existit, &c. *Hoc intelligitur de facultate. Vidistis enim, quo modò natura dupliciter intelligatur.* frigida est, & humida. *Attendatis bene ad unũ, quod hic dicã; & fundamenta nostra adhuc uerior a apparebunt. Aqua necessariò debuit esse humida; & humiditate corpulenta, & debuit esse propè terram. & rationem uidebitis in mistionibus, & paulò infra in hoc capite. Cùm igitur debuerit esse talis; necessariò oportuit habere frigiditatem;*

tatem; quia humiditas crassa non stat sub caliditate; quia caliditas rarefacit, & discutit. oportuit igitur humiditatem istam fieri, aut conseruari per qualitatem illam, quæ potest hoc facere. frigidum autem est illud, quod condensat, & crassefacit. Præterea, cùm deberet aqua esse propè terram; oportuit, ut esset grauis. At grauitas non est à calore; calor enim attenuat, & rarefacit, & sic facit leuitatem. Vndè quæcunq; elementa sunt leuia; fuerunt etiam calida. et contrà; quæ sunt grauia; necessariò fuerũt etiam frigida. Accessit igitur frigiditas. & ista frigiditas debuit esse terminata, non in summo; Quia aqua non indigebat summa crassefactione. Quare non in summo debuit esse frigida. &, ut magis uideatis ueritatem nostrorum fundamentorum; notate diligenter istum discursum; ex quo apparebunt, friuola, & uana; esse, quæ contra à quibusdam dicũtur. Sicut oportuit aquã esse humidam humiditate crassa, propter quod accessit frigiditas; ita aerem oportuit esse calidum. Quia aer debebat esse rarus permeãs, deinde debuit aer esse leuis; ergo necessariò debuit esse calidus. At, quia per humiditatem debebat distingui, (nam alioqui fuisset ignis; si calidus, & siccus fuisset) data est igitur humiditas tenuis, quæ mitigaret calorem. & ita per humidum deuenit aer ad essentiam propriam. Præterea terra debuit esse crassa, & densa; quia est in centro. At hoc non potuit esse sine frigiditate; sed, ut distingueretur ab aqua; Ideo debuit esse sicca, non humida. Ideo per frigiditatem in summo expressa est humidi-

tas; & reddita est sicca. Si modò igitur interrogaret aliquis ex ijs, qui ex commentarijs tantùm sapiunt; utrùm terra, quemadmodùm habet esse per siccum, sit etiam sicca in summo; dicatis; quòd siccitas terræ alia est à siccitate ignis, et æquiuocè dicitur una ad aliam. & dicatis, quòd in utroq; est siccitas in summo, diuersa tamen. Nam in terra est siccitas corpulenta, & crassa; siccitas autem leuis est in igne. Idem dicatis de humiditate. humiditas enim crassa, & corpulenta; est summa in aqua; humiditas autem leuis est, quæ nõ incorporatur; est summa in aere. Hinc est, quòd Galen. Aliquando dicit. Aerem esse humidum in summo, aliquando aquam esse humidam in summo. & ita dicatis de siccitate; quando inuenietis, Galenum, & Aristot. modò dicere siccitatem summam esse in terra, modò in igne. Quando postea etiam citant Gal. dicentem, quòd in aqua est summa frigiditas; dicatis; quòd frigidum duplex est, uel formaliter, uel effectiuè. Frigiditatem formaliter; dicimus, quando aliquid habet talem qualitatem consequentem propter suam formam. & hoc modo dicimus, terram esse frigidam in summo formaliter. At effectiuè aqua est frigida in summo; quia magis imprimit frigiditatem. & hoc in primo, secundo, tertio, & in quinto; de simpl. med. Gal. dicit. et reddit rationem; quia, quæ frigida sunt, cum crassitudine substãtiæ; licèt sint magis frigida, quàm alia; tamen minùs imprimunt. quia crassitudo substãtiæ obstat, nè frigiditas possit penetrare. Propter quam rationem dicit acetum magis refrigerare quàm omphacium; licèt omphacium

omphacium formaliter sit magis frigidum. Neq; mirum uideri debet, si effectiuè frigida ista dicantur; quando effectiuè etiam talia dicuntur, quæ nihil tale habent. Vt dicimus solem esse calidum; licèt nhil habeat caliditatis. Istud igitur sit dictum de frigiditatè, et humiditate; aquæ. Quòd si demissa fuerit, sicut est. *Vult monstrare quòd aqua sit frigida, & humida; per sensum. & hoc est facile.* Et ipsa quidem est generatio. Dicit, *quòd humiditas est generatio aquæ. Sed humiditas non est motus, non est causa efficiens in generatione, non est ratio formalis aquæ; cur itaq; dicit hoc loco, quòd humiditas sit generatio aquæ? necessarium est dicere; quòd humiditas erit subiectum. & istud subiectum non potest esse, nisi in materia prima; & ita etiam Auicen. cogitur deuenire in hanc sententiam, quòd humiditas sit annexa materiæ primæ.* Reddit eam aptam ad spargendum. Dicit, *quòd humiditas adiuuat aquam, ut facilè spargatur; quia siccum est in se totum collectum; at humidi proprium est, ut diffundatur cum sicco; & ita retineatur siccũ cum humido. Et licèt sit modica aqua; tamen facillimè etiam spargitur propter humiditatẽ. & hoc statim faciliùs apparebit.*

LECTIO. XIII.

In generatis iuuamentum præstat. *More suo; sicut & in alio elemento fecit; ita etiam in aqua. Primò enim proponit definitionem propriam, Secundò proprietates, Tertiò iuuamenta. Postquàm igitur definiuit,*

definiuit, quid esset aqua; nec non explicuit proprietates, et facultates ipsius; nunc tertiũ exequitur, quod est de iuuamentis. & dicit, quatuor esse iuuamenta. Primum est ad diuisionem, Secundum, ut deliniet; Tertium, ut figuret; Quartum, ut temperet. & primum quantùm ad diuisionem, quæ est prima utilitas; dubitatur, quia hoc uidetur esse contrarium potiùs aquæ, quia diuidere est agere. & uidetur proprium ignis potiùs, quod est contrarium aquæ; & aquæ uidetur potiùs proprium continuare. Præterea, si aqua est maximè continuatiua, & meritò ipsius continuatur siccum; quomodò facit ad diuisionem? Respondemus, quòd ab hoc, quod diuidere dicimus; duo denominatiua ueniunt, diuisiuum, & diuisibile. Primum competit igni; Secundum aquæ. Aqua enim est diuisibilis propter facilem impreßionem, quæ fit in ea. Ad secundum; Est continuatiua aqua; ergo non diuisibilis. Dicimus; quòd, quatenus est continuatiua; non est diuisibilis. continuatiua enim dicitur; quatenus continuat suo humido siccum. Diuisibilis autem; quatenus facillima est ad suscipiendum omnes impreßiones. Quòd autem diuisibilitas faciat ad generationem; ostendit Ar. in fine secundi de generatione; quia confert ad mistionem optimam, ex qua fit postea generatio. Ad hoc enim, ut bona fiat mistio elementorum; oportet, ut elementa diuidantur ad minima. Secunda utilitas est ad delineationem. Post quam sequitur postea tertia ad figurãdum. Auic. uerò primò ponit figurationem; deinde delineationem, & ordine præposterò usus est. Primò enim

confert

confert ad lineandũ; deinde ad figurandum. Ad lineam igitur confert; quia per suum fluxum continuat siccum. linea autem materialiter est fluxus, proueniens ab uno extremo ad alterum extremum. & istud est continuare. Sed continuare apud naturales nõ fit, nisi per humidum; quia siccum in seipso est indiuisiuũ; ideo, si linea nihil aliud est, quàm quoddam continuũ, fluens ab uno puncto ad alterum; continuum autem apud naturales nõ fit, nisi per humidum; quod deducit siccum, & continuatur; Ideo merito aqua dicitur facere delineationem, quia continuat, & deducit siccum. Tertiò confert ad figurationem; quia, ductis lineis fiũt figuræ; & propter uarium ductũ linearum uariæ fiunt figuræ. & ita consequenter, si confert ad delineationem; confert etiam ad figurationem. Quarto confert ad temperandum; quia calor ignis tunc demũ fit aptus ad mistionem, & fit compositionalis; quando temperatur aqua. nam aere non potest temperari, quia aer est pabulum ignis. & facile inflammatur. Deinde aer propter suam tenuitatem maximam non posset uenire in mistionem; quia non potest incorporari, nisi adsit aqua. Temperat igitur aqua, & acrimoniam ignis, & tenuitatem aeris. & hæc sint satis de utilitatibus aquæ. Humidum enim, licet citò formas figurales. Declarat seipsum; et sunt facilia, Et patent ex his, quæ diximus. Cum enim siccum sit terminabile proprio termino, humidũ proprie alieno tantum; ex duobus fit unum temperamentum, necessarium, & optimum; pro mistione. Aer autẽ est corpus simplex,

nũc transit ad definitionẽ aeris

plex *nunc accedat ad tertium elementum ascẽdendo. & idem facit, quod in alijs. Primò definit, Secundò affert facultates aeris, Tertiò ponit iuuamenta ipsius. Definit igitur primò; & dicit, quòd* est corpus simplex; cuius locus naturalis est, vt sit super aquam, & sub concauo ignis. & in hoc quiescit, & ad hunc naturaliter mouetur. *Videtur hoc loco non esse uerum, quod dicit Auic. Quia aer non tantùm terminatur ad hoc concauum, quia aer in omnibus actu est, (Gal. viij. de Plac.) & hoc solùm aeri competit, ut sit ubiq; actu. & propterea aliqui uoluerunt aerem solum esse elementum; &, quòd sit ubiq;; sic commõstratur. Nam primò, quòd in terra sit aer; declarant terræmotus; qui fiunt propter aerem, inclusum in cauernis; agitatum, & non potentẽ exire. Apparet etiam ex diluuijs ignis; quæ quidem fiũt propter materiam ualdè inflammabilem, & sulfuream, in uisceribus terræ repositam. Quæ, cùm ab aeris motu, & agitatione, fuerit accensa; erumpit postea, et exundat. & nostra ætate bis uisum est. & primò ad ciuitatem Catanæ; deinde Puteolis usq; ad Neapolim. et hoc contingit propter aerem, inclusum in terra; calefaciẽtem suo motu, & agitatione; & tandem accendentem materiam illam sulfuream. Apparet & ex locis defossis; ex quibus, cùm defodiuntur; statim expirat aer. & sciunt hoc ipsi fossores. Immo sunt spiritus plurimi; ex quibus emanant flatus, & sæpè putridi, et pestiferi; quale est specus illud Puteolanum; Et sicut sunt illi, quos Gal. calamos specus appellat. Quòd autem*

tem in aqua sit flatus; apparet, Quòd etiam in profundo maris sit flatus, et aer; uidetur propriũ aquæ. Vnde dixit ille; & spiritus Domini ferebatur super aquas. Hinc est, quòd in mari potissimùm excitantur maximi uenti. In igne etiam; quia uidetur ignis nihil aliud esse, quàm feruor aeris. &, si uellemus egredi sectam peripateticam; diceremus aerem esse etiam in cœlo, sicut dixerunt Stoici, et Plato etiam. Vnde dixit Poeta; Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes; Spiritus intus alit, &c. Vnde etiam nõnulli dixerunt, Proteum pro aere, à Poetis dictum fuisse; qui se in omnes formas uertebat. et in hunc sensum uolunt Homerum carmen suum de Proteo dixisse. Quare igitur dicimus aeris locum esse super aqua, & sub concauo ignis; si patet eum ubiq; esse? Dicimus ad hoc; quòd locus proprius aeris est ille, qui dictus est hic ab Auic. et Aristot. tertio cœli. et non discordat Auicen. in hoc ab Aristot. Sed, quòd aer sit in singulis istis; ratio est, quia euaporatio necessariò reperitur in omnibus generationibus, et corruptionibus. Euaporatio autem nihil aliud est, quàm aer. Primò enim habet, leuitatem, et formam aeris, et tendit ad superiora. habet et easdem facultates; est enim calida, & humida. Vapores enim in propria natura sunt calidi, & humidi. At, si alterentur à propria natura; fiunt frigidi. Et apparet de uentis, qui sunt uapores calidi, & sicci; secundùm Arist. et tamen fiunt frigidi per contagium terræ. sic aer non fit frigidus propter uapores, sed propter frigiditatem existentem in terra,

in terra, & in aqua; ex quo contactu fiunt uapores frigidi. et licèt distinguat Aristot. uaporationem, et exhalationem; & dicat exhalationem esse calidam, & siccam; Ideo distinxit, quia intellexit de illa exhalatione, quæ fit in ea parte, quæ contingit ignem; non de ea, quæ fit, et reperitur necessariò in generatione mistorum per contactum. habet enim eundem modum substantiæ; est enim tenuis & rara. Ergo uidetur euaporatio omnis esse de natura aeris. Cùm igitur sit necessarium, ut ubiq; sit euaporatio; sit autem euaporatio idem, quod aer; hinc est, quòd aer reperitur in omnibus generationibus, et corruptionibus. Quomodo autem sit necessarium, ut in omnibus generabilibus, et corruptibilibus sit euaporatio; facilè hinc demõstratur. Audiuistis; quòd generatio fit per actionem caloris in humidum. et, quòd hoc fit per concoctionem humidi. In concoctione autem fit euaporatio excrementorum; ergo in omni generabili necessarium est esse euaporationem propter calorem agentem in humidum, et excoquentem ipsum humidum. et, quòd hoc sit uerum; apparet ex eo; quòd aer in terra est tantum in illa parte, quæ illustratur à radijs Solis. Quò autem non penetrat Sol; ibi nullus uapor, quia nullum humidum; sed omnia plena pœnarum, et ibi locus inferorum, et mœsta omnia. Et inde est, quòd Terræmotus excitatur, quia aliquando, et propter magnam quantitatem humidi, et propter calores immoderatos radiorum; fiunt euaporationes inordinatæ. Quæ cùm non possunt liberè exire;

concutitur terra; sicut uidetis in lebete efferuescente propter magnam copiam ignis. calor enim, nimius uiolenter agens in humidum; concutit et perturbat, & ab eadem causa proueniunt diluuia ignis. Dum enim calor radiorum solis agit in humidum materiæ sulphureæ, & cremabilis; & excoquit illud humidum; fiunt maximæ euaporationes igneæ, quæ diffunduntur etiam per longum terræ tractum. et ab eadem causa fiunt in specubus flatus illi putridi. Dum enim calor agit in materiam putridam, in specu contentam; & excoquit illam; excitantur euaporationes fœtidæ. Similiter; quòd aer sit in semine; necessarium est hoc, quia fit concoctio humidi in semine uiri caloris, ex quo fit euaporatio. Aer igitur est necessarius in omnibus generabilibus & corruptibilibus; & ratione materiæ, & ratione finis. Materiæ quidem (ut dictum est) quia, dum materia à calore excoquitur; necessariò fiunt euaporationes. Ratione autem finis; quia aer est pabulum caloris uitalis. In aqua etiam est aer; quia euaporatio plurima fit ex aqua, dum calor agit in humiditatem ipsius aquæ. At, cùm aer iste permittitur exire; tendit ad suum locum naturalem, & ibi quiescit. *Rectè igitur dixit Aui. quòd aeris locus naturalis est super aqua, et sub concauo ignis.* Calida, & humida. *Quòd facultas aeris sit calida, et humida; satis in superioribus dictum est; secundùm easdem regulas; idest secundùm eas regulas, quas diximus in terra, et aqua; dum docuimus istud per sensum apparere, si ista elementa non fuerint*

fuerint in propria natura. Cuius quidem esse in generatis, ut rarificentur. *Ista sunt iuuamenta. et ponit quatuor.* Primò aer confert in mistione, ut rarificetur. Secundò; ut faciat leuiora. Tertiò, ut subtiliet; Quartò, ut ad superiora erigat. *Videtur autem Auic. posuisse quatuor; quæ non sunt aeris, sed ignis. Nam ista omnia longè meliùs, & propriè facit ignis. & si aer facit hæc; habet hæc ex igne; ergo frustra est aer. Præterea uidetur Auic. nugari. Dicit enim; quòd* facit leue *deinde dicit, quòd* (erigit ad superiora.) *Qui enim dicit, quòd leue facit; dicit etiam, quòd sursum tollit. Dicimus; quòd Auic. optimè dixit. & sunt proprietates istæ proprijssimæ aeris. Ignis quidem; quatenus ignis efficacissimè ista facit. sed facit ista omnia modo inimico mistioni. nam, si attenuat; attenuat destruendo; ideo non præbet istos usus in mistione. Nos autem loquimur de usu in mistione. Sed calor ignis in mistione est refractus, et non urit, sed est calor suauis, & mitis, congregat, & commiscet; Ideo ignis in mistione non est ampliùs uerus ignis. Tale autem temperamentũ ignis acquirit propter aerem. Aer igitur habet istas omnes quatuor proprietates, & actiuè, et passiuè; in rebus mistis cõsideratus. Consideretis aerẽ, tũ in generandis, tùm in generatis actiuè. Primò in semine; quando erũpit, exit cum spiritu. & hæc fuit sententia Aristot. 7. de hist. anim. cap. 7. Et ideo dixit Aristot. in. 2. de gen. anim. quòd antiqui dixerunt Venerem natam ex spuma maris; quia aer, & spiritus, flatuosus*

flatuosus. maximè agit in generatione rarificando semen. Subleuat etiam, & facit materiam aptiorem ad motum; quia aer agitat, & concutit. Tertiò subtiliat propter maximam suam penetrationem. Quartò eleuatur ad superiora; & maxima causa est, ut homò sit figuræ erectæ propter multitudinem spirituum tendentium à corde ad cerebrum. & ita facit quatuor istos usus actiuè. & eadem est opinio Gal. & nihil aliud facit Gal. in libro de semine. Immo & Epicurei, qui casu uolebant omnia fieri; istud ipsum uoluerunt. Passiuè etiam longæ magis competunt istæ operationes aeri. Dico autem (passiuè) quatenus aer concurrit, ut materia in mistis. Mista enim omnia, in quibus dominatur aer; sunt omnia, & rariora, & leuiora, & subtiliora, et sursum tendentia. Id, quod in omni misto, ubi prædominatur aer; uidere licet. Mistum autem duplex est. Quoddam est, in quo dominatur aer, et aqua simul; et talia sunt oleaginosa, et pinguia. et hoc est rarissimæ substantiæ, et subtilissimæ. Penetrat enim oleum (si spargatur super uestem) maximè; est et leue. Accipiatis modò alterum, in quo dominatur aer, et terra, ut est agaricũ, et spongia. sunt ista rarissimæ substantiæ, et subtilissimæ, et leuissimæ; ergo est uerum, quòd dicit Auic. quòd aeris iuuamenta sint in generatis, et rarificatio, & alleuiatio; & subtiliatio, & in altum eleuatio.

Sunt autem ista spongiosa, et raræ substantiæ; quia humidum illud tenue aeris non potuit bene incorpo-

rari cum ſicco propter defectum humidi corpulenti. & ſunt etiam leuia conſequenter; quia cauernoſa ſunt, et plena aeris. Sunt ſubtilia, ut uidetis; et ſupereminent, ut uidetis; quia ſi ponatis ipſa in aqua; ſupernatant. Quòd autem in omnibus iſtis miſtis dominetur aer, de primo genere, præterquam, quòd res ſenſui patet; teſtatur etiam Ariſt. ſecundo de generatione animal. cap. 2. Quòd autem ea, quæ ſunt ſecundi generis; ſint et ipſa aerea; patet ſenſui, ſunt enim cauernoſa omnia, et foraminoſa. Præterea ipſe Galenus in cap. iſtorum omnium ſemper dicit in iſtis dominari aerem. Quòd autem iſta omnia aerea, et raræ ſint ſubſtantiæ, et leuis, et ſubtilis, & ſupereminent; apparet ex ipſis etiam ſenſibus. Si enim exhibeatis per os; uidebitis effectum. omnia enim petunt in altum; et ſupereminent, et ſuperfluitant in ſtomacho. Et ideo excitant uomitum, et non concoquuntur. ſic facit agaricum, ſic Colocynthis, ſic omnia oleaginoſa. In Agarico autem, et in colocyntide; præter aeris dominium; accedit etiã uenenoſitas quædam, quæ aduerſatur naturæ. Vndè poteſt facere nauſeam, & uomitum. Ideo, qui dicunt Agaricũ eſſe benedictum; non rectè intellexerunt ſubſtantiã Agarici; Quia, & excoriationes inteſtinorum, & uomitum, & ſyncocapam etiam facit. & quando dicit Dioſcorides, quòd corroborat uentriculum; iſtud ex accidenti facit; etiam euacuando pituitam plurimam, quæ eſt in uentriculo. Ex ſe autè ſemper infeſtus eſt uentriculo. Præterea Agaricum propter ſuam leuitatem

tatem magis à capite, quàm ab alijs partibus; euacuat. Non (ut dicunt iſti) propter proprietatẽ occultam, quã habet, ut magis euacuet à capite; (habet.n. proprietatem euacuãdi humorẽ pituitoſum ex omnibus partibus) ſed, quia ſupernatat in ore uentriculi. Omne autẽ attrahens magis attrahit ex propinquo; ideo magis ex capite attrahit. Quia omne agẽs, quantò propiùs eſt paſſo; tantò potentiùs agit. Si tamẽ accipiatis Agaricum, & miſceatis cum re graui, ut cum ſale gemmæ, & cum aloe, ſicut fecerunt antiqui omnes; Videbitis, quòd non prouocabit uomitum, nec nauſeam; quia trahitur hoc modo ad fundum uentriculi. Diceret & hic aliquis, quòd fungi non ita excitant nauſeam, & uomitum, quum ſint & ipſi raræ, & leuis ſubſtantiæ. Sed hoc poteſt contingere; quoniã fungus non habet amaritudinem erodẽtem, ſed habet ſuccum dulcem; & media eſt natura fungi inter oleaginoſa, & humida, & ſicca. In fungo enim humidum eſt bene continuatum cum ſicco; uapor igitur in eo iucundus eſt, & propter hoc non facit nauſeam. At quando talem & ipſi fungi habent ſubſtantiam; hinc eſt, quòd peſſimè concoquuntur, & generant humorem plurimum pituitoſum, & interdum etiam ſuffocant hominem. & notetis rationem horum omnium. Oportet igitur (ſi rectè uelitis ſcire, & per ueram methodum; iſta omnia) ut cauſas iſtorum omnium à natura ipſius rei intelligatis. Primò; igitur difficillimè concoquuntur; quia ſupereminent, & non complectuntur à uentriculo; ex quo calor naturalis non poteſt conficere.

Secundò; quia ſubſtantia frigida eſt etiam, & humida; quia habent etiam plurimum de aqua, et terra; et ideo generant plurimum humorem pituitoſum, craſſum, et uiſcidum. Deinde ſuffocant; quoniã, cùm generent humorem illum craſſum, & plurimos etiam flatus; flatus ille ualdè diſtenditur in materia illa craſſa. et, cùm non poßit exire propter craßitudinem ſubſtãtiæ; comprimit diaphragma, & propter etiam uentoſos uapores, petentes cor; ſequitur ſuffocatio, & ſyncopa, & mors. Sed diceretis, non omnia ſubtilia ſunt propter dominium aeris; ſed ſunt etiam aliqua ſubtilia, in quibus dominatur ignis, nõ aer. Quo modo igitur dignoſcentur iſta, & quo modo dicis tu, quòd ſubtiliatio ſit ab aere? Aduertendum quòd, quæ ſunt ſubtilia propter dominium aeris; diuerſæ ſunt rationis ab his, quæ ſunt ſubtilia propter dominium ignis. & diligenter animaduertite, quo modò ſit iſta ratio diuerſa. In his enim, in quibus aer ipſe dominatur; ſubtilitas eſt unctuoſa, & flatuoſa; ex qua fit ſubſtantia ipſorum lenta, & flexibilis; & non poſſunt facile diuidi. & hoc de pinguibus ſatis patet. Agaricum etiam uix poteſt conteri, ſicut etiam colocynthis, & ſpongia; niſi exſiccentur. et hoc oſtendit etiã quarto meteor. Ar. At ſubtile propter dominium ignis eſt frãgibile, et facilè diſſolubile; ut eſt cinamomum, et piper. Ignis enim exicicat partem terream, et adurit. Vnde iſta omnia ſunt calida, et ſicca. erodentia etiam ſunt tenuis ſubſtãtiæ, et penetrant, et incidunt, et aperiunt obſtructiones; quia materia terrea fuit attenuata ab ignis dominio.

Sed

Sed inſtaret adhuc aliquis contra me hoc pacto. Tu dixiſti; quòd, ubicunq; dominatur aer, ibi eſt ſubſtantia tenuis; At hoc eſt contra ipſum Ariſtotelem in ſecundo de generatione anim. cap. ſecundo. Dicit enim ibi Ar. quòd, ubi miſcetur aer cum aqua; fit ſpuma; et fit ſubſtantia Aquæ craßior, ex admiſtione aeris; quàm erat aquæ ſolius, et probat multis exemplis. Sicut exẽplo ſpumæ, quæ craßior eſt quàm aqua ſola. et exemplo etiam ſeminis. Præterea exemplo niuis; in qua eſt ſpiritus multus incluſus, unde etiam fit alba. Quid igitur dicis ad hoc? Dicimus eſſe uerum perpetuo; quòd, ubicunq; aer adeſt in miſtione; ſemper attenuat ſubſtantiam. At illa craßitudo in ſemine, & ſpuma, fit ex accidenti. Quando enim aer cum aqua complicatur; ſunt illic duæ humiditates, altera leuis, altera corpulenta. et ideo unaquæq; humiditas ſicut eſt diuerſa, diuerſum etiam quærit locũ. & humiditas aeris quærit diſſilire, & aſcẽdere; humiditas autem aquea quærit petere deorſum. & ita habent diuerſos motus. &, ſi quidem præualeat altera iſtarum duarum humiditatum; fit ſeparatio, & aer euolat, & aſcendit. Aqua autem deorſum petit. At, ſi utraq; humiditas ſit æqualium uirium; Tunc non fit ſeparatio. ſed aer continet humiditatem, & conglobat; & ideo apparet ſubſtantia craßior. Cuius ſignum; eſt, quòd ſemẽ quàndiu calidum eſt, eſt conglobatum, quia aer continet. At, cùm refrixit; fit ſubtilis; quia aer, qui priùs continebat; influxit. & ideo eſt potiùs, apparens craßitudo in ſpuma, et ſemine; quàm uerè adſit. In niue autem duo con-

 currunt.

currunt. Primum illud, quòd diximus de aere; & congelatio etiam ab extrinseco. & hoc quantùm ad dubitationem primam de iuuamentis, aeri attributis. Ad secundam dubitationem, quam attulimus contra Auicennam; Quando dicebamus, Auic. nugari, quia dicit bene facere aerem, qui erigit in altum, Ad hoc dicimus, quòd facere aliquod leue; & facere, ut res erigatur sursum; sunt duo diuersa. Pulmo enim est leuis; & tamen sursum non erigitur. Sublatio enim in altum fit propter spiritum multum inclusum, unde membrum hominis erigitur propter flatum plurimum inclusum, & flatuosa erigunt ipsum. Rectè igitur dixit Auic. & non fuit superfluus, & hæc satis pro complemento eorum, quæ de aere dicenda erant. Nũc ad ultimum elementum ueniamus, qui est ignis. Ignis verò est corpus &c. Idem facit hic, quòd in alijs fecit. Primò enim definit. et in hoc nolo immorari; quia accipit genus, deinde addit suam differentiã formalem à loco. & hoc est manifestum. Secundò dicit, quòd habet proprietates istas, ut sit calidus, et siccus. De caliditate patet. &, qui negat hoc; indiget pœna, & sensu; ut dicit Arist. & quantum habet caliditatis; tãtum habet leuitatis. Cùm ignis sit summè calidus; & caliditas hoc habeat proprium, ut absumat humidum. ex quo calor etiam humanus non potuit priuari hoc uitio naturæ; ex quo sequitur mors. et, si hoc est uerum; sequitur hoc; quòd, ubi est summa caliditas; etiam erit summa humidi consumptio. At, si hoc; nihil relinquitur humiditatis. Nã, ex quo caliditas est in summo; et omne agens

ne agens naturale agit, quantum potest; ergo consumet in summo. Et, si ponas aliquam remanere humiditatem; non erit caliditas in summo; quia non est agens uoluntarium, nec est impeditum. Ergo nulla humiditas potest esse in igne. & ista ratio tãtùm suasit Auer. ut dixerit non posse dari temperaturam calidam, & humidam. De qua re dicam, ubi dicam de complexionibus. Hæc ratio persuasit etiam multis philosophis; ut dicant ignem nullam habere humiditatem. et, quando uiderunt continuationem fieri per humidum; dixerũt etiam consequenter ignem non continuari; sed partes eius esse disiectas, et nullo medio continuatas. Nos autem oppositum tenemus in utroq; Isti nanq; dicũt duo. Primum; quòd in igne nulla sit humiditas. Negatur autem hoc. Secundum; quòd ignis non componatur ex partibus continuis. Negatur etiam hoc. Quoniã enim istud ultimum fuit probatũ ab ipso Aristotele; ideo in hoc non immorabimur nos; sed in altero tantũ, in quo cõtra Albertum magnum erit sermo. Albertus igitur; uolens saluare, quòd sit etiam summa siccitas in igne, et continuatio; argumentatur in hoc contra philosophos illos; probando, quòd ignis possit esse continuus etiã, quòd in illo nulla prorsus sit humiditas. Ipse enim hoc admittit. Prima ratio est hæc. Motus continui, et fluxus continui; est ante fluxũ humidi; ergo etc. Præterea; cœlum est continuum, et tamen nullam habet humiditatem; ergo sunt aliqua, quæ sunt sibi continua, et tamen non cõtinuantur per humidum. nam mista corpora bene habent cõtinuari necessariò per humidum;

An ignis habeat continuari per humidũ.

midum; non corpora ſimplicia. Circa iſtud ego teneo oppoſitum; et dico; quòd quidquid continuatur; id continuatur in natura per humidum, ſiue ſit compoſitum, et miſtum; ſiue ſimplex.

LECTIO. XIIII.

DIVVS *Albertus omnia ſupponit, et nihil probat. Demiror equidem Albertum; qui ponens, quòd miſta continuantur per humidum, ſimplicia autẽ continuentur ſine humido; nullam dederit rationem huius diuerſitatis. Prætereà; in argumento primo petit principium. Id enim eſt, quod quærimus; Vtrùm detur fluxus, et motus continui; ante fluxum, et motum humidi. Prætereà idem facit in ſecundo argumento, nihil enim probat; ſed aſſumit tantùm, oportebat enim probare, quòd in cœlo nullum ſit humidum. Quantùm ad ſuam concluſionem; dico, quòd eſt manifeſtè falſa. et hoc commonſtratur, ratione, et experientia. Ratione quidem, et diſcurſu; probatur hoc modo. In miſtis, et ſimplicibus; eſt eadem materia; et non digerunt; niſi, quòd in ſimplicibus materia prima eſt immediate; in miſtis autem mediatè per corpora ſimplicia. Cùm igitur ſit eadem materia; et materia in ſe habeat quantitates interminatas, et corporeitatem quidem interminatam; opotet illam quantitatem, quam imaginamur eſſe interminatam; accipere aliquam extenſionem, ut fiat determinata. At quando materia extenditur; partes occupant aliquem locum, ut una pars ſit hic, alia pars ſit illic. At hoc non poteſt fieri, niſi per aliquod*

continuum

continuum; Quod quidem cõtinuum neq; cogitari poteſt eſſe aliud (phyſicè loquendo) quàm humidum. In miſtis autem faciliùs percipimus; quia craſſius eſt humidum continuans in miſtis. et, quòd ſit uerum; quòd, quantò aliquod corpus eſt tenuius, tantò ſubtiliori indigeat humido continuante; Videatis; quòd pictores, quando uolunt incorporare, et adglutinare; aurũ parietibus; inſuflant tantùm; et ex humido, per inſuflationem acquiſito, adglutinant. At, ſi ferrum ferro, aut lignum ligno, uelint adglutinare; uel iſta adglutinare parietibus; opus eſt humido adglutinante magis corporeo, et craſſiore. et uidetis ratione ipſa; etiam ignem humido adglutinari, ideſt continuari. Probatur etiam ſenſu; quia omnia iſta ſimplicia, quæ poſſumus habere; uidemus continuari ſibi per humidum. Nam præter, terram, aquam, et aerem; quæ manifeſtiſſimè uidemus humiditatem habere, qua continuantur; etiam ignis per humorem inflammatum continuatur. & ignis ſecundùm Ariſt. nihil aliud eſt, quàm aer inflammatus; &, tàndiu eſt ignis; quàmdiu per humiditatem continuatur. & uerum eſt (quod dicebant illi philoſophi; quorum opinionem recitat Albertus.) quòd, ſi in igne nulla ſit humiditas; ignis partes nullo modo erunt continuatæ. & ita uidetis concluſionem Alberti non poſſe ſtare. Ad argumenta ſua; Quando dicit; fluxus, et motus; continui eſt ante fluxum, & motum; humidi; ergo datur continuum continuatum ſine humido; Equidem Albertum demiror; & neſcio, an phyſicè, an mathematicè; loquatur. Nam, ſi mathematicè loquitur; ue-

rum

rum est hoc; quia fluxus puncti facit lineam, & fluxus lineæ facit superficiem. & ita fluxus continui est ante fluxum humidi; quia sunt ista abstracta à materia. At physicè loquendo; nihil unquàm inuenietis, quod tale dici poßit. Metaphysicè etiam considerando; potest esse uerum, quia est continuatio causarum sine humido. Similiter, etiam logicè loquendo, est uerum; Quia fit continuatio præmissarum sine humido. At in naturalibus uelim id mihi ostendi. Ad secundum debebat hoc probari; Nam ego dico, quòd in cœlo est humiditas. At diceret aliquis; si inesset humiditas; haberet materiã eandem cum materia inferiorum, omittamus de materia cœli; utrùm sit diuersa à materia istorum inferiorum, an non. Sed (quicquid sit illa materia) dico; quòd, cùm sit extensio in cœlo; fit illa extẽsio per humidum; quod quidem humidum tale erit, qualis est materia ipsius. & si Albertus potest me docere, qualis sit materia cœli; docebo equidem ipsum, quale sit istud humidum. Sed diceret aliquis; si humiditas esset in igne, & in cœlo (ut tu ponis) esset in istis compositio. & ita nõ essent corpora simplicia. Hoc autem probo; quia humiditas est qualitas accedens ad compositionem. Hic petitur principium. Sed notate; quòd duplex est humiditas, continuans, & elementaris. & differunt secundùm intensionem, & remißionem; non secundùm genus, nec secundùm speciem. Hæc tamen intẽsio, & remißio; faciunt, ut sint maximè diuersa inter se. Humiditas elementaris est humiditas per excessum, in quibus dominatur. & ista humiditas, non solùm continuat

partes;

partes; sed obtundit, & extinguit, & facit mollitiem, & multas alias qualitates. At humiditas continuans non est ita; sed tantùm continuat, et non facit has passiones. Et uideatis hoc in corporibus cœlestibus; ut in stellis, & cometis.

At quando humiditas continuans excedit; non dicitur ampliùs continuans, sed elementaris. & si ista humiditas elementaris accedat alicui rei; faciet compostitionem, sed illa continuans non facit compositionem. & ista satis sint pro hac quæstione. In hac enim nolo ampliùs immorari. Redeamus igitur ad textum Auic.

In rebus autem generatis præstat iuuamentum. *Perfecta illa particula, ubi declarabat facultates ignis; postea uenit ad iuuamenta ignis, & dicit* quinque esse iuuamenta in igne, quando venit ad mistionem. Primum; est, vt subtiliet. Secundum, vt maturet. Tertium; vt fiat penetratio. Quartum; vt permisceat. Quintum; vt temperet frigiditatem aquæ, & terræ. *Sunt profectò ista quinq; rectè intelligenda; at non possunt rectè intelligi, nisi ex discursu tali. Debetis igitur scire; quòd omnis generatio fit propter calorem agentem in humidum corpulẽtum, & crassum. Quia actio caloris in aere, cuius humiditas est tenuis; nullam facit generationem, nisi sui ipsius. Quando autem agit calor in humidũ crassum; incipit generatio misti. et accipiatis primò metallica, quæ sunt prima in mistis perfectis. calor agit primò in humidum crassum, & concoquit; postea accedens frigiditas extrinsecùs congelat.*

lat. Hoc autem; in seminibus, & plantarum, et animalium; patet. Quia nulla planta, ac nullum animal; generatur; nisi calor solis, agens in humidum materiæ; excitet uirtutem formatiuam. Ideo dicebat Arist. quòd sol, & homo; generant hominem; Quia sol primò agit in semen; & excitat calorem, qui est in semine; et uirtutem formatiuam, existentem in potentia in semine. et homo etiam generat; quia eijcit semen, quòd est tãquàm materia. Videtis igitur primò; quòd in generatione mistorum calor agit in humidum materiæ, excitans uirtutem formatiuam. Hoc supposito; primùm fit, ut rarefaciat calor, et attenuet materiam. et uidemus hoc in humido omni; quod calefit ab igne extrinsecùs; turgescit enim, & rarificatur, et subtiliatur. In ista autem subtiliatione, & rarificatione; partis illius; quæ fit, rarior, et tenuior; quàm conueniat pro generatione: Illud totum difflatur, sicut uidetis in lebete ebulliente. Quod enim ita crassum est, ut non conueniat pro temperatura mistis; excernitur. et ita remanet succus depuratus; qui quidem attenuatus, et rarificatus fuit; qui quidem dicitur æqualis æqualitate iustitiæ. dicitur etiam temperatus. dicitur etiam maturus; quia pertinet ad maturationem. dicitur etiam coctus, et uidetis expressè hoc in fructibus. Primò enim, dum erumpunt fructus, sunt acerbissimi, et crassæ substantiæ, et duræ, At, quando sol incipit magis agere; fiunt molliores, et dulciores, et tenuiores. Videtis igitur, quòd calor primò subtiliat; deinde facit, ut pars crassior in fructu excernatur ad cortices; et pars tenuior, quàm pro fructus

ctus temperatuca conueniebat, euaporet. et ita remanet succus depuratus, et temperatus; et dicitur fructus maturus. Contingit autem postea; ut uirtus formatiua in fructu in actu posita indigeat nutrimento, ut conseruetur, et augeatur. Ideo opus habet, ut attrahat nutrimentum extrinsecùs. et quoniam nutritur, in nutritione autem fiunt excrementa; Ideo etiam indigebat uirtute expellente. At hoc non poterat fieri, nisi per spiritum (uirtus enim, et operatio attractiua, et expulsiua; fit per spiritus impulsionem. Sed iste spiritus non poterat penetrare ad loca attractionis, et expulsionis per se.) Ideo indigebat calore; qui præiret, et præpararet uias; ut spiritus posset penetrare. Sciunt hoc etiam medici; qui artem exercent, et imitãtur naturam. Quando enim uult medicus trahere spiritum de loco ad locum; calefacit etiam locum igne; sicut etiam facit, quando apponit ipsas curcubitulas. Quando etiam uult expellere; calefacit locum. Deinde; non tantùm calor attenuat materiam, & maturat, & conficit, & adiuuat spiritum ad penetrationem; sed etiam, quando nutrimentum est atractum; ut possit uniri, oportet esse aliquod admiscens, et uniens. Ideo caloris usus est etiã, ut uniat, et permisceat. et ita habetis quatuor iuuamẽta caloris; quæ sũt usus ipsius ignis. Primò igitur subtiliat materiam crassam; agens in humidum materiæ, & educens ad actum calorem materiæ & uirtutem formatiuam existentem in potentia. Secundò maturat illam materiam; quoniam facit subtile, & inutile defluere, & crassiores partes excernit.

excernit. Tertiò adiuuat ad attractionem, & expulsionem mediante penetratione. Quartò ad commistionem, & unionem nutrimenti. Ista erant ita ordinanda; licèt ista Auic. nõ hoc ordine posuerit, sed confuderit. Sed ita sunt ordinanda; ut primò fit subtiliatio, secundò maturatio, tertio penetratio, quarto permistio. & ita patent quatuor prima iuuamenta ignis, quæ enumerat Auic. Et, ut duorum elementorum frigiditatem. *Quinta utilitas est; ut duorum elementorum purè frigidorum temperetur frigiditas. Nam alioqui non potuisset fieri mistio, & generatio. Quia frigiditas facit ad mortificationem; ideo oportuit illã temperari calore ignis. Hoc est notandũ quòd dicit* (purè frigiditatẽ duorum elementorũ.) *Pura autẽ frigiditas est simplex, simplex aũt est in summo, ergo & in aqua, et in terra ponit summam frigiditatem. Quomodo igitur stat hoc? Aduertendum; quòd summa frigiditas effectiuè (ut diximus) est in aqua, formaliter in terra ipsa.* (Duo autem grauia.) *Postquàm Auic. tradidit iuuamenta singulorum elementorum; nunc tradit iuuamenta duorũ frigidorum in communi, & duorum calidorum. Primo igitur elementa calida faciunt ad motionem; frigida autem ad quietem. Quia enim animalia debent naturaliter moueri, & quiescere; ideo habuerunt in suis principijs duo elementa, ratione quorum naturaliter mouentur; & duo alia, ratione quorum naturaliter quiescunt. & utrumq; fit sine labore; quãdo naturaliter fit. & illa, in quibus plus dominantur calida elementa;*

da elementa; magis mouentur. ubi frigida illa minùs mouentur; sicut & in speciebus animalium apparet, et in singulis indiuiduis eiusdem speciei. homines enim biliosæ naturæ sunt magis apti ad motum, et magis ad eum inclinati. At qui sunt frigidæ temperaturæ, pituitosi. s. & melancholici; sunt tardi, & segnes ad motum. Dicit deinde; quòd duo elementa frigida faciunt ad generationem membrorum, & humorum; duo autem calida ad generationem spirituum. Notetis; quod dicebat Hippo. Dicebat enim corpus nostrũ ex tribus constitui; ex solidis membris, humoribus, et spiritibus. Dicit modò Auic. quod (ad generationem membrorum, & humorum faciunt duo elementa grauia,) *& uerum dicit in cadaueribus. Nam quando animal mortuum est; remanẽt membra solida, & humores humi iacentia, & in terram conuersa; quia sunt ex elementis grauibus, & crassis. at spiritus non manent; quia euolarunt. Dicit etiã Auic. quòd* (generant humores, & spiritus duo elementa calida.) *Sed in hoc uidetur discrepare à sententia Gal. & sequi opinionem Platonis. Nam Gal. 8. De placitis ponit opinionem Platonis de generatione spirituum. Plato enim uolebat generari ex igne, & aere; at Gal. ex aere, et aqua; primo Aph. Aph. 14. opinio autem Gal. est magis sensata. Videmus enim, quòd in isto magno mundo inferiori non fiunt spiritus, nisi uapores aerei misceantur cum substantia aquæ. Prætereà uidemus, quòd aer, quem inspiramus nos; non fit statim spiritus; sed tunc, quando ad pulmonem accessit,*

acceßit, & ex ſubſtantia pulmonis accepit humiditatem quādam aqueam. Vltimò dicit unum Auic. (quod eſt conſiderandum) ubi dicit (primus motor eſt ipſa anima.) *Hic etiam diſcordat à Galeno.*

Ex hoc loco quidem eliciunt, quòd Auic. uoluerit aliud eſſe temperaturam, aliud eße animam. Hæc quidem fuit ſententia Auic. ſed non eſt neceſſarium, ut iſtud hinc eligatur. Eſt hic etiam alia difficultas. Quia uidetur etiam Auic. diſcordare à Gal. in cauſa materiali generationis ſpirituũ. Galenus enim uoluit, quòd ſpiritus generentur ex aere, & aqua; Auic. autem hic uoluit, quòd generentur ex duobus leuibus, hoc eſt ex aere, & igne. Pro hac re eſt notandum, quòd duplex eſt ſpiritus. &, quòd ſpiritus dupliciter intelligitur. Vno modo apud antiquos pro aere, impellente, & expellente (de quo dicebamus ſuperiùs) qui quidem aer eſt neceſſarius ad operationes. Alio modo capitur pro hoc impellente, & expellente; non concernente aliam qualitatem, et dicitur ſubſtantia aerea. Differt autem in hoc; quòd partes aquæ acceſſerunt ad hanc ſubſtantiam aeream, quæ fecerunt hanc craßiorem. Iſte ſpiritus humectatur, tum propter attractionem, tum propter humectationem pulmonis. Iſte ſpiritus euentat totum cor, & calorem innatum. Eſt alius ſpiritus, qui alio modo cõcipitur; qui habet tanquàm ſubiectum illum ſpiritum propellentem, & expellentem. Iſte igitur ſpiritus ita, propellens, et expellens; quandoq; intelligitur una cum calore naturali; qui quidem per ſe intellectus nõ eſt ſubſtantia,

ſubſtantia, ſed qualitas complexionalis. Iſte calor naturalis complexionalis, & ualdè ſimilis eſt aeri. 2. de genertione animalium, & eſt ualde proportionalis calori cœleſti. Iſte calor complexionalis; ut eſt qualitas ſimplex, ſe tenens ex parte formæ; dum unitur ſpiritui propellenti, & expellenti; ille ſpiritus fit nobilior; & fit ſpiritus, animalis, & uitalis, & naturalis; & educit in actum calorem complexionalem, potentia in membris exiſtentem. & dicitur iam iſte ſpiritus, uitalis; non autem amplius propellens, & expellens. Dicitur etiam iſte ſpiritus animalis; quando in cerebro ulteriùs depuratus operatur operationes ipſas animales. i. ſenſum, & motum. Dicitur etiã hecticus, & naturalis; quando operatur actiones naturales, concoctiones, & alia huius modi. & totũ hoc dicitur (diuerſis nominibus ſecundum diuerſas intentiones) calor innatus, & ſpiritus. Non repreſentãt enim iſta duo nomina duas res; ſed duas rationes. Quando enim refertur ad coctionem, & maturationem, & ad alios uſus caloris; dicitur calor innatus. Quando autem mouet, & agitat; appellatur ſpiritus, uel animalis, uel uitalis. Et ego ſæpè quæſiui à præceptoribus meis, quid differret calor innatus à ſpiritu; & nunquàm potui ſcire hoc, niſi ex longo ſtudio Galeni. His ita notatis; dicimus modò (redeundo ad cauſam materialem generationis ſpirituum diuerſimodè poſitam à Galeno, & ab Auic.) quòd reſolutio de cauſa materiali ſpirituum eſt diuerſimodè poſita ab his. Iſte enim ſpiritus; ſi conſideretur, ut eſt unitus

quo differat calor naturalis et spiritus.

cum calore innato, ut confert ad mores; rectè dicitur ab Auic. confectus ex aere, & igne. *Vt autem est propellens, & expellens, non unitus cum calore naturali; tunc rectè dicit Galenus, quòd est compositus ex aere, et aqua. Quoniam autem dixerat Auic.* (spiritum conferre ad motiones) *Ideo nequis credat spiritum esse animam; dicit* primum motorem esse animam. *Quia anima est principium motus, & quietis; Spiritus autem est instrumentum animæ; ut apertè dicit Arist. et Galenus etiam idem sæpè dicit, quando uult exquisitè loqui. Sed tanta est conformitas, et connexio huius spiritus cum anima; ut Galenus, quando non uult exastè loqui; ut remoueat occasionem contendendi; se nõ curare dicat, siue hic spiritus dicatur esse anima ipsa, siue instrumentũ animæ. Ex quo quidam malè accipientes Galenum dixerunt ex ipsius sententia spiritus esse ipsam animam. Sed hic est difficultas. Certum est enim; quòd anima sit principium motus in corpore humano. Vtrùm aũt sit ista anima tẽperatura, uel quid aliud; dubiũ est. Sed de hoc dicemus postea suo loco. et hæc satis quantũ ad totũ illud caput. Nunc ad tertiam doctrinã ueniamus.*

AVIC. LIB. PRIMI FEN PRIMAE, Doc. III. De Complexionibus. Caput primum.

LECTIO. XV.

COMPLEXIO est qualitas, quæ ex actione. *Sciuistis secundam doctrinam fuisse de elemẽtis; quòd erat*

erat primum de causis materialibus, nam primùm de causis materialibus loqui uoluit. Cùm igitur procedat Auic. ordine compositiuo, meritò ab elementis incepit tanquã à simplicissimis omnium inter causas materiales. Post igitur considerationem de elementis; aggreditur modò agere de complexionibus, tanquàm teneant secundum locum inter causas materiales. Sed hic statim diceret aliquis. Cur temperaturas miscuit; quæ potiùs se tenent ex parte formæ, quàm ex parte materiæ? Complexio enim est forma totius compositi, resultans ex mistione quatuor elementorum. Duæ fuerunt rationes, quæ fecerunt Auicennam ponere statim complexiones post tractationem de elementis. Prima propter causam sine qua non. Quia, cùm egisset de elementis, & posuisset facultates, & usus ipsorum ad mistiones, & ad complexiones; ut uniretur materia superior cum subsequentibus; erat necessarium agere de complexionibus, ut meliùs appareret usus elementorum in mistione. Ratione igitur consequentiæ superiorum hoc fecit Auic. Præterea; cùm esset acturus de humoribus, et membris; quæ resultant ex uaria complexione; non potuit de his agere, nisi priùs notificasset nobis temperaturas. Videtis igitur, quo modò artificiosissimè posuit temperaturas inter elementa, & humores. Alia ratio est; quia Auic. negat temperaturam esse formam, & perfectionem; sed dispositionem tantùm ad formã, & perfectionem; quæ se tenet ex parte materiæ. et uidetur temperatura esse subiectum sanitatis. Talis igitur sit ratio

reddita de ordine. nunc ueniamus ad declarationem eorum, quæ dicuntur. (Complexio est qualitas, quæ &c.) *In ista doctrina tria omnino faciet Aui. Primò enim; per suum progressum ab uniuersalibus, ad particularia, incipit tractare de omnibus temperaturis in uniuersali. Secundò; de temperaturis singulorum membrorum. Tertiò; de temperaturis ætatum, et sexuum. Ista tria in tota doctrina faciet. Pro prima igitur parte, ubi aget de temperatura in communi (quòd quidem fit in isto primo cap.) duo facit. Primò ponit definitionem temperaturæ. Vt autē postea possit diuidere, (quia nō possumus diuidere, quod nescimus) ideo incepit ab ipsa definitione. Alterum, quod facit in isto capite; est ex his, quæ consequuntur ad complexionem. In definitione igitur; primò definit, deinde declarat definitionem.* Complexio est qualitas, quæ ex actione inuicèm. *Primò igitur definit; et affert suum genus, quod est qualitas. In hac definitione sunt pulcherrimæ difficultates, malè à modernis tractatæ. Ego itaq; priùs declarabo sensum uerborum Auic. postea dubitabimus; ut nulla remaneat difficultas in mentibus uestris. Definit igitur temperaturam per qualitatem. qualitas autem est genus generalissimum, et habet sub se multa genera subalterna; ut habetis in prædicamento qualitatis. De qua igitur intelligit Auic? Videtur enim malè posuisse genus ita remotum. Communis omnium opinio est; quòd intelligit de prima specie qualitatis, quæ est habitus; est enim permanentia quædā in corpore.*

Sit igitur habitus; & supponamus pro nunc, pro habitu positam qualitatem; quia postea melius uidebimus. Duo sunt nomina, complexio, & temperatura. & oportet etiam dicere, quænam sit horum duorum terminorum ratio. Complexio à complectendo uenit; & nihil aliud notat, quàm complicationem diuersarum rerum. Temperatura aliud notat. Dicitur enim aliquid temperari; quando ex duobus, uel pluribus commistis, & temperatis; resultat tertium, habens diuersam formam, temperatis extremis. Ideo longè meliùs utemini hoc nomine (temperatura) quia indicat uobis essentiam ipsius rei. Iam igitur satis de nomine; & satis de genere. Temperatura igitur est qualitas, idest habitus. Ita supponamus. habitus autem plures sunt. Sunt enim habitus animæ, sicut scientia; & corporis, sicut gracilitas, & pinguedo. Ideo oportet distinguere uobis hoc genus. Addit igitur Auic. differentiam, quando dicit quæ ex actione inuicèm, & passione. *Qui traduxerunt; posuerunt unum uerbum malè, quod fecit obscurum totum istum tractatum. Nam uerbum illud (prouenit) in fine positum; dicit esse magis propinquum principio, ut ita legatur* quæ ex actione inuicèm, & passione contrariarum qualitatum, in elementis inuentarum; prouenit. Quorum partes. *Est igitur hæc differentia; quia iste habitus resultat ex actione, & passione mutua primarum qualitatum. Quia, neq; habitus scientiarum, neq; gracilitas corporis, neq; pinguedo; resultant ex tali actione, et passione.*

ſione. Sed, quoniam non ſufficit ad hoc, ut fiat temperatura; quòd mutua ſit actio, & paßio contrariarũ qualitatum (non enim ſequitur; facta eſt mutua actio, & paßio; primarum qualitatum; ergo facta eſt temperatura. Quia, ſi ponatis fruſtum terræ, & partem aquæ ſimul; fiet quidem actio, & paßio iſtorũ; ſed non fiet temperatura) Ideo oportet, ut fiat permiſtio. Quòd fit, ſi miſcibilia diuidantur ad minima; primo de generatione in fine, ubi de miſtione loquitur. Vndè etiam natura antequàm concoquat cibum in uentriculo, priùs diuidit in minima. Secunda igitur differentia erat addenda; quòd miſcibilia ita debent diuidi ad minima, quouſq; plurimum unius cõtingat plurimum alterius. Ideo addit Auic. (Quorum partes ad tantam paruitatem, &c.) *enigmaticè uidetur loqui Auic. ſed ingenioſiſsimè tamen. Diuiſionem ad minima ſequitur iſta poſitio; ut plurimum unius contingat plurimum alterius. & ſequitur hoc dupliciter. Vno modo; quia, ubi res diuiſæ ſint ad minimum, & commiſtæ; non poteritis habere minimum unius, quin habeatis minimum alterius. & patet exemplo contundetis, piper, et cinamomum, ad minima. Siquidem enim deinde miſceatis; tunc non poteritis habere unũ minimum piperis, quin etiam habeatis minimum cinnamomi. Et è conuersò etiam. Ita; ut plurimum unius minimi ſit cum plurimo alterius. Alia ratio huius contactus ſit hæc. habeatis hoc exemplum. & ſi accipiatis libram alteram aquæ, & alteram terræ, et diuidatis ſingulas libras in duodecim partes, et miſceatis;*

non contangent ſe plurimùm, quia non contangent ſe in puncto, ſed in linea tantum ſuperficiali. At, ſi diuidatis partes illas in minima, & miſceatis; tunc plurimum unius erit cum plurimo alterius, & fiet contactus undequaq;. At, ſi fiat talis contactus; fiet facilè permiſtio, ex qua temperatura reſultabit. Hic eſt ſenſus Auic. Temperatura igitur, uel complexio; eſt qualitas, uel habitus, qui prouenit ex mutua actione, & paßione primarum qualitatum ita; ut partes elementorum inuẽtorum in tali miſtione ita redigantur ad minimum, ut plurimum unius contangat plurimum alterius. & hæc ſatis, quantùm ad declarationem uerborum definitionis. Bona igitur eſt hæc definitio; quia non poteſt conuenire, niſi uni ipſi temperaturæ. Cùm enim inuicèm agunt, & patiuntur ſuis virtutibus. *Declarat in iſta parte definitionem. Poſſet enim quis dicere. Tu dicis, quòd temperatura eſt qualitas, reſultans ex mutua actione, & paßione primarum qualitatum contrariarum ex diuiſione elementorum ad minima. Ego autem uellem habere conceptum longè diſtinctiorem huius rei, ſcilicet; quo modo fiat hoc. Declarat igitur Auic. ex mutuis actionibus, & paßionibus; primarum qualitatum, cognoſci factam eſſe temperaturam. Quoniam, cùm uirtutes iſtæ elementorum agunt, & patiuntur inuicèm; ſequitur ex ſumma eorum qualitas quædam tertia æqualis in eo toto miſto, & ſimilis earum qualitatum. Quia temperatura denominatur, uel calida, uel frigida; Ergo eſt ſimilis temperatura illis facultatibus*

tibus elementorum, & similis uirtutibus eorum. & notate hic; quòd Auic. appellat qualitates primas elementorum uirtutes; ut notauimus superiùs, dum exponeremus facultates singulorum elementorum. Idem enim est dicere, facultates, & uires, et potentias; elementorum. & dicuntur ita; quia per istas qualitates elementa operantur; ideo meritò uirtutes dicuntur.

Cùm igitur inuicèm agunt, & patiuntur suis virtutibus; in earum &c. *in earum summa, id est, tandem post longum processum actionis, et passionis, & alterationis. Sed quoniam adhuc erat alia difficultas, quia posset aliquis dicere. Quænam causa propria est istius qualitatis? Ideo dixit Auicen. Aduerte, quòd* qualitates, quas diximus esse in elementis; sunt, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. *Quibus refractis; fit postea ista tertia qualitas, quæ dicitur complexio. & ita posita est uera definitio, & declarata. & iam satis de hoc. Modò (sicut dicebamus) circa istam definitionem plurimæ difficultates contingunt, quæ non sunt prætermittendæ à nobis. Erimus tamen breues in omnibus. Difficultas prima est hæc; Cur; Quare; cùm dicatur communiter temperatura habitus, qui est species qualitatis; definita sit ab Auic. per qualitatem, quod est genus remotũ. Cùm genus definitionis debeat esse proximum. Videtur igitur peccare Auic. & non seruare leges definitionis. Ad hanc quæstionem respondemus, quòd Auic. fecit hoc cum maximo artificio. Voluit enim definire temperaturam ita; ut conueniret omnibus opinionibus,*

nionibus, quæ de temperatura habentur. Præsertim cùm sint fundatæ istæ opiniones in bonis fundamentis, & rationibus. Variæ autem istæ opiniones, quæ sunt de temperatura; sunt propter uarios respectus. Videtur enim complexio esse sub diuersis speciebus qualitatis secundùm diuersas rationes. Vt enim est quædam permanentia; dicitur habitus. Sola enim permanentia, facit, & characterizat; habitum. Videtis enim, quòd habitus non determinatur ad unam determinatã qualitatem; sed prædicatur de omnibus speciebus qualitatis. Vti de paßibili qualitate; dicimus enim calidum esse in habitu, & alia huiusmodi. De naturali potentia, uel impotentia; nam dicimus aliquid habere, duritiem, & mollitiem. Necnon de habitu, ut etiam de quarta specie qualitatis, hoc est de figura. & ita habitus non dicitur habitus, nisi per ipsam permanentiam. Temperaturam igitur; ut est permanentia quædam in corpore, merito dicitur habitus. Eadem autem dicitur, esse paßibilis quædam qualitas. Quia, si sit illa qualitas acquisita ex refractione illarum quatuor qualitatum, et sit similis, & eiusdem speciei; Tunc habebit idem nomen. Ideo, cùm illæ sint paßibiles qualitates; erit & ista paßibilis qualitas. & ita habetis, quomodò non solùm reperiatur temperatura sub prima specie qualitatis, sed etiam sub secunda. Est et in tertia specie qualitatis. In naturali potentia; quia temperatura est potentia quædam, à qua exeunt operationes omnes. cùm enim sit facultas quædam, inexistens subiecto, à qua fiunt operationes bonæ, uel malæ; ideo poterit meritò dici

dici naturalis potentia,uel impotentia. Ideo,cùm uideret Auic. temperaturam secundùm uarios respectus posse sub diuersis speciebus qualitatis poni; propter hoc,ut euitaret disputationes,posuit genus qualitatis. Etiam propter aliam rationẽ;quia,licet tenuerit temperaturam esse de genere accidẽtium; uidebat tamen Gal.& Hippocr.tenere illam esse formam substantialem; ideo accepit genus qualitatis,cõmune formæ substantiali,& accidentalibus qualitatibus;nè posset Gal. aut Hippoc.habere aliquid cõtra ipsum. Quòd autem qualitas dicatur de forma substantiali,& accidentali; istud quinto metaph. 19.declarat Ar. Iure igitur, & artificiose;factum est hoc ab Auic. Simile quoddam fecit & ipse Gal.primo de differentijs morborum. Cùm enim ibi uellet constituere methodum inueniendi omnes differentias morborum; & uideret duas esse opiniones circa generationem compositorum; alteram, Hippocr.& Peripateticam;quæ uolebat omnia componi per mistionem,& temperaturam, & alterationem. Alteram Democr. & Asclepiadis; quæ uolebat omnia componi,non per temperaturam,sed per compositionem atomorum,& incompatibilium corpusculorum. Cùm inquàm uideret diuersitatem istam opinionum,ita definiuit ipsum morbum,ut definitio utriq; opinioni accommodari posset.& de hac quidem quæstione satis hæc. Est alia difficultas longè maior;utrùm temperatura sit tantum accidens, an sit forma substantialis.& in hac quæstione hærent maximi uiri,& attinet ualdè ad medicos. Quia,nisi medicus sciat tẽperaturam

raturam esse formam substãtialem,dantem esse immediatè,& prouenire ab illa operationes immediatè; diuersum faciet prognosticum; quàm faceret, si sciret. Quia,si scietis hæc; ubi uidebitis destructam esse temperaturam, abibitis desperantes de salute ægri. Præterea etiam facit ad curationem. Quia, si scietis hoc; conabimini habere maximam rationem temperaturæ;ut à qua pendeant operationes omnes,et etiam ipsa uita. Est igitur quæstio diligenter examinãda. Duæ sunt opiniones summorum Virorum. Prima est Arabum, & Latinorum recentiorum; qui credunt nullo modo formam substantialem esse temperaturam, sed temperaturam primam solùm dispositionem ad formam substantialem. In qua sententia fuit Auic. in libro de anima,parte prima,cap. primo;et Albertus secundo de generat.tract.secundo,cap. 15. In parte autem opposita sunt Hippoc. & Gal. & fortaßis etiam Arist. Qui uolunt nihil aliud esse formam substantialem,quàm temperaturam eductam ex materia. Habet autem unaquæq; harum opinionum suas rationes. Ego recitabo fideliter eas,quæ potißimæ mihi uidẽtur; deinde indicabo, quid sit tenendum in ista quæstione. & afferam primò rationes Auic. & aliorum, qui sunt eiusdem sententiæ. Prima est;Nullum agens naturale potest producere effectum ultra proprias uires, & ultra suam facultatem. Sed calidum,frigidum,etc. sunt quædam qualitates naturaliter agentes;ergo non producent effectum ultra suas uires. Vires autem istarum primæ sunt quidem, calefacere,refrigerare,&c. Secundæ

cundæ autem;indurare,mollire,ſtringere,laxare,etc. Igitur non erit temperatura,reſultans ex,frigido,calido,etc. fōrma ſubſtantialis, à qua exeūt operationes hominis tam mirandæ. Secunda ratio eſt talis. Omnis fōrma ſubſtantialis eſt ſubſtantia. Per te autem fōrma ſubſtantialis eſt temperatura;ergo temperatura erit ſubſtantia.Sed temperatura eſt accidens;ergo accidēs eſt ſubſtantia. Quòd autem temperatura ſit accidens; per uos probatur ô Galene;quia eſt qualitas quædam, effecta ex refractione primarum qualitatum. Propterea uidetur iſta ratio eſſe Ariſt. expreſsè ſecundo de generat.animal. Dicit enim ibi, quòd calor agens eſt agens tanquàm inſtrumentum, & dirigitur à nobiliori quadam uirtute. Calor igitur, ut calor; non poteſt à calore educi, ſed à nobiliori uirtute educitur. Hæ potiſsimæ ſunt rationes Arabum,& Latinorum;probantium,quòd temperatura ſit accidens,diſponēs tantùm ad fōrmam ſubſtantialem. Ex alia parte probat Hippoc.& Gal.quòd temperatura fit fōrma ſubſtantialis. Prima autem eius ratio eſt iſta.Quidquid introducitur materiam miſti ab agente tanquàm finis, & perfectio miſti, in quo etiam quieſcit agens; eſt fōrma ſubſtantialis.Temperatura tale quoddā eſt;ergo,etc. Maior eſt nota.Minor probatur inductione.Nam, (ſi bene obſeruemus)in quacunq; re,quæ generatur;ſemper ſuus motus eſt in qualitatibus primis, & tandiu durat motus;quàndiu nō eſt adepta temperatura.Acquiſita autem temperatura ceſſat motus;& non poſſumus sēſu uidere,quòd aliquid aliud aquiratur;quàm

temperatura.

temperatura. Aliud argumentum eſt confirmans hoc primū,et eſt huiuſmodi. Omnis fōrma ſubſtantialis eſt actus primus,et perfectio illius,cuius fōrma.Temperatura eſt perfectio illius,cuius eſt tēperatura, & actus primus; ergo etc. Maior eſt per ſe nota & eſt Ar. in ſecundo de anima. Minor monſtratur hoc modo, (per omnes operationes,et per omnia ſigna;quæ apparent in animalibus)inductiuè.& primò mōſtratur per animam rationalem; Quia, hoc dato ; non eſt dubium de alijs. Gal.igitur in libro.Quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur etc. oſtendit; quòd, & intellectio fit à temperatura ita; quòd, ſi temperatura lædatur; læduntur etiam operationes animæ; & per gradum læſionis temperaturæ proportionaliter læditur diſcurſus,& intellectus.et diſcurrit hoc Gal.per longum proceſſum in operationibus ſenſibilibus. Poſtea eſt hoc manifeſtiſsimum;quia oculus non uidet,niſi adſit bona temperatura.Ita, etiam operationes naturales fiunt meritò temperaturæ;& pro ratione temperaturæ erūt bonæ, uel malæ.Iſte fuit Achilles Gal. unde etiā Ariſt. cogitur ex ſuis principijs dicere animam rationalem eſſe temperaturam.Iſta igitur eſt potiſsima ratio Gale. ad quam recurrit tanquàm ad fortiſsimam rationem, hoc etiam alio modo probat. Si fōrma ſubſtantialis miſti ſit aliud,quàm temperatura;iſta fōrma, uel erit ſubſtantia, uel accidens. Non accidēs, quia accidens daret eſſe ſubſtantiæ;ergo ſubſtantia.Si ſubſtantia; uel ſubſtātia corporea, uel incorporea. Si corpea; ergo corpus.Tūc itaq; de corpore iſto quæ-

ritur

ritur;utrũ habeat aliam formã,uel nõ.et,si dicas habe re aliã formam; quæram de ista forma utrũ sit corpo rea,uel incorporea. Si corporea;erit corpus.et quærã de ista forma corporis. et ita fiet processus in infinitum. Si uerò dicas non habere formã; ergo dabitur corpus sine forma. Si uerò incorporea;ergo externa, & incorruptibilis. & sic sequeretur,quòd omnis forma substantialis sit perpetua.Sequetur etiam;quòd ex corruptibili, & incorruptibili;fiet unum. Sed hæ differunt plusquàm genere.Præterea; si esset substantia corporea; sequeretur, quòd ex duobus actu fieret unum. Præterea; si esset substantia incorporea; non esset actus primus corporis physici,etc. sed esset tanquàm nauta, naui aßistens. His itaq; duabus rationibus unà cum rationibus etiam utriusq;; fideliter recitatis; quid circa eas sit determinandum, si me rogetis; possum respondere dupliciter secundùm duplicẽ formam, quam possum induere. Si enim uelim esse philosophus,& stare in principijs philosophiæ,non autem fidei;non possum non Hipp.& Gal.assentire. At,si formam theologicam uelim induere (quod certè debemus facere) dicendum est opinionem Arabum esse ueram. Sed hoc; ut est re ipsa uerum, ita credi debet sine ulla demonstratione. Nam nihil peius est; quàm quærere, demonstrationibus probare, quod fide tenendum est. Quia potiùs sunt agendæ gratiæ Deo;qui intellectum nostrum illuminauit,ut ea sciret, quæ nullo medio naturali percipi possunt; & rogandus Dominus ut augeat credulitatẽ in nobis. Et certè in hoc Scotus ualde egregiè

dè egregiè se geßit. Qui, cùm tenuisset animam in uia naturali,et peripatetica; mortalem esse in quarto lib. sententiarum, quæst.41.uel.43; postea conuersus ad Dominum egit illi gratias; quòd id cognouisset illuminatione diuina esse uerißimum, quod naturaliter falsum uidebatur.

LECTIO XVI.

Sed, quia nunc in scholis profitemur nos philosophos,& medicos; Ideo ex principijs philosophiæ defendamus opinionem Gal.& Hipp.Quia nihil esse deterius arbitror; quàm miscere philosophiam theologiæ. Pro determinatione autem ista debetis unum notare,quod est Arist.uidelicèt omnia,quæ generantur, & ueniunt ad mistionem; fiunt ex semine quodã præexistenti,uel ex proportionali quodam semini. Semen igitur istud diuiditur ex generante perfecto. &, cùm ab eo diuidatur; habet in se quæcũq; habet illud,à quo deciditur. Ista autem sunt,calor,& uirtus formatiua. Differunt autem secundùm, quòd ista tantùm generata sunt actu;in semine autem in potẽtia. Vbi igitur semen illustratur à calore cœlesti, & solari, & radiorum astrorum omnium; excitatur calor complexionalis ipsius seminis, & uirtus formatiua existens in eo in potentia. Quia calor, dum deducitur ad actum per calorem cœlestem; fit similis ipsi calori cœlesti, à quo deducitur ad actum. & hoc dicebat Aristo.secundo de generatione,quòd calor iste seminis proportionalis est calori stellarum. Existente isto calore, & uirtute

& uirtute formatiua; agit ipsa uirtus formatiua per istum calorem, tanquàm per instrumentum; Instrumentum igitur conueniens uirtutis formatiuæ est calor iste seminis deductus ad actum. Directus igitur tanquàm instrumentum ab ipsa uirtute formatiua; incipit agere in humidum ad aliquem determinatum finem. & ea, quæ conueniunt; attrahuntur ab ipsis. &, quæ non conueniunt; respuuntur. & ita determinata est materia, determinatus est modus, motus, et tempus, & omnia sunt perpetuò ordinata in natura. & ita nõ oportet ponere cholcodeas; quia est in materia uirtus formatiua, directa à calore cœlesti; quæ omnia operatur pro ut debet. & ita qualitates primæ elementorum deueniunt per refractionem in misto ad unam qualitatem directam à uirtute formatiua, quæ quidem qualitas est complexio. & ea acquisita, cessat motus omnis; quoniam temperatura est causa horum omnium. Ista igitur uirtus formatiua ita operando nihil addit elementis, nisi formam substantialẽ, sicut artifex nihil addit ceræ nisi formam. Differunt autem; quoniam artifex est extrinsecus, & addit formam extrinsecè tantùm. & uirtus formatiua est agẽs intrinsecum, & addit formam, & extrinsecam, & intrinsecam; mediante calore complexionali tanquàm instrumento; postquàm, & calor ipse complexionalis, et ipsa uirtus formatiua; fuerit deducta ad actum à calore cœlesti. Ex his sequitur, quòd & materia, & forma sunt substantia. Materia enim est substantia, quia subsistit; forma autem est substantia, quia

propter

propter ipsam compositum ponitur in esse. Nã propter unumquodque tale; erit illud magis. Si igitur materia ponitur in esse, & fit substantia propter formam; longè magis ipsa forma erit substantia. Sequitur prætereà; quòd huius modi forma, quæ dicitur tẽperatura; dicatur etiam qualitas. Sed qualitas substantialis. Nam monstrauimus, quòd qualitas etiam dicatur de forma substantiali; probauimus superius ex quinto metaphy. Vnde bene respondetur etiam ad interrogationem, quale quid est; per differẽtiam formalem. & hæc satis pro declaratione huius quæstionis. Ad argumenta modò, quæ sunt in contrarium; respondit iste noster processus exquisitißimè. Ad primum; Quando dicitur, unumquodq; agens naturale nõ agit ultra proprias uires; & ita hæ qualitates elementorum non possunt, nisi calefacere, refrigerare, &c. est satis responsum. Nam nos ponimus, quòd uirtus formatiua sit in semine tanquàm diuinum quoddã, deinde habemus calorem cœlestẽ, deinde refractionem. & ita ex parte agentium uirtutis formatiuæ, & caloris cœlestis; nihil absurdum est fieri istam formam substantialem. Deinde etiam respectu alterationis. nam, quantùm ualeat alteratio; uidetis ex eo, quòd ex pane fit chylus, & sanguis etiam. ideo nõ hæc admirabitur, qui sit exercitatus in arcanis naturæ. Ad secundum dico, quòd & est ipsum solutum. Quando enim inquiunt, quòd temperatura sit accidens; negandum est hoc. nam licèt dicatur temperatura esse qualitas; est tamen qualitas substantialis. & hoc ostendimus.

dimus. Ad authoritatem Arist. quando dicit, quòd calor non efficit operationes tam mirandas; &, quòd calor non potest, nisi calefacere, &c. Verũ dicit Aristo. Sed, quid contra nos; Qui dicimus istud fieri, non ab isto calore, nisi tanquàm instrumento; sed à uirtute formatiua, & à calore cœlesti? Et ita satisfecimus huic quæstioui. & sic satisfactum est; quantùm ad illam partẽ definitionis, in qua dicebat Auic. quòd temperatura est qualitas. Restat modò uidere de differentijs ipsis. &, ut exquisitè intelligatis differentias istas, & habeatis exquisitißimam cognitionem temperaturæ. optimè animaduertite; equidem enim pro declaratione istorum omnium decreui uti summa breuitate. Per resolutionem itaq;, & compositionem; intelligit discursum duplicem, primò resolutiuum, deinde cõpositiuum; ex quo innotescet uobis tota natura temperaturæ. Discursus igitur resolutiuus, incipiens à notione finis talis est. Temperatura (ut audiuistis) est qualitas æqualis in toto eo, in quo est. Qualitas est forma, & actus ultimus illius, cuius est. hoc supposito; &, quòd per temperaturam singulum dicatur unum; quid sequitur? Sequitur; quòd cùm mista sint ex quatuor; oportet, ut continuẽtur. Continuari autem nihil potest, nisi partes sint unum, & substantia una; ut dicit Arist. quinto phy. & quinto etiam metaphy. & ita continuum non potest esse, nisi in re eiusdem speciei. & ita uidetis, quòd caro, & os; non possunt continuari inter se, benè autem possunt contiguari. At caro rectè dicitur

tur continua; quia partes ipsius sunt unũ, & ita aqua est continua; quando quælibet pars aquæ est aqua. Contigua autem habent diuersas naturas. Cùm igitur elementa habeant diuersas naturas; nũquàm efficientur continua, donec non fuerint unum; quia alioqui forma non erit æqualis per totum. At uniri non possunt, nisi immutentur à natura, in qua sunt. &, si immutari debent; non per corruptionem; quia non essent mista; neq; per motum localem; fiet igitur per alterationem. Sed quoniam alteratio potest esse multiplex, uel secundum partem tantùm, uel secundùm totum. Secundùm partem; ut quando pili isti facti sunt albi (cùm prius essent nigri) nulla mutatione facta in alijs partibus corporis; Ista alteratio ita considerata non facit mistionem. Sed est necessarium alterationem fieri totius per totum; ut scilicet, quod alteratur, ita alteretur, ut à centro ad circunferentiam nulla pars sit, quæ non sit alterata, neq; secundũ sensum, neq; secundùm rationem. & ista est alteratio totius per totũ. Prima igitur alteratio, quæ est partis; non facit mistionem; sed illa, quæ est totius per totum. Sequitur enim ex hoc; quòd, ubi ista sunt refracta, & in forma, & in actu, & in qualitatibus; resultet necessario una forma tertia. Quæ quidem forma tertia facit illam substantiam cõtinuam, & unam. Quæ quidem forma tertia unius, et continuans; est ipsa forma substantialis, & temperaturæ. Istis igitur sic stantibus; cùm alteratio sit in qualitatibus passibilibus; Videamus, in quibus paßibilibus qualitatibus

bus poßit esse alteratio totius per totum. Non autem reperietis istud posse fieri, nisi in quatuor qualitatibus, calido, frigido, humido, & sicco. Nam, neq; durũ, neq; album, neq; amarum; possunt tota per tota alterari. Sed in amaro inerũt multi actus; & ita de alijs. Hunc discursum optimè faciebat Galenus in fine primi de elementis. Cùm igitur ita se habeant ista; ideo meritò dicimus, quòd istæ quatuor qualitates sunt illæ, quæ ueniunt ad alterationem. Sed alteratio non potest fieri sine actione, & paßione. Actio autem, et paßio; non possunt fieri sine contactu (oportet enim ut agens contangat patiẽs, uel mediatè, uel immediatè.) Igitur, si hoc sit uerum; quantò melior erit contactus, tantò melior erit alteratio. Ideo oportet, ut res sit diuisa ad minima, ut optimus poßit esse contactus. Vnde dicebat Arist. primo de gen. quòd ipsa diuisio ad minima est optima ad mistionem; sed tamen ipsa non est mistio, sed iuxta positio. Ista igitur diuisio ad minima est utilißima ad mistionem; licet nõ sit ipsa mistio. Hactenus habetis discursum resolutiuum; donec uentum est ad unum, quod primum est in operatione, & in compositione. Cõponamus modo hæc, quæ per resolutionem inuenimus. &, quia, si uelitis habere temperaturam, primò facit contactum (& hoc diuidendo ad minima) & ita deinde incipit natura facere actionẽ, et paßionem; et per istã actionem, et paßionẽ, facit mistionẽ; et per mistionem facit alterationem totius per totum; & per istam alterationem totius per totum facit unionem; & per unionem

facit

facit temperaturam; Videtis igitur duplicẽ nostrum progressum, primum resolutiuum, secundum compositiuum; ex quo exquisitißimè totam naturam temperaturæ uidetis. Legam modò differentias, quas numerat Auic. & uos uidebitis omnia patere ex nostro discursu. Dicit igitur (complexio est qualitas, quæ ex actione inuicèm.) *Iam uidetis; quàm plana, & aperta sint omnia.*

LECTIO. XVII.

HACTENVS *audiuistis quoties de temperatura meminimus, toties etiam de mistione nos meminisse. & omnes alij ita etiam loquuntur. Tamen nullus adhuc dixit, quid differat mistio à temperatura; neq; Galenus; neq; Alexander, qui librum integrum de mistione scripsit. Dicamus igitur nos, quid differant. Differt igitur mistio à temperatura; secundũ quandam rationem; Si quidem accipiatis mistionem, non pro motu, quia tunc est uia ad temperaturam; sed quando mistio sit iam facta, facta alteratione; ut accipit Arist. quando dicit (mistio est alteratorum plurium unio) Mistio igitur, hoc modo accepta (pro fine scilicet) dicitur per respectum ad miscibilia. sed, ubi ad miscibilia non refertur conceptus; appellatur iam temperatura, & crasis à Græcis, & ita etiam uulgari lingua; uinum, aqua temperatum; modò uinum mistum, modò uinum temperatum; dicitur. et dicitur proprie crasis à Græcis; quod nos tẽperamentum dicimus ἀπὸ τοῦ κεράννυμι, quod est tempe-*

ro. Sed de hoc satis. ueniamus modò ad Auic. ut possimus continuare præcedentia cum consequentibus. Debetis meminisse: quòd hæc est secunda doctrina, in qua tractatur de temperaturis; &, quòd primò in communi uult tractare Auic. de temperatura; postea in speciali. & in hoc primo capite uult diuidere temperaturam in communi. Sed, quia diuisio rationalis non potest fieri; nisi sciamus genus illud, quod uolumus diuidere (ut dicit etiam Galenus in fine tertij de difficultate respirandi, & Plato in Philebo.) Ideo Auic. primò definiuit temperaturam; ut, cognita definitione; possimus facere diuisiones, quæ fient modò in progressu. Sed priùs unum aduertite. Ego, quia inueni in hoc capite uerba difficillima, & obscurissima; Ideo cogitaui priùs in summario facere uobis distinctiones omnes, sicut fieri debent; postea ex hac nostra diuisione declarabuntur uerba Auic. ubi sunt declaranda. Quia in meth. quidem, & nostra diuisione; patebunt uerba Auic. At ex uerbis ipsius nõ patefit methodus, neq; diuisio. Incipit Auic. hanc diuisionem maxima metho. accipiendo genus ipsum, id est temperuturam; sub notione ipsius temperaturæ, superiùs habitæ. Oportet enim habere cõceptum istum; quòd temperies ipsa sit qualitas quædam, resultans ex refractione quatuor elementorum per actionem, & passionem qualitatum contrariarum. Accipit igitur primò istud genus, quod est diuidendũ sub tali conceptu. Primum autem, quod dicitur in fine tertij de diffi. respirandi; est uidendum, utrùm genus sit multiplex.

plex. Quia priùs oportet distinguere multiplicitatem generis, quàm diuidatur. Vidit igitur Auic. quòd hoc genus (temperatura) est multiplex; ideo priùs cœpit distinguere. In diuidendo postea genere; accipiendæ sunt differentiæ oppositæ, & immediatæ, nascentes ex genere. Pessima enim esset diuisio ista; substantia quædã corporea, quædã sensibilis; quia non est per opposita. Vitiosum etiã, si ita fieret; substãtia, quædã animata, quædam inanimata; quia non sunt immediate nascentes ex genere istæ differentiæ. Optimè igitur fecit diuisionem Aui. Accipit enim æqualitatem, & inæqualitatem; quæ sunt proximæ differentiæ refractionis primarum qualitatum contrariarum, & temperaturæ, & mistionis. & sunt præterea oppositæ. Maxima igitur arte diuisit Aui. Primò igitur incipit Aui. ab æquiuocatione temperaturæ; & dicit temperatura, quædam est absoluta, quædam per relationem. Absoluta temperatura dicitur; quæ, nõ respectu huius, uel alterius, dicitur; sed in seipsa. Vt, si consideretis complexionem humanam; uidendo, nunquid in ea sit penitus æquale ad pondus, & secundùm materiam, & secundùm intensionem graduum ita; ut sit in ea æqualitas absoluta; & sit tantum de frigido, quantum de calido; & tantum de humido, quantum de sicco. Aut uidendo, nunquid in ea sit inæquale ad pondus, ut plus de terra, quàm de aqua; aut plus de calido, quàm de frigido. Alio modo consideratur temperatura per relationem; quãdo non absolutè consideramus, utrùm hic plus sit de calido, uel frigido; plus de terra,

uel de aqua; ſed per cõparationem ad proprios actus exercendos, uel ad aliquod genus, uel ad aliquid aliud. Eſt igitur temperatura genus multiplex; eſt enim temperatura, uel abſoluta, uel per reſpectum. Poſtquàm igitur diſtinxit multiplex; remouit unam partem; eã. ſ. temperaturam, quæ dicitur abſoluta; & dicit hanc non pertinere ad medicum. Aduerte, quòd nullum corpus tale unquàm reperitur. (& rationem poſtea audietis) & hoc, quantùm ad iſtud membrum temperaturæ abſolutæ. Aliud membrum igitur accipiamus temperaturæ per relationem; & iſta temperatura habet & ipſa eaſdem differentias. Quædam enim eſt æqualis, quædã inæqualis. Primò igitur de æquali dicamus. Hæc quidem tot habet ſpecies, uel gradus; quot habet relationes. Quot enim erunt termini, ad quos poteſt referri; tot etiam erunt ſpecies, uel gradus. Sed termini non poſſunt eſſe niſi octo; ergo & octo erunt gradus, ſiue ſpecies huius temperaturæ æqualis. Quòd autem non poßint eſſe, niſi octo termini; patet ſic. Vel enim per relationem ſpecies ad totam naturam conſideratur; ut, quando conſideramus ſpeciem humanam; & dicimus ipſam eſſe æqualem reſpectu omnium generabilium, & corruptibilium ita; quòd nullum corpus generabile, et corruptibile, ita accedat ad æqualitatem, ſicut corpus humanum. Vel comparatur indiuiduum ad totam ſpeciem. Et uideatis proportionem. ſicut enim primò comparatur ſpecies ad totam naturam; ita indiuiduum ad totam ſpeciem. Vt, ſi dicamus Milonem eſſe temperaturæ æqualis; dicimus tunc per relationem

relationem ad totam ſpeciem humanam. Tertio per relationem partis ſpeciei ad totam ſpeciem; ut, ſi accipiatis illos, qui habitant temperatum clima (de quo aliàs dicemus, quod nam ſit) iſta temperies horum hominum, qui habitant ſub tali climate; dicitur eſſe æqualis per relationem, ſcilicet ad totã ſpeciem humanam. Vel comparatur indiuiduum illius partis temperatæ ad totam illam partem climatis temperatam; ut, ſi dicamus Socrates habitãs in. 4. climate eſt æqualis temperaturæ. Quintò; quando comparatur aliquod indiuiduum, ad aliquod indiuiduum; ut, ſi dicamus Socratem eſſe æqualis temperaturæ reſpectu ad Dionem. Sextò; per relationem indiuidui alicuius ad ſeipſum; ut, quando dicimus Socrates adoleſcens eſt æqualis temperaturæ per relationem ad ſeipſum ſemẽ. Septimò; per relationẽ membri alicuius ad aliud mẽbrũ; ut, quãdo dicimus uenam eſſe temperatã reſpectu nerui, uel oßis. Vltimò; quando unum, & idem membrũ comparamus ad ſeipſum; ut, quando dicimus os eſſe æquale; quando eſt frigidum, & ſiccum, & ſanum. Præterhas nullas alias relationes inuenietis eſſe; ſi centũ annos cogitetis. Cùm igitur relationum modi ſint tãtùm octo; ſequitur etiam, quòd temperaturæ, per relationem æquales, tantùm erunt octo. Modo Auic. cùm uideret ex iſta ſua æqualitate tria poſſe naſci dubia; uoluit illa remouere. Primò enim; quia dixerat dari temperaturam æqualem per relationem partis temperatæ ad totam ſpeciem; mouebit quæſtionem, ubi ſit temperata regio. Secundò; cùm dixerit aliquod membrum

brum esse temperatum respectu alterius membri; ostẽdet, quodnam sit illud membrum. Tertiò; quoniam dicimus medicinam esse calidam, uel frigidam; ideo disputabit, quomodò intelligatur æqualitas, uel inæqualitas in medicina..

Deinde accedit ad aliud membrum diuisionis, idest ad temperaturam per relationem inæqualem. Dicit igitur temperatura inæqualis; quædam talis per essentiam est, quædam per affluxum. *Per essentiam; quando membrum à principio generationis habet talem substantiam; ut in eo dominetur plus de frigido, quàm de calido. Per affluxum autem; quando non est in membro essentialiter, sed est acquisita per influxum materiæ. Vt contingit sæpè membrum esse essentialiter calidum; & sit frigidum à materia influente. Modò utriusq; istius temperaturæ inæqualis; tot sunt differentiæ, quot possunt esse excessus. Sed excessus, cùm sint decem; octo poßibiles, et duo impossibiles, siue inconsistentes; octo etiam erunt temperaturæ inæquales poßibiles, & consistentes. Vel excedit qualitas simplex; & ea, uel caliditas, uel frigiditas, uel siccitas, uel humiditas. Vel excedent istæ qualitates inter se complicatæ. Complicationes autem cùm sint sex tantùm, scilicet quatuor tantùm comprehensibiles; ideo quatuor erunt tãtum excessus complicati. Nam, uel calidum cum humido complicabitur, uel calidum cum sicco, uel frigidum cum humido, uel frigidum cum sicco. Calidum autem cum frigido complicari non potest, nec comprehendi, nec consistere, sicut*

neq;

neq; humidum cum sicco; erunt igitur quatuor excessus simplices, et quatuor excessus cõpositi. et ita erũt octo excessus; quare octo etiam erunt temperaturæ per relationem acceptæ inæquales. Et hic est sensus totius capituli Auic.

Sed, quia Auic. quando diuidebat æqualitatem in absolutam, & respectiuam; absolutam dixit non inueniri posse in natura; Gal. autem dicit hanc inueniri, primo de temperatura, & in libro de opt. const. in sexto de Tuen. ualet; Propterea uidendum est quo modò sit dissensio ista inter istos. (Quia forte poterunt inter se faciliùs conciliari) & utrùm detur æqualitas ad pondus aliquo modo, an nullo modo detur. & tractatur hæc quæstio à medicis omnibus, & etiã à philosophis; sed confusè admodùm, quia non tollunt æquiuocationes plurimas, quæ sunt in re ista. Procedẽdum autem est in determinatione huius quæstionis eo modo, quò docet Gal. in libro, an ars tuendæ sanitat. Distinguendum enim est subiectum, & prædicatum; & uidenda est natura utriusq;. et uideatis quomodò in istius quæstionis determinatione seruabimus istam methodũ. Hic quæritur; utrùm tẽperatura aliqua inueniatur æqualis æqualitate ponderis. Temperatura est subiectum, æqualitas ponderis est prædicatum; uidendum est igitur, quid sit natura utriusq; horum terminorũ. Quid sit temperatura, iam audiuistis; ideo de hoc non est laborandũ ampliùs. Videamus igitur, quid sit ipsum prædicatum, quod est æqualitas in pondere. Aequalitas; quædam est absoluta, et quædam respectiua. Sed dicetis;

Quæstio de æqualitate ad pondus.

tis; absurdum, esse, quòd aliqua æqualitas sit absoluta; nam nulla æqualitas potest absolui. Quia omnis æqualitas dicitur ad aliquid; æquale enim est alicuius æquale. Aduertendum; quòd dicimus æqualitatem absolutam, quando ad nullum extrinsecũ comparatur. Quia dicimus; quòd mista ea, quæ ingrediuntur; sunt æqualia; non, quòd non comparentur illa contraria simul; sed, quia non comparantur ad aliquod extrinsecum. Equalitatis absolutæ; aliqua se tenet ex parte materiæ, & molis; aliqua ex parte qualitatum, & formæ. Ex parte materiæ; est, quando dicimus in misto tãtum esse de terra, quantum de aqua. Ex parte formæ, ut, quando dicimus in aliquo tantum esse de calido, quantum de frigido; & tantum de graui, quantum de leui. Primum membrum, quod se tenet ex parte materiæ; est duplex. Vel enim respectu ponderis, uel mensuræ. Ponderis; ut, si sit hic una libra aeris, & sit etiam tantum de aqua. Secundùm autem mensuram; ut, si sit pugillus unus terræ, & pugillus etiam unus aquæ. Ex parte autem formæ; ut, si dicamus, quòd tantum sit de graui, quantum de leui. Ex parte uerò ipsarum qualitatum; ut, si dicamus, quòd quantum sit de calido, tantum sit de frigido. & hæc quidem sunt differentiæ omnes distinctæ æqualitatis absolutæ. Dicamus modò de respectiuis. Equalitas respectiua est duplex. Quædam enim est per relationem ad aliquid extrinsecum, & ratione, et subiecto. Quædam ad aliquid extrinsecum ratione tantùm. Ratione tantùm sunt duo, ad quæ soent referri istæ æqualitates, operationes, & paßiones

nes, siue affectus. Operationes quidem; quia ex gradu oßis operatio est, ut per frigidum, & siccum operetur; cor autem dicitur esse calidum, & siccum; & ita dicentur æqualia membra, si suas operationes singula, ut debent, exerceant. Paßiones, & affectus, tàm in quali, quàm in quanto; ut quando affectus nullus excedit, ut in cuti ipsa. Neq; enim grauis est, neq; leuis, (in excessu dico) neq; nimis calida, neque nimis frigida. Temperatum igitur hoc tantùm dicitur; quando non excedit aliqua paßio. & hoc dicitur æquale respectiuum ad extrinsecum, ratione tantùm, non subiecti; quia unum, & idem, est subiectum, corpus unum, in quo fiunt istæ relationes. Ratione autem & subiecto; ut quãdo species humana comparatur ad speciem leonis. Tres igitur sunt æqualitates respectiuæ, prima ad operationes, secunda ad paßiones, tertia ratione perfectionis ad aliud extrinsecum. Quantùm ad æqualitatẽ, quæ est respectiua ratione operationũ; ista dicitur æqualitas iustitiæ. & non cuius libet iustitiæ; sed distributiuæ. & hoc est illud, de quo dicit Auic. in textu ibi debes autẽ scire; quòd æquale, de quo medici in suis inquisitionibus. et, ut obiter etiam textum declaremus, Iustitia quidem duplex est, permutatiua, et distributiua. Permutatiua fit in contractibus; ut, tibi do quando ego tantum; quantum tu das mihi. et sunt quatuor modi huius iustitiæ, in quibus seruatur æqualitas præcisè ponderis; do, ut des; do, ut facias; facio, ut des, facio, ut facias. Iustitia autem distributiua est; quando distribuitur unicuiq; tan-

tum, quantum conuenit pro statu, et gradu unius cu iusq;. et nihil magis destruit istam iustitiam; quàm ipsa æqualitas ponderis. Vt enim apparet in honoribus, et dignitatibus, in republica; Ita in corporibus factum est. Oßi.n. frigidum, et siccum datum est; quoniam conueniebat. Cordi autem, calidum, et siccum; necnon. Cerebro frigidum, et humidum; quoniam cõueniebat pro operationibus. et hoc quantùm ad primum membrum æqualitatis respectiuæ. Veniamus modò ad quæsitum de æqualitate absoluta. Quantùm ad æqualitatẽ ponderis; hoc prorsus est impoßibile. Nam, quomodò accipietis unam libra terræ, et unam aeris. Deinde (quarto meteor.) In homine dominantur, terra, et aqua. Quantùm ad mensuram, minùs. Nam præterquàm, quòd non possemus metiri terram, et aerem; est etiam aliud absurdum; quia maximum spatium requiritur ad medium, ignis, et aeris; at ad terræ medium etiam minimum spatium conuenit. Ex parte autem qualitatum; primò, quantum ad graue, et leue; hæc æqualitas non potest esse, quia omnis motus in misto esset uiolentus, neq; possent mista in aliquo loco quiescere. Sed oportet, ut dominetur terra, et aqua, in misto; Ideo omnia, quantùmuis leuia, uergũt naturaliter ad terram. Vapores enim uiolenter ascendunt propter flatum nimium inclusum (secundo meteor.) apparet ex fulguribus. non enim ascendunt uapores simpliciter, nec descendunt simpliciter, sed obliqúe; quia habẽt ignem secum. Remoto autem igne; fulgura cadũt in terram. et uapores; remoto flatu cadunt, conuersi, uel in pluuiam,

uiam, uel in aliud. Pennæ etiam cadunt; nisi suspendantur à uento. et ideo non possumus dicere, quòd in aliquo tantum sit de graui, quantum de leui; quia oportet esse plus de graui, quia omnia quiescunt circa terram. Ideo æquale ad pondus, neqúe ex parte materiæ; neq; ex parte, grauitatis, & leuitatis; potest dari. Aequalitas absoluta alia modò est propter æqualitatem quatuor primarum qualitatum. Quantum autem ad hoc; dico, quòd inuenitur æqualitas ista exacta, quo ad sensum. & de hac intellexit Gal. quando dicit; in cute esse æqualitatem exquisitam; &, quòd de ista æqualitate, quæ est inter ipsas qualitates, non inter subiecta qualitatum; intelligat Gale. uideatis compositionẽ eius in eo primo libro de temperaturis de aqua feruentißima, comista cum frigida; ex quarum mistura dicit posse fieri æqualitatem etiam, si aterius sit multa moles, alterius autem modica. Caliditas enim est plus actiua, quàm frigiditas. Auic. autem hoc loco dicit expresse, quòd non potest dari æqualitas ista in natùra. Non est contradictio; quia ratione quidem non potest dari, ut ostendemus. Sensu autem datur. & idem est prorsus; sicut de neutralitate dicebamus. Ratione enim; inter sanitatem, et ægritudinem non datur mediũ. Sed, quia quandoq; inueniuntur corpora in tali dispositione; ut sensu non poßimus distinguere, utrùm sint ægra, uel sana; Ideo neutra corpora talia appellamus. Ita æqualitas ista secũdùm sensum inuenitur exquisitißima; quia nullus sensus, quantùmuis exquisitus, poterit cognoscere inæqualitatem aliquam; ut in cute temperata,

non

non alterata. At secundùm rationem non est possibile, ut sit aliquid, quod tantũ habeat de frigiditate, quantum habet de caliditate; & tantum præcisè de humiditate, quantum de siccitate. Gal. igitur, ut medicus loquitur, qui est sensatus artifex; ideo merito astruit talem æqualitatem absolutam. Dicit autem Auic. quòd medicus physico debet istud credere; quia probare hoc attinet ad philosophum, *optimè hoc dicit; quia, si uelimus istud probare, quòd non datur secundùm rationem talis æqualitas ad pondus in qualitatibus primis; oportebit istud per media naturalia monstrare. hoc enim pacto poteritis hoc agere. Monstro, quòd non possit dari ista æqualitas in primis qualitatibus in aliquo misto; quia, si dabitur in aliquo mistorum; erit quidem forma, uel elementi, uel misti. Non potest esse elementi; quia mistum haberet duas formas, & elementum esset actu in misto. Non etiam misti; quia sequeretur inconueniens. Quia mistum fit ex actione, & passione; actio autem, & passio; fit ex prædominio alterius, & ex altero dominato. Præterea sequeretur, quòd mistum nunquàm corrumperetur, (saltèm ab intrinseco) quia corruptio fit ab aliquo contrario prædominante. Non datur igitur ista æqualitas quò ad rationem. & non oportet hoc monstrari medico; quia probationes fiunt per media naturalis philosophiæ. Et ita habetis; &, quid uelit Auic. &, quo modo concilietur cum Gal. et de hoc satis. Est unum aduertendum. Dixit Aui. quòd* octo sunt modi æqualitatum relatiuarum, *nè itaq; remaneat aliquod*

aliquod dubiũ; debetis scire, quòd octo modi Gal. sunt longè diuersi. Quo modò igitur erit Auic. completus, aut Gal. et, quo modò conciliabuntur. Ego attuli uobis tabellam modorum, descriptorum sparsim à Gal. habeatis; & uidebitis plures ex istis modis esse diuersos ab illis, qui scripti sunt ab Auic. & tamen, nec Gal. nec Auic. fuit aliquo pacto diminutus, neuterq; ipsorum peccauit; sed uterq; istorum optimè dixit. Auic. hoc loco comparat æqualitatem ad aliquod aliud extrinsecum; Gal. autem accipit qualitates comparatas inter se, quo modò dicantur absolutæ, uel per comparationem; non autem uult ostendere qualitates ipsas respectiuas. Considerat igitur Gal. qualitates; quo modo absolutæ. &, quo modo respectiuæ; sint. Auic. autem; considerat æqualitates ipsas respectiuè ad aliquod extrinsecum. & ita omnia sunt clara. Veniamus modò ad textum. Omnia sunt clara in textu; usq; ad secundum modum æqualitatis, ubi habet Auic. secundus est medialis, qui inter duas extremitates huius latæ compositionis. *&, Cùm Auic. faceret secundum modum æqualitatis quãdo comparatur indiuiduum ad suam speciem (de quo Gale. & in primo de temperatura, & in fine libri, an ars tuendæ san. & alijs; sæpè dixit.) Quia poterant circa istud occurrere duæ dubitationes; Ideo remouet duas istas dubitationes. Prima est ratione ætatis; quia omnia humana corpora, aliquando sunt, uel humidiora, ut in pueritia; uel sicciora, ut in senectute. Dicit igitur; quòd istud intelligendum est in fine augmenti. Quia, quando au-*

 getur;

getur, habet plus de humido, & de calido. Quãdo autem minuitur; habet plus de sicco, & de frigido; Gal. auctore in libro de optima constitutione, & in sexto de tuenda sanitate. Alia dubitatio est, quo modo homo dicatur æqualis, cùm membra ipsius sint adeò contraria. nam cerebrum est frigidum, & humidum; cor autem calidum, & siccum. Respondet ad hoc ipse; dicẽs; quòd æqualitas hominis non sumitur ratione ipsorum membrorum. Sed, quia ex his membris resultat temperatura quædam media æqualis; quæ habet omnes operationes, & intrinsecas, & extrinsecas conuenientissimas; Ideo dicimus temperaturam ipsius hominis esse æqualem.

LECTIO. XVIII.

QVONIAM Auic. (ut audiuistis) superiùs in tertio suo modo æqualitatum respectiuarum dixit, æqualitatem sumi per relationem partis speciei ad totam speciem; & hoc fieri quando homines, qui habitant in temperatissimo climate; dicimus esse æqualis temperaturæ. Ideo huius occasione mouet dubitationem de climate temperato; quodnam iam illud sit clima, quod sit alijs temperatius. & notate diligenter istud; quia plurimum refert, ut medicus sciat. Nam, si non nouerimus regionem temperatam; nesciemus etiam regionem intemperatam. Igitur, si ista nesciuerimus; carebimus magna parte medicinæ in seruanda, & recuperanda sanitate. Ex temperata autem, & æquali, regione cognoscuntur intemperatæ, & inæquales.

Quantò

Quantò enim magis aliqua regio appropinquat regioni temperatæ, aut ab ea distat; tantò magis erit æqualis, uel inæqualis. Vt sciamus igitur, quæ sit regio temperata; duo ego faciam. Primò enim declarabo opinionem Auic. deinde dicam, quæ sit opinio uera. Auic. proponit unam conclusionem; et dicit; quòd, si aliqua regio sit temperatissima; illa est sub circulo æquinoctiali. &, quia posset aliquis inferre; illa regio à nullo habitatur, ergo illa est intemperatissima; quia, quæ temperatæ sunt, possunt habitari; & habitantur. Probo etiam, quòd nullus habitet; quia, si qui habitarent illic; esset commercium aliquod nobis cum illis. Quia non est tanta distantia inter nos, & illos; ut non possit esse commercium. Cùm in maiori distantia sit commercium cum his, qui longè magis à nobis distãt. Quia igitur potuisset aliquis ita instare contra conclusionem suam; ideo respondens ad hoc. Posito etiam, quòd non habitetur (inquit Auic.) tamen non ualet consequentia; non habitatur, ergo est intemperata. Quia potest esse inhabitabilis, uel propter montes, uel propter maria. Non dicit autem Auic. neq;, quòd habitetur, neq; quòd non habitetur (quia dicit istud se nescire) sed dicit; quòd est habitabilis; nisi sit impedita habitatio, aut propter maria, aut propter montes. & ita, si non habitatur; non erit uitio temperaturæ, sed ratione situs, &, quia uidebat contra hanc conclusionem maximam rationem; Tangit istam rationem, sed non soluit. Tãtùm enim dicit, de hoc certificatum

tificatum fuisse alibi; & nihil ultra. Certificauit autem hoc in fen secunda, doctrina. 2, cap. octauo. Tetigit etiam aliquid in duodecimo de animalibus, cap. primo; sed nihil ferè dicit. Ratio autem contra ipsum est efficacißima; & est ista. Quātò propinquior est sol capitibus nostris; tantò ea regio est feruētior. Sub linea æquinoctiali est maxima propinquitas solis capitibus nostris; ergo. Maior intelligitur; non de propinquitate corporis solis ad nostra capita. Nā, quòd non sit ista propinquitas, patet ex ipso orbe. est enim Sol in centro, & quodcunq; sumatur in circulo; profectò æqualiter distat à centro; ideo non possumus dicere, quòd corpus Solis magis approximetur uni parti, quàm alij. Præterea, si etiam approximaretur; non magis calefaceret; quia non est calidus Sol formaliter, sed uirtualiter, & effectiuè; per suos radios. Quo modo igitur intelligitur, maior, uel minor, propinquitas Solis? hoc modo. Quoniam linea recta deducta ad centrum, est propinquior linea obliqua; est igitur propinquitas Solis propter suos radios, quā propinquitatem sequitur rectitudo angulorum in centro. Ex quo sequitur maior unio, & minor refractio. Ex quo sequitur maior calor. Quia, si refrangātur per lineam obtusam; magis dißiliunt. Vnde uidemus etiam ratione situs terræ; quòd in locis montuosis, in quæ radij non possunt figi; ibi non est multus calor, sicut est in plano. Ideo uidetis, quòd in speculis planis, in quibus radij reflectuntur rectè in seipsos; tantus calor apparet, ut ignis quandoq; accendatur. Minor

nor modò hoc est. (Sub linea æquinoctiali est maxima propinquitas) facilè monstratur. Quia uel in regione, quæ est sub ista linea, Sol est; uel in punctis æquinoctialibus (in primo scilicet puncto Arietis, & in primo puncto Libræ) Quando est in maxima distantia; est in punctis primis tropicorum; & est rectißimè in puncto Arietis, & primo puncto Libræ (ut uidetis in sphæra etiam materiali) linea enim perpendicularis à centro Solis descendit ad centrum terræ. Quando autem recedit ad puncta tropicorum; non sunt quidem ita recti radij Solis, sed tamē sunt adhuc recti. Spacium enim tropicorum à linea æquinoctiali; sunt uiginti tres tantùm gradus, & quædam minuta. & ita, cùm sit tam modicum spatium; necesse est etiam tunc eße calorem maximum propter rectitudinem radiorum. & apparet hoc ex sexto nostro climate; distamus enim ab æquinoctiali per. 45. gradus. et ita per 23. ferè gradus sumus extra tropicum cancri; quantùm illi sunt intra ipsum. Sed tunc lineæ Solis nobis uidentur perpendiculariter cadere super capita nostra, & est feruentißimus calor. & hoc contingit tantùm semel nobis in anno; illis autem hoc bis contingit. & hoc, quod est nobis maxima propinquitas Solis; illis est maxima sua remotio ita; ut, rectitudo, & perpendicularitas radiorum, quæ apud nos maxima; apud illos sit minima, quàm ipsi poßint habere ita; ut caliditas, quæ apud nos est maxima; per comparationem ad caliditatem ipsorum sit ferè nihil. &, si dicas sub cancro est mora maior, quàm

ſub æquinoctiali; uidebimus poſtea, quid faciat mora; ſed iſta mora, etiam fortaſſe maior eſt ſub æquinoctiali, quàm ſub cancro. Iſta ratio uidetur demonſtratio; ſed ipſe Auic. tantùm refutat ipſam. Quòd autem temperata ſit regio ſub æquinoctiali; monſtrare nititur duobus argumentis. Primum argumentum huiuſmodi eſt. Rectitudo in linea æquinoctiali non eſt ita efficax ad faciendum calorem, ſicut mora apud nos. Mora enim longè plus facit, quàm ipſa rectitudo. Sed mora eſt maior apud nos; ut uidemus in æſtate, quando dies ſunt ſexdecim horarum. Hoc enim tunc ratione non rectitudinis, ſed moræ; contingit. Probat etiam per ſignum. Quia, quando Sol in meridie appropinquat perpendiculariter; non tamen facit tantum calorem, quantum in uigeſima prima. Igitur, cùm in linea æquinoctiali ſit Sol tãtùm ſuper terram per 12. horas, quia mora minor eſt, & mora longè plus facit; erit in illa regione magis tẽperatus calor Solis. Alia ratio Auicen. eſt. In regione æquinoctiali ſunt mores habitantium nobiliſſimi, & operationes nobiliſſimæ. Quòd autem ſit hoc; probat per naturam Regionis. Cùm enim ſit ibi tantum de die, quantum de nocte; dies abſumit humidum redundãs, & nox calidum redundans; ex quo ſequitur æqualitas aeris. Aequalitas autem aeris facit æquale corpus; ex corpore autem æquali, ſequuntur operationes nobiliſſimæ. Erunt etiam ſimiles; quia nihil extrinſecum eſt, quod alteret. Sed iſtud uidetur eſſe petitio principij. Iſtæ ſunt rationes Auicẽnæ, quas ego potui

potui uidere. Quantùm autem ualeant; uidebimus poſtea. Nunc determinemus nos, quid tenendum ſit in iſta quæſtione pro ueritate. et, quia circa hoc fuit quæſtio apud antiquos, Vtrùm habitaretur regio illa ſub æquinoctiali; Ideo primò quantùm ad habitationem (Quicquid dicat; Ariſt. 12. Meteor. & Ptolemæus; & Aratus, quem poſtea, & Virgilius, & Ouidius; ſequuti ſunt; qui omnes tenuerunt, quòd ſit inhabitabilis) non poſſumus nos hoc dicere, quia experientia contrarium nobis oſtẽdit per nauigationes Hiſpanas. Nemini igitur dubium eſt; quòd tenere debemus, quòd habitetur. Sed, quòd ſit temperata illa regio; eſt falſum, immo eſt intemperatiſſima. Quod oſtendit experientia; quia homines illi ſunt exhauſti humido, & parum uiuunt, & malè degunt. Bene ſunt quædam regiones in illa linea, quæ potiùs ſunt frigidæ. & ratio eſt; quia loca illa ſunt ualdè depreſſa, & referta plurimis paludibus; ex quo Sol eleuat uapores, qui alterant aerem. Vnde etiam per ſex menſes dicunt ibi pluere rationè diſpoſitionum terræ. At, niſi ſint diſpoſitiones terræ; eſt illa regio calidiſſima ſub æquinoctiali. habitatur iſta regio; ſed nõ eſt temperata, immo intemperatiſſima eſt. Neq; ualet ratio Conciliatoris. Dicit enim ille. Iſti non ſunt ita nigri, ſicut Aethiopes, qui ſunt nigerrimi coloris; at iſti ſunt cinericij, potius quàm nigri coloris. Quia illa eſt intẽſa nigredo in Aethiopibus, propter maximam caliditatem adurentem ſanguinem; igitur maior caliditas apud Aethiopes, quàm ſub linea æquinoctiali.

Color enim iste cinericius potest esse, uel propter remissionē caloris, uel propter excessum. Propter remissionem; quia, quando admistio peruenit ad tātam uim, ut adurat omnes humores (sicut uidetis in regione Palæstina) fit color cinericius. At Aethiopes habent quidem sanguinem adustum; sed nō penitus adustum. Nam calor non peruenit ad summum, quia non consumpsit totum humidum. Sed quando totum absumitur humidum; non nigredo (ut est in Aethiopibus) sed color cinericius sequitur. Videtis enim carbonem in quo est aliquid humidi; esse nigrum. At consumpto omni humido; fit cinis, coloris non ita nigri. Color igitur cinericius; non tantùm propter remissionem, sed etiam propter excessum caloris fit. Stat igitur; quòd, qui habitant sub æquinoctiali, sint cinericij coloris; & tamen sit illa regio calidissima. Est igitur ista regio intemperata. Cuius signum est, quòd in illis insulis, quas Gorgonias appellant (unde maxima copia Saccari asportatur) quæ quidem sunt etiam in duodecimo gradu, ultra æquinoctialem; sunt inualidi homines, & parum uiuentes. Stat igitur sentētia nostra adhuc; quòd habitatur quidem illa regio, sed malè habitatur. & nō sequitur, quòd sit temperata. Immo intemperatissima; propter illam rationem, quam tetigit Auic. nec soluit; Quæ quidem apud me uidetur demonstratiua. Sed, quia rationes Auic. non sunt penitus contemnendæ, ideo pro maiori confirmatione nostræ sententiæ examinemus illas quanti sint ponderis. Prima igitur ratio Auic. est, quòd (rectitudo radiorum

radiorum sub linea æquinoctiali; non tantùm facit, quantùm ipsa mora apud nos.) *Debuisset istud probare Auic. In hoc enim uidetur uerum, quod dixit de eo Auer. quòd propter defectum logices, & propter ingenij sui confidentiam; incidit Auic. in multos errores. Quòd autem aliquid faciat mora; concedimus. &, quòd quanto diutius aliquid agit; tanto magis agat, siquidem idem sit agens in suo robore. Sed, quòd mora plus faciat, quàm agens, & mouens; hoc negamus. Certū enim est, quòd in qualibet motione semper sunt quatuor; Primò Agens, quod mouet; Secundò Tempus, in quo mouetur; Tertio subiectum in quod; Quartò Motus. Sed dum comparantur ista quatuor inter se; uidere possumus, quid nam sit ex his potentius. Mora autem est tempus illud, in quo mouetur. Certum est, quòd agens sunt radij ipsius Solis. Supponatur igitur; quòd istud agens agat per quatuor horas (exempli gratia.) Et agat in aerem, tanquàm in subiectum. & quid agit? Caliditatem, imprimendo illam in aerem. Certum est etiā; quòd quantò diutiùs agens agit; tātò magis agit; Ideo in quatuor horis magis agit; quàm, si duabus horis ageret; quia actio, et motus proportionales sunt proportioni agētis ad tempus. et, si in quatuor horis possit agens imprimere decem gradus caliditatis; in duabus horis imprimit quinq; gradus. & econtrà etiam; si in duabus horis potest imprimere quinq; gradus; in quatuor imprimit decem gradus. Sed non procedit hic; nisi ad terminum quendam. Si remoueatur igitur*

tur de mora, & relinquatur idem agens; fiet minor actio. & si in quatuor horis agebat decem; duabus horis remotis, aget quinq;. & ita mora, cum eodem agente, semper æqualiter manente; æqualiter potest, non autem plus. Diminuamus modò uires agentis; & uideamus, quid sequatur ex maiori, uel minori mora. Agens agebat ut quatuor intensè; diminuatur uis agentis, & dicamus habere tantùm duos gradus. ex hoc enim contingit aliquando; ut tanta sit diminutio istius agentis, ut non possit imprimere per decem horas, quod imprimebat priùs per quatuor horas. & ratio est; quia mora per se non agit. sed ex accidenti ad actionem, agentis, & mouentis. & patet istud hoc exemplo. Sint uiginti homines, qui trahant nauim per duo milliaria in decem horis; isti uiginti homines non trahunt per quinque horas, nisi unum milliare. At, si dematis decem homines; iam non trahent, neque quinque horis unum milliare. Dicimus igitur, quòd radij Solis, agentes, ut quatuor; imprimunt caliditatem ut quatuor. Per quatuor horas duplicemus uires agentis; & profectò ualidiùs imprimet. & ita totum attribuitur agenti. Mora bene proportionalis erit agenti, & in maiori mora fiet maior impressio agentis; sed, quòd sit maior uis moræ, quàm agẽtis; omnino negamus. Quæ omnia septimo phys. ab Arist. pertractantur diligentissimè. In regione igitur nostra (*dicit* Auic.) permanet sol per maiorem moram. *Verum est; sed nõ sequitur, quòd sit apud nos maior motus, quia non idẽ*

seruatur

seruatur agẽs. Nam radij solis in nostra regione sunt obliqui, non recti. Et in eadem augetur mora tantùm in tribus, uel quatuor, horis, (cùm sint horæ diei sub æquinoctiali semper. 12.) Sed, quia diminuitur uis agẽtis; ideo non erit tanta, ne dum maior, caliditas; immo longè minor. Videte quomodò Auic. (non dicam propter defectum logicæ, ut dicit de eo Auerr. sed, quia nimis cõfidebat de suo ingenio) cadat in errores manifestissimos. Secunda ratio est peior etiã; quia petit principium manifestissimè. & sic stat opinio nostra; quòd regio sub æquinoctiali habitatur quidem contra antiquorum omnium sententiam, sed malè tamen habitatur. &, quòd non solùm non sit temperata, ut uoluit Auic. sed etiam sit intemperatissima. Cùm igitur ista regio non sit illa, quæ sit temperata; quærendum à nobis est, quæ nam tandem sit, & ubi sit; regio ista temperata. Dicit autem Aut. (Vt legamus ipsius textum) quòd; qui sunt in quarto climate; sunt secundi ordinis in temperatura. *et assignat rationem.* Non enim aduruntur propter moram rectitudinis solis super eorum capita *&, si intelligatis istam moram rectitudinis; uno sensu bene dicit Auic. Quia sub tropico cancri, ubi est secundum clima, & tertium; perpetua est rectitudo, non quidẽ exquisita, sed multa tamen; Ideo perpetui sunt illic calores. Igitur, si intelligat Auic. per moram rectitudinis hoc modo; quòd in quarto climate sint radij non multùm recti, sicut in secundo, & tertio; uerum dicit. Si autem per morã rectitudinis intelligat; quòd in quar-*

to climate

to climate minus moueatur ſol, quàm in ſecundo, & tertio; non erit uerum; quia in quarto climate dies eſt 14. horarũ, et dimidiæ; in ſecundo autem climate dies eſt tantùm horarum. 13. & dimidiæ; In tertio autem eſt horarum. 14. Sed non imponamus hoc Auic. quia re uera intelligit Aui. primo modo, quòd in quarto climate, neq; tam multa ſit rectitudo ſolis, ut adurat; ſicut in ſecundo, & tertio; neq; tam pauca, ut ſit intenſum frigus ſicut in ſexto, & ſeptimo. etenim in quarto climate omnia ſunt moderata; quia rectitudo non eſt nimis propinqua, neq; nimis diſtans; & etiam mora eſt temperata. Vult igitur Auic. quòd in ſecundo loco temperamenti ſit clima quartum. Quid igitur dicimus nos? Non autem ex me dico; ſed, quod dixerunt antiqui; hoc eſt, Gal. & Hippoc. Iſti enim; non quartum clima, ſed finem quarti climatis, uoluerũt eſſe temperatiſſimum terminum; ſcilicet inter quartũ, & quintum. Videatis in tertia particula aphor. apho. 14. ibi dicit, quòd hæ inſulæ, Cos, & Gnidos in medio orbis exquiſitè locatæ ſunt, & ſunt temperatiſſimæ; unà cũ alijs locis, qui ſunt in eodem parallelo. Hic duo ſunt ponderãda. quomodò hæ duæ primum inſulæ; cum his omnibus, quæ ſunt ſub eodem parallelo latitudinis: ſint in medio orbis. Secundum, quomodò ſint temperatiſſimæ. Sed notate priùs artem Gal. Voluit enim hic Gal. duo facere. Primùm; fauere ueritati. Deinde etiam ſuo præceptori; ut oſtenderet, Hippocra. eſſe natum in temperatiſſima regione, quem ipſe in omnibus admirabatur, tanquàm Deum. Quòd autẽ ſint in medio orbis,

bis, atq; etiam tẽperatiſſimæ; uidebitis ex diſcurſu ſuper noſtra habitabili. In hac enim eſt unus circulus, qui eſt ſub linea æquinoctiali. Secundus; eſt ſub Thule ultima. intra autem duos hos circulos ſeptem ſunt climata habitata; & uiginti, & unus paralleli, per latitudinem. Per parallelum latitudinis intelligo diſtantiam à linea æquinoctiali uerſus polum arcticum; ſecundùm quam fit ſenſibilis uariatio diei. Veniendo uerſus regiones noſtras; occurrit parallelus primus, qui addit diei unum quartum; & ita erit dies. 12. horarũ, et unius quartæ. In ſecũdo parallelo additur ſpatium mediæ horæ, ut ſit dies ibi. 12. horarũ cum dimidia. In tertio dies augetur ſenſibiliter per ſpatium mediæ horæ, & quartæ unius (quia augmentum fit de quarto in quartum.) Vt ſit ibi dies. 12. horarum, & trium quartorum. In quarto autem parallelo; quia iam habitatur (nam alij ſunt tanquàm incogniti, & appellantur per Meroẽm. & hic primum clima incipit) additur diei hora una, & fit ibi dies. 13. horarũ. In quinto parallelo additur diei hora cum quarto. In ſexto, qui per ſyenen dicitur; additur hora una cum dimidia; ubi incipit ſecundum clima. In ſeptimo parallelo additur hora una cum tribus quartis. In octauo, qui per Alexandriam appellatur; adduntur duæ horæ; & ibi incipit tertium clima. In nono parallelo adduntur duæ horæ, & quarta. In decimo adduntur duæ horæ, & media; & hic incipit quartum clima, & dicitur diarhodum. In undecimo addũtur duæ horæ, cum tribus quartis; & hic eſt medius exquiſitè, & potiùs declinat

nat ad quintum clima. In. 12. qui dicitur per hellespontum, in quo iam est quintum clima; adduntur super æquinoctium tres horæ; ut iam sit ibi dies. 12. horarum. In. 13. parallelo, qui dicitur per Constantinopolim; in quo est finis quinti climatis; adduntur tres horæ, & quarta una. In. 14. parallelo, adduntur tres horæ, & dimidia; et hic est sextum clima, & dicitur diapontum. In. 15. est initium septimi climatis; & in hoc parallelo tres horæ cum tribus quartis adduntur diei; & dicitur clima istud diaboristhenes. In. 16, parallelo adduntur quatuor horæ; ut sit ibi iam dies. 16. horarum. In. 17. adduntur quatuor horæ, et quarta una. In. 18. adduntur quatuor horæ, & dimidia. In. 19. est dies. 17. horarum integrarum. In. 20. dies horarum octodecim. In. 21. dies est horarum. 19. Vltra parallelum uerò uigesimum primum non dabatur habitatio apud antiquos. Sunt igitur, unus, & uiginti paralleli. Medius exquisitè erit undecimus parallelus; illa igitur regio, quæ erit sub undecimo parallelo; erit in medio. Videatis primam tabulam Asiæ Ptolemæi; qui ponit Gnidum, & Coum; in undecimo parallelo, & in fine quarti climatis. Ergo exquisitissime mediæ erunt Gnidus, & Cous, & temperatissimæ; ratione parallelorum. Vndecimus enim parallelus est medius inter. 21. Prætereà etiam secundùm rationem climatum erũt mediæ; quia in undecimo parallelo est finis quarti climatis, & principium quinti. Climata autem erãt septem, quatuor autem medius est numerus inter septem; Et ita habetis quomodò secundùm Galenum, Gnidus,

Gnidus, & Cous; sunt mediæ in habitatione, & temperatissimæ. Aliqui contra hoc arguunt; instantes contra Galenum ex ipsiusmet fundamentis. Dicunt enim; Gal. dicit in fine primi, de temp. & secundo; quòd in Aegypto temperatissimi sunt homines, optimæ staturæ, optimi coloris, & habitus; Sed, quòd in quarto, & quinto climate; sunt homines breuès, paruæ staturæ, mali coloris. In sexto contrà sunt homines, magnæ staturæ, et boni coloris; ut uidemus in Germanis. Respondet Albertus ad hoc; quòd Germani isti sunt pulchri in superficie; sed intus redundant excrementis plurimis, quòd non bene concoquunt, & nunquàm sunt in bono statu; et non possunt pati laborem, neq; inædiam. At, qui sunt in quarto climate; sunt fortissimi; patientissimi, laborum, et famis; ut uidetis in Hispanis; ideo hæ (inquit Albertus) sunt apparentiæ. Est etiam alia ratio. Qui sunt in principio quarti climatis, non habitant in regione temperata, quia ibi sunt maximi calores; Ideo ibi sunt paruæ staturæ, non boni coloris. Vt equidem scio; Valentiæ dies non excedit, nisi. 14. horas, & paulo plus; et, in Sicilia etiam non excedit. 14. horas cum dimidia; Ideo Hispani isti uergunt potiùs ad tertium clima. Qui autem habitant circa principium quinti climatis; & finem quarti; sunt temperatissimi; Ideo in illa regione fuerunt ferè semper homines fortissimi, et pulcherrimi. Ibi enim fuit Milo, ibi Hercules, & plurimi alij; quos celebrauit antiquitas. Instat adhuc contra hoc Auicenna in fen. secunda, doctrina secunda, cap. 8; huius primi libri, duobus signis; dicens, quòd in mense

mense Augusti longè maior est calor, quàm in cancro. Similiter in uigesimaprima hora maior, quàm in meridie; Ideo respondendum est etiam ad has obiectiones, ut omnes dubitationes tollantur. Solutio autem est facilis ex his, quæ diximus. Nam calor est maior in his casibus; non ratione moræ, sed ratione minoris resistentiæ. Vbi enim uis agentis comparatur cum resistentia passi; tanti refert resistētia; ut, si minuatur resistentia; etiã, quòd modica sit uis agentis, tamẽ ualidè imprimit agens. In leone ergo ratione minoris resistentiæ fit maior calor; quia calor præcedens exiccauit totũ aerem. Accedit & alia ratio; quia sol tunc est in leone in domo propria, similiter in hora. 20. diei, ratione minoris resistentiæ; quia humiditas noctis est iam exiccata. Ideo malè consideraui ista Auic. qui credidit istud fieri ratione moræ. Vultis autem scire, quòd mora sine agente nihil, aut parum; faciat? discite ex hoc. Sub Polo arctico sunt sex menses continui dies, & tamen est ibi maximum frigus; Igitur, si mora tantum facit; deberet ibi esse calor maximus. Sed, quia ibi non est uis agentis, & est magna resistentia propter humorem præcedentem; Ideo non calor, sed frigus; est mãximum. & de his iam satis dictum sit. Quoniam etiam dicebamus in præcedentibus. xi. parallelum esse temperatissimum inter oẽs habitationes; oportet modò per istud medium cognoscere extrema. Incipiatis ergo à partibus orientalibus; & uidebitis in principio quinti climatis, & in fine quarti esse temperatissimam habitationem; & consequenter postea, quæ

quæ statim succedunt similiter & circa occidentem; Ideo in Hispania in hoc tractu fuerunt, & excellentissimæ ciuitates, & excellentissimi uiri. Ideo Corduba, Calabria, & Saguntum; habuerunt semper maximos uiros. Ita etiam Roma, Neapolis, & Athenæ. Gallia autem est in. 12. illa pars ergo, quæ magis est proxima. 11. parallelo; est temperata magis, et consequenter abundat uiris magnis. Germani autem, qui non transeunt. 15. parallelum; non fuerunt egregij insigni aliqua uirtute; sed, si quid egregium fecerũt; hoc, aut fortitudine sua, aut numero; fecerunt. Teneatis igitur. 11. illum parallelum esse temperatissimum; qui medius est inter quartum clima, & quintum. Et ita soluatis omnes difficultates. Quia quidam dicunt quartum clima esse temperatum; quidam autem quintum. Neq; enim sic. 11. parallelus planè in quarto, neque planè in quinto, sed in cõfinio utriusq; existit. Quantò igitur aliæ habitationes sunt propinquiores huic parallelo; tantò erunt temperatiores. Quantò autem remotiores; tantò minus erunt temperatæ. & de his satis.

LECTIO XIX.

VENIAMVS *nunc ad textum Auicennæ.* In membris non iam manifestum fuit, quòd membra, &c. *Hic ponit quoddam dubium, uel soluit; quod nascebatur ex expositione secũdi modi æqualitatis. Quando enim indiuiduum comparatur ad totam suam speciem; circa istum modum nascebatur du-*

bium. Non nanq; uidetur, quòd homo aliquis poßit esse æqualis; cùm sit compositus ex tam diuersis membris. Respondet ibi Auic. quòd ex compositione diuersorum membrorum resultat quædam æqualitas iustitiæ; ex qua proueniunt operationes propriæ, et totius, & singulorum membrorum. Vndè tanquàm per corollarium dixerat, solam cutim esse æqualem æqualitate accedente ad æqualitatem ponderis. Ideo hic istud replicat; quia ibi non monstrauerat, & probat hoc ita esse. Circa igitur intelligentiam istius loci; aduertatis, quòd hoc loco intelligitur, non æqualitas respectiua, sed absoluta. Dicit enim; quòd nullum membrum accedit ad æqualitatem absolutam, nisi sola cutis; non, quòd exquisitè sit æqualis ista æqualitate; sed quòd accedat ad eam æqualitatem. Et ex hoc loco uidetur Auic. idem sentire, quod Galenus. Quia nõ negat Auic. inueniri æqualitatem absolutam secundùm sensum, ut hic uidetis; sed secundùm rationem intelligit. Secundò hic de æqualitate ad pondus secundùm formam; non de æqualitate materiæ. Exemplum autem hoc demonstrabit. Dicit igitur; quod caro maximè accedit ad æqualitatem; sed primo & secundo de temperatura; Gal. dicit carnem non esse temperatã; sed ualde declinare ad calidum, & humidum; Ideo uidetur Auic. dissentire à Gal. Hic autem Auic. intelligit de carne musculorum, quæ reperitur in corpore humano permista ex, neruis, & uillis; & in carne, quæ simplex non reperitur. Nam caro hepatis, & uiscerum; non est uera caro, sed parenchyma potius (ut dicebant

dicebant Erasistratij.) Ista autem caro est temperata, quia quantùm acquirit de humore propter carnem simplicem; tantum acquirit de siccitate propter neruos motiuos; &, quantò caro est calidior, tantò est frigidior neruus; Ideo caro musculosa est uerè æqualis; caro autem simpliciter non est temperata. & de hac intellexit ibi Gal. Est & alia ratio; quia Auic. adhæret magis Arist. quam Gal. ubi hi duo discrepãt. Dicunt autem cõmuniter. (Nam ego nolo modò istud dicere; quòd Aristot. uoluit instrumentum sensus esse carnem) quòd instrumentum sensus, si debet recipere qualitates sensibiles; debet esse denudatum à natura recepti. Cutis tamen carne propinquior est. Modò ostendit, cutim esse temperatam, hoc pacto. Non patitur cutis à temperato; ergo est temperata. Quòd autem non patiatur à temperato; duobus modis probat, experientia, & ratione. Experientia quidem; sumpta est ex Gal. in actiuis, et paßiuis. In actiuis primò; Quia si misceantur aqua frigidißima, & calidißima; & tantùm de una ponatur, quantum de alia; erit hæc aqua æqualis. &, si ponatur cutis in hac aqua; non alterabitur cutis. Probat postea in paßiuis. & ita uidetis, quòd æqualitas ad pondus etiam secundùm Auic. datur, secundùm sensum, sed non secundùm rationem. Probat modò ratione. Non sentit æqualia; ergo nõ patitur ab illis. Probat à posteriori, & à signo. Addenda autem est conditio quædam; ut ualeat argumentum. Vbicunque sunt sensus in animali perfecto, & sano; non potest membrum anima-

lis sensibile pati, nisi sentiat. & ualet consequentia; sentit, ergo patitur. (In materia scilicet determinata; idest in animali) &, si non sentit; non patitur. Quia, si pateretur; sentiret. Sunt enim termini conuertibiles in materia animalis. Arguit igitur à notiori. Signum igitur, quòd non patiatur ab ea, à qua est; est, quòd non sentit. Postea probat consequentiam. Non patitur; ergo est simile. nam propterea non patitur; quia est simile. Res tamen, quæ unius sunt originis; idest, quæ sunt similes in origine, idest in generatione, & in materia; in naturis; idest in formis. Formæ enim similes inter se; non sunt contrariæ. &, quando dicimus substantiæ contrariam non esse substãtiam intelligimus de substantijs compositis. Veniamus modò ad aliud pulcherrimum. Dicit enim Auic. debemus autem scire ultra hoc, &c. *Quoniam hic posset nasci dubium ex eo, quòd docuit modos omnes æqualitatum; &, quòd quotidie dicitur, medicinam esse æqualem, uel inæqualem; Posset aliquis dicere, Vtrùm eodem modo dicantur medicinæ æquales, uel inæquales; quo corpora humana; An alia ratione? Ideo respondet, quòd non eodem modo dicitur hoc de medicina, sed alia ratione. Quia, si eodem modo; igitur medicina temperata erit homo, ex quo forma substãtialis est ipsa temperatura. Sed legamus uerba ipsius Auic. & uidebitis determinationem huius rei. & uidebitis; non eodem modo dici medicinam æqualem, uel inæqualem; sed per respectum humani caloris. Intelligimus igitur medicinam temperatam; quando calor*

lor humanus agit in ipsam; & ita agit; ut ex mutatione ipsius non alteretur corpus sensibiliter, neq; ad caliditatem; neque ad frigiditatem. At, quando medicina alterata à calore naturali, agente in ipsam, alterat corpus; tunc dicitur inæqualis, & dicitur calida, frigida, humida, aut sicca. et hic est sensus Auic. Modò declarandum est à nobis exactius; quomodò res se habeat. Quia, si nihil aliud de ista temperatura medicinarum intelligeretis; nihil sciretis. Circa hoc primò proponemus rem exquisitissimè. & declarabimus quomodò medicina frigida dicatur; deinde ponemus opinionem Auerrois contrariam Gal. & Auic. Aliorum autem opiniones omittemus; quia ista sola meretur, ut consideretur. Est enim maximi uiri; & ingeniosi. Methodus autem in tractãda ista quæstione est; ut primò tollamus multiplicitatem. & exordiemur; undè etiam exorsus est Gal. in tertio de temper. Primò igitur debetis scire, quòd hoc, quod dicimus (aliquid esse æquale, uel inæquale) potest intelligi; uel pro forma ipsius rei, uidelicet, quòd sit hic tantum de calido, & frigido; quantum exigit forma rei pro operationibus. Idem etiam de inæqualitate dicemus. & ita accipiendo æqualitatem, & inæqualitatem, qualitatum; in mistis; sunt actu in eo, in quo sunt omnes istæ qualitates; secundum quas dicitur, æquale, uel inæquale; quia non opus est, nisi approximatione. Agunt enim primo occursu; ideo, quando est aliqua inæqualitas respectu formæ; statim fit alteratio, ubi fuerit approximatum; ut uidetis deprehendi, & ex-

periri, ab hominibus. homo enim, quia est temperatus; statim percipit qualitates, & frigidas, & humidas, & siccas. Si etiam occurrat caliditas in actu; ut, si occurrat columbo; percipit statim calorem.

De caliditate autem ipsa sciendum est, quòd nullum simplex respectu perfecti animalis dicitur calidũ per exuberãtiam. & ita piper respectu humani corporis est frigidum. & etiam omnes aliæ medicinæ, quæ sunt feruentissimæ; sunt frigidæ respectu corporis humani, sicut experientia probatur. Quia etiam, quòd sumatur saccus piperis, & ponatur super corpus humanum; sentietur frigiditas, quia caliditas in pipere non est temperatura ipsius. Bene autem respectu quorundam aimalium imperfectorum potest apparere calidum piper, aut euphorbium; ut, si ponamus hæc puluerata super uermiculum; contrahitur statim, & primo occursu; quia sentit caliditatem medicamenti. homo autem, quia habet maiorem caliditatem, quàm medicamenta omnia; ideo non sentit caliditatem mistorum. Nullum igitur istorum habet caliditatem actu respectu animalis perfecti. Aliæ autem qualitates percipiũtur primo occursu ab animali perfecto; ut frigiditas ferri statim sentitur, quia est frigiditas in ferro actu. Sic & omnes aliæ qualitates, quæ sunt in actu in mistis; primo occursu sentiuntur ab homine; sola caliditate excepta, quia homo calidior est. Alia modò dicitur æqualitas; quæ non est temperatura ratione formæ; sed ratione alicuius facultatis, & potestatis, quæ est in misto; & dicimus hoc modo

æqualitatem,

æqualitatem, quando operatur æqualiter. Inæqualitatem uerò; quando per excessum operatur. & dicitur potestas; quia non agit primo occursu; sed habile est ad agendum, si ab aliquo deducatur ad actum. & se habet opposito modo, æqualitati, primo modo dictæ, quæ pro forma accipiebatur. Hoc autem maximè est proprium; quòd quidquid est in isto genere æqualitatis, & inæqualitatis; in eo omnes qualitates sunt in potẽtia; Ideo semper æqualitas; hoc modo intellecta, nunquàm est; sed est futura; quia indiget hæc potestas, ut propinquet alicui agenti, à quo ducatur in actum. Et ita æqualitas hæc est opposita primæ æqualitati. & dicuntur hæc talia esse potentia; sicut dicimus gladium habere potestatem feriendi; quia per se non potest ferire, nisi ab homine ducatur ad actum. In se autem habet solum hoc, ut feriat; si ab homine mouente dirigatur. Hic est igitur communis conceptus huius æqualitatis. & ista æqualitas adhuc est multiplex; sed duo summa sunt fastigia; quæ, & Galenus primo tertij de temperaturis, & Arist. 10. Metaphy. 14; posuere. Sunt autem ista; prima potentia, siue facultas; est; quando in aliqua re est aliquod principium productiuum, & uirtus quædã actiua ita; ut, si propinquet alicui; agat in ipsum post aliquam alterationem, sicut dictũ est de gladio. Hæc autem facultas est habitus quidam; & hic est, uel naturalis, sicut uidemus in animalibus esse potentias omnes sentiendi, ut uidendi, audiendi. Dicuntur enim istæ potentiæ; quia non actu uidet homo, nisi deducatur per

 obiectum

obiectum ad uisionem. & dicuntur actiuæ; quia finis istarum potentiarum est actio. Vel est artificialis; sicut grammaticæ; & musicæ. & non sunt formæ; sed quidam habitus, & potentiæ; emanantes ex ipsa forma. Hic est primus modus. & Galenus dicit; hanc facultatem principaliter dici istud primum genus. Alius modus est; quando aliqua dispositio passiua est in misto. idest, quando est dispositum subiectum; ut magis in unum mutetur, quàm in aliud. sicut dicimus in palea esse potentiam; ut faciliùs mutetur in ignem, quàm in aliud. Illa utiq; prima potentia actiua idonea fiebat ad aliquid agendum; si educebatur aliqua alteratione ad actum. Hæc autem fit idonea ad patiendum; & ad suscipiendum nouam formam, et nouam alterationem; Est igitur tota in pati. Et ita habetis, quæ nã sit æqualitas, uel inæqualitas actu; &, quæ nam potentia. & æqualitatum in potentia; quæ nam sit in potẽtia actiua, & quæ in potentia passiua sit. Hac posita distinctione pro quæstione quæ erat. Quo modo Medicinæ dicantur æquales, uel inæquales quæro; Vtrùm per æqualitatem, primo modo dictam? Minimè profectò, quia sequuntur illa absurda, quæ allata sunt; quia erũt medicinæ eiusdem naturæ cum homine. Secundo igitur modo dicuntur medicinæ æquales, uel inæquales; prout habent potentiam; ut tales, dici, & esse; possint; Siquidem alterentur priùs. & deducantur ad actum. Hoc constituto; restat dubium. Cùm sit ista potentia duplex, actiua, & passiua; utra intelligatur actiua, an passiua? Non autem possumus satisfacere quæstioni, sine

sine distinctione; quia ista interrogatio est multiplex. Quodcunq; admotum corpori nostro, quod appellamus calidum, uel frigidum; Illud quidem est, uel medicina, uel cibus. Videamus primò de cibo; quo modo dicatur cibus habere potentiam, utrùm actiuam, an passiuam. Cibus dupliciter potest accipi; uel enim est simpliciter, & absolutè cibus; uel cibus secundùm quid, & cum additione; ut, quando dicimus esse cibũ medicinalem. Si de cibo propriè quæratur; habet omnino potestatem passiuam à principio usq; ad finem. Quia nunquam habetur in hoc cibo, nisi potentia passiua; quia statim alteratur à calore natiuo, et ita; ut nullam faciat alterationem in corpore, neq; calidam, neq; frigidam. Quia, si alteraret; esset medicina. Conuertitur igitur totus à calore; quia toti dominatur calor naturalis; licet non totus fiat similis substantiæ corporis, quia partes quædam transeunt in excrementa. Totus igitur est in potentia passiua ratione caloris innati; quia totus conficitur; & calor coquit, quod est coquendum; & pellit, quod est pellendum. Nam de restistentia secundùm rationem non disceptamus nũc, quia sumus Medici; Ideo dicimus quò ad sensum; cibum nullam prorsus facere alterationem in corpore humano, sed totum conuerti à calore naturali, & totum ab eo omnino pati. &, si in fine auget calorem innatum; auget, quia substantiam auget, & corpus caloris; non, quòd augeat qualitatem ipsam caloris, & faciat calorem ipsum acriorem. Cibus modò, secundùm quid consideratus, idest medicinalis; dupliciter consideratur.

tur. Quatenus cibus habet potentiam etiam actiuam; ut dici potest de lactuca, & nasturtio. Quia in nasturtio quædam partes sunt terreæ, & tales; ut, si calor innatus propinquet ipsis, et inflammet partes ipsas; generet in ipsis acrem calorem, quia calor fit acrior in re solida. Contingit ergo; ut inflammatis istis partibus, & acri calore perdurante; & calescat ipse calor innatus, & fiat acrior seipso; in qualitate. ita dicitur nasturtium calidum; propter istam potentiam actiuam, quæ deducitur ad actum calore innato, & deducta agit in ipsum. In lactuca uerò; dum natura quærit uertere lactucam; fit, ut calor obtundatur; quia non potest ita facilè conuertere propter partes lactucæ multũ humidas, rebellesq; ipsi calori; & ideo lactuca dicitur frigida. Nasturtium uerò dicitur calidum; quia habet partes quasdam inflammabiles, quæ postea augent qualitatem caloris innati. Ostendunt autem hoc manifestè, ligna, & ignis. Si enim ligna fuerint humida, & uiridia; resistunt igni primò, & patitur ignis inquãtùm agit in ipsa. lactuca igitur est tanquàm lignum uiride; ideo calor naturalis alterando ab ipsa retunditur. In nasturtio autem sunt partes quædam terreæ, & attenuatæ in mistione; quæ propinquantes calori innato, ita inflammantur, ut acquiratur calori ipsi intensio maior. Quia in partibus tenuibus nasturtij fit acrior calor, ut in re solida. Si enim agat ignis in ferrum; difficile est, ut inflammetur. Sed, ubi traxerit flammam; caliditas acuitur. Ita etiam in his, quæ propinquãt corpori, in quibus sunt partes

terreæ,

terreæ, inflammabiles tamen, & subtiles. Redditur enim in his calor accutißimus; qui postea adauget acutiem caloris innati. Vbi igitur cibi sint medicinales; siquidem habeant partes terreas attenuatas; fit in istis partibus acris calor; postquàm fuerint à colore innato inflammatæ, qui quidem calor ualdè intendit qualitatem caloris innati. Ideo dicuntur esse calida per excessum. At, si mistum habeat partes temperatas in sua mistione; tũc, neq; calidum, neque frigidum; dicetur; sed æquale, qualis est borago. Nam (uerbi gratia) in boragine est substantia, in qua nõ sunt partes terreæ sicut in nasturtio; sed sunt partes moderatæ; Ideo non inflammantur ita acutè, ut nasturtium. Neque tamen ita resistit sicut lactuca; ideo recipit calorem à calore innato. Sed non recipit calorem, de quo sit satagendum; quare, neque calor innatus potest ab ipsa intensior fieri. & hinc patet, quo modo quædam medicinæ dicantur calidæ in primo gradu, in secundo, & in tertio. Itaque appellamus cibum medicinalem; qui, præterquàm, quòd cõuertitur in substantiam corporis; etiam recalefacit, uel frigefacit calorem natiuum. Cibus igitur absolutè; est respectu caloris innati potentia paßiua à principio suæ conuersionis usq; ad finem. Cibus autem medicinalis; in principio est in potentia paßiua; postea, ubi fuerit inflammatus; incipit agere, & calefacere calorem innatum; reddens ipsum acriorem; qui est alioqui ex se benignus, & suauis. Si uerò sit rebellis propter multum humidum; tunc non ita inflammatur (uerbi gratia)

ut

ut lactuca. Sed, ubi ceperit calor naturalis in ipsum agere; obtunditur. & ita lactuca dicitur frigida, quoniam calor innatus non potest eam conuertere. Quia, si uerteretur; non esset frigida. Sed dicet quispiam; Ergo uidetur, quòd ista qualitas sit in actu. Certè non est in actu; sed habet potentiam actiuam. & hic falsus est Auer. cùm multis alijs. Disputarem istam quæstionem cum ipso contra Galenum; si ocium super esset. Deducitur autem ad actum à calore innato; quia ex resistentia paßi fit reactio, dũ calor aggreditur ipsam, ut conficiat. Ex hoc enim certamine fit retusio caloris; sicut, si ligna uiridia igni apponeremus. Principio enim ignis incipit agere in ligna; & colliquat humiditatem ex lignis. Ex qua colliquatione insurgit resistentia, & reactio contra ignem. Non est igitur frigiditas actu in cibis istis medicinalibus; sed potẽtia actiua, quæ reducitur ad actum per calorem innatum. Cibus igitur medicinalis (ut rem colligamus) quatenus cibus; conficitur à principio usq; ad finem à calore innato, & semper est in potentia paßiua, & receptrice. Quatenus autem est medicinalis; si partes sint inflammabiles terreæ, dum calor alterat, & superat, et inflammat; est in potentia paßiua. Postquàm autem fuerint istæ partes inflammatæ; tunc recalefaciunt calorem innatum, reddentes ipsum acriorem; & tunc dicitur esse caliditas potentia actiua. Si uerò non habuerit partes facilè inflammabiles, sed pertinaces, & ualdè resistentes; propter humidum (ut diximus de lactuca.) Tunc, quia retundit calorem sua humidita-

te

te; dicitur frigidus potentia actiua. Agit enim tunc in calorem naturalem; & patitur calor naturalis ab ipso. Hæc tamen erunt clariora, cùm agemus de medicinis.

LECTIO. XX.

NVNC sequamur; & dicamus, quid sit esse in potentia, uel agendi, uel patiendi. Id sanè dicimus comparatione alicuius determinati. Nam licet gladius habeat potestatem incidendi carnem; deest tamen incidendi ferrum. Sic igitur; cùm dicimus medicinas esse æquales, uel inæquales; tunc intelligimus ratione hominis temperati. Ideo eadem medicina poterit esse calida, & frigida; secundùm diuersas comparationes. Hoc posito; redeamus ad id, quod quæritur. Quæsitũ enim est, in qua potestate erant medicinæ. Respõsum autem est; tria esse fastigia, cibum, medicinam, & uenenum; quæ possunt admoueri corpori humano. Cibus sanè; aut est absolutè cibus, aut cibus medicinalis. Medicina uerò triplex est, aut absolute medicina, aut medicina cibalis, aut medicina uenenata. His ita constitutis; sigillatim ad singula respondeamus. Cibus absolutè hanc naturam habet; ut plurimum eius uertatur in substantiam illius, cuius beneficio dicitur cibus. &, cùm uertitur in substantiam, ita uertitur, ut nullam sensilem alterationem faciat in corpore nutrito; Ideo totus est in potentia paßiua. Semper enim uincitur, & patitur semper; à calore innato. Dicimus autem hoc (quantùm ad sensum pertinet) quia certò sci-

mus

mus omne patiens patiendo re agere, & omne agens agendo repati. Habet igitur has conditiones cibus, absolutè sumptus. Primùm; ut plurimum eius uertatur in substantiā nutriti; deinde ut totus sit semper in potentia paßiua; postremò, ut nullam inuehat sensilem alterationem in corpore nutrito. Cibus autem medicinalis duo importat. Quia enim mistus est, ideo mistas habet intentiones. Ideo, quia dicitur cibus medicinalis; mutatur quòd plus habet cibi, quàm medicinæ. Colligitur igitur primò; quòd minùs uertitur in substantiam nutriti, quàm cibus absolutè. Deinde; quòd totus sit in potentia paßiua, quantùm ad substātiam. Tertiò; quantùm ad aliquam qualitatem est in potentia actiua, & alterat corpus, & reagit in calorem. & in hac ultima cōditione differt à cibo absolutè. In secunda enim conuenit prorsus, in prima, partim conuenit, partim nō conuenit. Cibus medicinalis; est ueluti mel; quia non ita nutrit sicut caro, & panis, et uinum temperatum. longè enim minùs ptisana; quia habet quasdam qualitates medicamētosas, siue medicinales; quæ agunt, & alterant corpora, & non possunt dominari à calore. Quia propriū est medicinæ (sicut dicam) ut nihil eius uertatur in substātiam nutriti. Ideo, quia participat hic cibus medicinam; quantò minùs nutrit, tantò magis accedit ad medicinam. In melle autem est quædam acrimonia, & pars terrestris; quæ alterat, & est medicamentosa. Ita in ptisana est frigiditas, & astrictio quædam. Ideo habent omnia hæc quandam facultatem actiuā; qua reagunt in calorem, postquam calor

calor egerit in ipsa. habet enim mel partes quasdam terreas inflammabiles; quæ inflammatæ à calore innato; recalefaciunt calorem innatum, & intensiorem reddunt. Idem facit uinum potens, & uetus. Ptisana autem est penitus opposita. Quia enim habet qualitates refrigerandi, & humectandi; ideo calor innatus non potest inflammare eam sicut inflammat mel; immo retūditur calor, & refrigeratur potiùs ptisana; propter partes ptisanæ rebelles, quæ non possunt conuerti à calore, et dominari sicut contingit in lignis uiridibus. Ideo dicitur ptisana frigida potentia. Secundū igitur qualitates; cibus medicinalis habet potentiam actiuam, uel calefaciendi, uel refrigerandi. Secundùm substantiā ueró; habet potentiam paßiuam. Tota enim substantia dominatur, & uincitur à calore; sed non tota conuertitur in substantiam nutriti. Hæc satis de cibo. Medicina primò est cibalis. Hic sunt duo, primò medicina, postea cibus. Est igitur plus de medicina quàm de cibo; opponitur enim in hoc cibo medicinali. habet igitur has conditiones; ut minimum de eā uertatur in substantiam nutriti; est enim ultimum in his, quæ uertuntur in substantiam nutriti. Secundò; quantùm ad substantiam, tota est in substantia paßiua. Tertiò; Secundùm aliquam qualitatem alterat corpus, et est in potentia actiua. Talia enim sunt sicut cichorium. Tota quidem eius substantia est in potentia paßiua; quia tota substantia dominatur à calore, et uincitur; licet minimum mutetur in substātiam nutriti. Et in hoc differt à cibo medicinali. At secūdùm qualitates

litates quasdam est in potentia actiua, uel calefaciendi, uel refrigerandi; per quas etiam reagit in corpus. Medicina aũt absolutè opponitur cibo absolutè. Quia sicut plurimum cibi absolutè uertebatur in substantiam nutriti; ita nihil ex ea uertitur in substantiam nutriti. & hoc est maxime proprium medicinæ. opponitur igitur medicina absolutè cibo absolutè in hac prima conditione. Secunda conditio est; quòd in tota sua substantia est in potentia passiua. Quoniam medicina absolute à corpore humano perfectè dominatur quantùm ad substantiam; & expellitur; quando oportet. & in hoc conuenit cum cibo. Sed nõ uincũtur qualitates eius; immo istæ reagũt in corpus, etc. Piper maximè inflammatur in corpore humano; & est in potentia actiua maximè calefaciendi. Quia, dum calor naturalis agit in piper; partes terreæ attenuatæ in mistione, & subtiles, inflãmantur maximè. Quæ postea recalefaciunt calorem innatum; & reddunt ipsum acriorem. Caliditas autem piperis (quarto de tuenda sanitate) licet maximè inflammetur; tamen non pertransit hepar, quia citò euaporat eò; quòd, licet in pipere sint partes terreæ; sunt tamen subtiles. At in calamintha; quia partes terreæ sunt crassæ; pertinaciter adhæret caliditas, & pertransit caliditas eius per totum corpus. Ideo dicebat Galenus; quòd existente cruditate in uentriculo; non est danda calamintha. Inflammatur autem piper faciliùs; quia partes sunt subtiliores. In glycyrrhiza autem est calor quidem; sed dulcis, & aereus; quia substantia non est terrea

rea, sed aerea. Ideo inflammatur quidem; licet inflammatione miti, & in primo gradu. et hæc de medicinis; quæ habent potẽtiam actiuam in qualitatibus calefaciendi; &, quæ calidæ dicuntur. Similiter frigida, quantò magis resistunt calori propter suas qualitates; tantò magis dicuntur esse frigida potentia actiua. Vnde opium est maximè frigidum. Tamen omnes medicinæ, quæ sunt medicinæ absolutè; non uenenosæ; dominantur à calore in tota substantia; Ideo sunt tutæ, quantum ad hoc. Si omnes medicinæ possent inflammari; omnes essent calidæ. Dicitur enim calida medicina nulla alia; quàm, quæ inflammatur à calore innato. Succedit medicina uenenosa; quæ aliquo modo potest nocere corpori. Tripliciter autem potest nocere; uel euacuando plusquam debeat, uel alterando plus iusto, uel erodendo. Ex quo enim est medicina; habet conditiones omnes medicinæ. Ex quo autem est uenenosa; participat conditionẽ ueneni propriam; quæ est; quòd uenenum, & secundùm substantiam, & secũdùm qualitatem; est in potentia actiua. Ex quo igitur est uenenosa; in eius substantia est aliquid, quod agit in corpus humanum sensibiliter. Ac præterea hoc idem agit qualitatibus. Magis autem est agens qualitatibus, quia non est uenenum absolutè. Habet igitur, quòd nihil ex ipsa conuertatur in substantiam nutriti; quod est proprium medicinæ. Habet, & quod in substantia sit aliquid, quod non dominatur à calore; sed agit in ipsum calorem, & est in potentia actiua respectu caloris. Habet tertiò, quòd in qualitatibus sit in potentia actiua, qua

ua,qua destruere potest corpus humanum.et hoc tripliciter euacuãdo,erodendo,& alterando. Euacuando; sicut scammonium, quæ est medicina uenenosa. sicut sunt etiam medicinæ omnes, quæ purgant attrahendo uiolenter. Nam non est ita calidum scammonium, neq; ita acre; ut alterando possit esse medicina uenenosa. Sed, quia uiolenter atrahit, & plusquàm oportet; ideo est uenenosa. Et purgat ista cum detrimento corporis; Quia,licet euacuet,quod noxium est; tamen semper una cum noxio euacuat,quod est utile. Erodendo autem (in quibus est acrimonia mordax,et ulcerosa) ut euphorbium, & cantarides. Alterando autem; sicut opium, & succus papaueris, & solani; quia sua nimia frigiditate extinguunt calorem innatum. Ideo Gal.tertio Thera.iubet cauenda esse opiata in doloribus sedandis. Idem admonuit Aui. Vltimò est uenenum;quod tota diametro opponitur cibo.Nihil enim ex eo prorsus uertitur in substantiam nutriti; sicut cibi plurimum uertebatur. Secundò; in tota substantia est in potentia actiua; sicut cibus erat in tota substantia in potentia passiua. Tertiò; in qualitatibus est totus in potentia actiua, & nihil alteratur in corpore humano; sed totum alterat corpus humanũ, quia totum est in agere. Videtis igitur; quo modo uariè sit respondendum ad interrogationem illam; qua quæritur; quo modo, & qua potentia; sint æqualia, uel inæqualia illa;quæ,admota corpori humano, talia dicuntur. His cognitis; oportet intelligere, quomodò sequuntur quatuor corollaria; quæ scire, plurimùm refert;

refert; quia tollunt dubitationes multas. Primum corollarium. Sequitur; quòd ex quo tales, & tales, dicuntur cibi, & medicina, & uenena; quatenus habẽt in se potentiam, & facultatem aliquam; qua possunt talem effectum producere; sequitur, quòd cibus, uel medicina; nõ sint eiusdem temperatæ,cuius est corpus humanum. Quam dubitationem attulit Auic. Secũdum Cor. Eadem res respectu alicuius dicitur cibus; respectu alterius medicina. Immo respectu unius dicetur cibus; respectu alterius uenenum. Vt salix respectu capræ est cibus;respectu hominis medicina.Cicuta respectu turdi est cibus; respectu hominis uenenum.Ellebo-rum homini est uenenum;coturnici cibus. Ferrũ struthiocamelo cibus; homini non item. & hoc non est ratione propriæ complexionis; sed facultatis talis. Tertium cor. Multæ medicinæ in propria temperatura sunt intemperatæ; quæ tamen respectu alicuius, (puta hominis)erũt temperatæ,ut apparet in oleo. Oleũ; enim in propria temperatura est intemperatum, quia in eo dominantur partes aqueæ, & aereæ. In lithargyro etiam dominantur partes terreæ; tamen respectu corporis humani oleum,& lithargyrum;sunt temperata. Quartum, & ultimum corollarium; Quòd, licet medicamentum dicatur tale, uel tale; æquale,uel inæquale; respectu corporis, cui applicatur; tamen, quòd ea inflammetur medicina, & non inflammetur; est hoc à sua temperatura. Quia ex temperatura singulorum est,ut sint facilia,ut inflammentur, uel difficilia,uel omnino non possint inflammari;secundũ quòd

ex mistione habent proportionem, uel disproportionem, & dissimilitudinem; cum calore nostro innato. et hoc est, quòd toties dicit Gal. in lib. de simpl. medicina; plus est hic de terra, plus de aqua; ergo habet, ut calefaciat, & ut refrigeret. Vnde temperatura totum facit; Tamen non propterea dicitur talis, uel talis, medicina, uel cibus; quia sit talis effectus in forma, & in temperatura; sed, quia est in misto secundum potentiam emanantem ab ipsa forma, & temperatura; quæ non est ipsa temperatura. lithargyros posset dici maximè calidus; tamen respectu corporis humani nõ dicitur ita calidus; quia non potest dominari à calore humano. Sicut & oleum, quòd non potest dominari à calore humano, bene dominatur ab ipso igne; ideo dicitur pabulum ignis. His ita uisis; reliquum est, ut uideamus rationes Auerrois contra Galenum.

Qui, cùm semper faceßit negotiũ Gal. in hoc etiã non permittit quiescere, cùm sit authoritas eius apud me magna, & semper ipse rationabiliter dubitet. Et quoniam respondere dubitationibus eius est res digna eleganti ingenio; ideo nunc uolumus uidere rationes ipsius, quas ponit contra Galenum, & examinare illas, quanti sint ponderis. Auer. igitur quinto coll. capi. 2. & tertio, instans contra Galenum, tria inquit. Primò enim dicit non bene distinxisse Galenum cibum à medicina. Non dicit autem, quòd malè dixerit Galenus; sed, quòd non fuerit sufficiens in eo, quòd dixerit solùm cibum esse, qui patitur à corpore. medicinam, quæ nõ patitur à corpore; sed à quo patitur ipsum

sum corpus. Dicit igitur ipse, quòd ista distinctio non sit sufficiens; quia etiam medicina patitur à corpore, & substantia eius cõuertitur à calore naturali. Oportet igitur addere; & dicere, quòd medicina conuertitur quidem à corpore; sed non conuertitur in substantiam similem, & eiusdem speciei cum parte corporis deperdita. & (ut utar uerbis ipsius) dicit, quòd cibus est illud, quòd ponit partes naturales cibati; & pars illa est in specie partis dissolutæ. Sed medicina ponit quidẽ partes naturales cibati; sed ista pars non est in specie partis dissolutæ; sed, quando applicatur; alterat membra. Cibus autem efficitur pars eiusdem speciei. Per hæc igitur dicit Auer. distingui cibum à medicina; quòd uidelicet cibus fiat pars similis in specie cum parte corporis deperdita; medicina autem minimè. Verum omnino dicit Auer. sed intelligatis, quid intelligat Auer. Per hæc uerba, quòd medicina ponit partes naturales cibati; uult dicere, quòd medicina efficit partes esse naturales alterando. Tam cibus igitur, quàm medicina; ponit partes naturales cibati. Sed medicina ponit partes naturales cibati eò; quia efficit partes cibati esse naturales, alterãdo per qualitatem, & nihil addendo qualitati. & dicit, quòd quidam socius suus non potuit per multum tempus intelligere hanc differentiam; sed tandem per multas epistolas eum intellexisse. Ex quo coniecturare potestis, quàm obscurè rem istam dixerit Auer. Quando, neq; hi, qui fuerunt ex eodem numero; poterant intelligere, cùm alioqui balbi balbos melius intelligant. hoc

igitur est primũ, in quo carpit Auer. Gale. sed quàm meritò; patet ex his, quæ diximus ex opinione Galeni. Audiuistis enim, qui sint proprij cibi, & quæ medicinæ; &, quòd cibi proprium sit, ut uertatur plurimum eius in substantiam nutriti. At dicere hoc, est dicere, quòd uertitur in substantiam nutriti; quãdo ista duo simul dicuntur, id est (in substantiam; & nutriti) Proprium autem medicinæ est; ut nihil ex ea uertatur in substantiam nutriti. Etenim nõ uerti in substantiam nutriti, & uerti in substantidm nutriti; sunt differentiæ, per quas distinxit Galenus medicinam à cibo. Nihil igitur dicit Auer. quòd non dixerit Galenus; & ita primum dictum est mera calummnia. Secundo dicit, quòd actuata medicina, & cibi; nihil aliud est, nisi extractio succi, qui postea penetrat per omnes partes corporis. Dicit autem Galenum non expressisset hoc, cum tamen Galenus dixerit hoc expreßißimè. Quia sicut posuit Galenus primam conditionem; quæ est proprietas, quæ distinguit esse, & aliter; à cibo medicinam (uidelicet, quòd de cibo plurimum uertatur in substantiam nutriti, de medicina autem nihil uertatur in substantiam nutriti) Ita ponit modo unum commune utriq;. quòd in tota sua substantia utrunq; ipsorum est in potentia paßiua. Sed, quid est dicere; in tota substantia esse potentiam paßiuam; nisi, quòd calor naturalis poßit mutare substantiam ipsorum. At hoc est extrahere succũ, & uirtutem ipsorum. Quare dixit Galenus cãtharides exulcerare uesicam; nisi, quòd extrahitur ab ipsis succus, qui deuenit per uenas

nas ad uesicam? Verißimum igitur est; quòd dicit Auer. Sed errat in hoc; quòd dicit Gal. non expreßissse istud, quando expreßißimè dixit hoc Galenus. Sed dicetis: hoc est contra Galenum. Quia ponit ipse quatuor uirtutes naturales in omnibus membris; inter quas est attractiua. Quæ, directa ab ipsa forma; attrahit, quod est conueniens; & renuit, quòd nõ conuenit. Quo modo igitur attrahit succum uenenatum, ut succum cantharidarum, & aliarum rerum uenenatarum? Respondetur; quòd succus iste non attrahitur à natura hac intentione, sed quandoque ex necessitate pro alimento corporis. Sicut etiam dicebat Galenus de succo opij, & medicinarum uenenatarũ; quòd trahitur ab arterijs, quæ trahunt spiritum. &, si quid ibi tunc est succi uenenosi; trahitur et ipse; sed ex necessitate, & secundùm consequentiam quãdam; necessariam nõ attrahit natura quatenus uenenosum; sed quatenus utile, & mistum cum re utili. Calumniatur igitur malè Auer. Galenum; non rectè eius opinionem recitans. Tertio carpit Galenum de reductione medicinarum frigidarum ad actum; & dicit, medicos in reductione medicinarum calidarum facilè respondere posset; at in reductione frigidarum non item. Quia possunt quidem dicere in calidis; quòd calor ipsarum deducatur ad actum à calore humano. At, quòd à calore humano deducatur frigiditas; non possunt dicere. Ex quo apparet hic Galenum fugitiuum. Argutia enim quadam Hispanica; fugitiui, & transfugæ, dicuntur, qui deserunt proprium locum, & propria

propria castra, & proprium institutum. Institutum autem Gal. & proprium dogma, & conclusio; erat, quòd omnes medicinæ erant tales in potentia. Modò in frigidis medicinis non uidetur hoc seruari; sed potius uidentur huiusmodi medicinæ esse tales in actu, quia alterant potiùs calorem innatum, quàm ab ipso alterentur. & ,si quis dixerit alterari huiusmodi medicinas per diuisionem ad minima; dicit Auer. quòd hoc est etiam commune medicinis calidis. &, quòd hoc diuidi ad minima; non est causa, ut educantur ad actum; sed ut facilitat tantùm reductionem ad actũ. Deseris igitur ô Galene castra tua; ex quo nõ potes nobis saluare, quo modo medicinæ frigidæ sint tales potentia. Præterea quãdoq; sum persuasus ab Auer. in hoc loco, ut tenuerim contra Galenum secundùm ipsum Auer. At nunc ago gratias Deo, quòd rem sim meliùs assecutus. Dico igitur; Galenum optimè dixisse; & Auer. aut non intellexisse, aut noluisse intelligere; quæ dixerat Galenus. & hoc clarum est ex determinatione nostra; superiùs à nobis firmata. Iam enim diximus, quo modo hoc sit commune, & medicinis, et cibis; quòd sunt in potentia passiua respectu caloris naturalis ita; quòd, quando, uel cibus, uel medicina; adhibetur; calor innatus aggreditur, & dominatur toti substantiæ. Et, cùm dominatur; extrahit succum non aliter, quàm faciat ignis, si ponantur ligna in proportionali quantitate. Quia extra proportionem; etiam optimi cibi essent uenena. Semper igitur dominabitur ignis lignis; sed aliter, & aliter. Nam, si habuerit

buerit ligna sicca; dominabitur sine aliqua resistentia sensibili; & facillimè inflammabili ipsa ligna, quia sunt disposita ad hoc, & non resistunt. Sed, si sunt uiridia, & sicca; multùm dominatur quidem ignis, sed ægrè admodùm. & extrahit quidem succum; sed succus ille reagit in ignem, & diminuit ignem. & non cessat ista actio; donec ignis tandem consumpserit omnẽ humorem. Quo consumpto; conuertitur postea lignum in substantiam ignis, & auget substantiã ignis, et qualitatem. & præcisè est in calore innato; quando approximatur medicinæ calidæ, uel frigidæ. Quãdo igitur approximatur medicina calida; est tanquàm lignum siccum, & præparatum. & illius partes sunt inflammabiles; & habent proportionem ad calorem naturalem. Tunc igitur; quia calor inuenit substãtiam ita proportionalem, ut possit facilè inflãmare; inflammat statim, & secũdùm proportionem rei inflammat. Reinflammatur postea & ipse, quia secundùm subiecta, quæ inflammat, quando illa sunt reducta ad actũ; tunc redditur calor intensior. Si igitur medicina habeat partes terreas, solidasq; ; fit intensus calor. Sicut uidetis in lignis solidis; quæ inflammata augẽt calorem in qualitate. Ita in pipere; quia partes sunt terreæ, subtiles, facilè inflammabiles, cùm sint inflammatæ, inflammant calorem maxime; Ideo in tertio gradu calidum est piper. At, si subiectum sit temperatum in sua mistione, ut chamæmelum; tunc mediocriter inflammatur, & secundum proportionem agit in ipsum calorem. Ideo dicitur calida in primo gradu;

gradu; sicut est ignis ex paleis siccis. Ita fit; donec deueniamus ad aliquod subiectum; quod ita temperatũ sit in sua mistione, ut respectu caloris humani, neq; poßit ab ipso calore inflammari aliqua inflammatione sensibili, quæ poßit sensibiliter recalefacere calorem ipsum humanum; neq; poßit ipsum retũdere sua resistentia. Istud enim tunc dicetur æquale. Quando autem sunt substantia frigida, & humida; trahit quidem calor succum; sed, quia succus est humidior, & craßior; Ideo incipit iste succus obtundere, et opprimere; calorem natiuum; donec calor innatus paulatim, paulatim concoquat illud humidum, & uertat ipsum in suam substantiam. Semper igitur calor innatus ille est; qui deducit ex potentia ad actum medicinas, tàm frigidas, quàm calidas. Non est igitur dicendum; quòd non ponatur medicina frigida ad actũ. &, quoniam Galenus ponebat hanc differentiam inter medicinam calidam, & frigidam; quòd medicina calida, facilè, & statim; inflammatur; frigida autem difficilè, & cum resistentia; Malè quidem intelligentes Galenum; dixerunt operari medicinam frigidam absque eo, quòd deducatur ad actum. & ita uidetis rei ueritatem lucidißimè ab ipso Galeno positam; & cessare omnes obiectiones Auerrois contra ipsum. Quamobrem expediamus nos ab ista quæstione. Sequitur aliud duõium in ultima parte huius capitis de Complexionibus; in qua agit Auic. de temperatura inæquali, insequens uestigia sui præceptoris Galeni. Dicit igitur Auic. in textu, quod (sunt octo temperaturæ

peraturæ inæquales, quæ sunt sine affluxu materiæ; & una æqualis. & ita erunt nouem temperaturæ.) *Sed quoniam non omnes hoc concedunt; ideo uisum est nobis diligẽter examinare rem istam de numero temperaturarum. Omnes antiqui conuenerunt in hoc; quòd sint tantùm quatuor temperaturæ; Quia temperaturam æqualem non cognoscebant; deinde non poterant imaginari, quòd in misto ipso aliquo posset esse excessus in una qualitate sola, quando hæc non esse uidebant manifestißimè in elementis. Non credebant enim posse inueniri in mistis; quod non erat in elementis, à quibus mista componuntur. Reliquum igitur erat; ut quatuor essent tãtùm tẽperaturæ; Calida, et humida; Calida, et sicca, Frigida et humida; Frigida et sicca. Cũ igitur talis esset cõceptus apud antiquos; insurrexerunt quidã qui dixerũt esse tantùm duas. Nã accipiendo fundamentũ antiquorum; habebant iam tanquam concessum; quòd plures esse non possent, neque aliæ; quàm, calida, et sicca; aut calida, et humida; aut frigida, et sicca; aut frigida, et humida. Vlteriùs autem procedentes; probabant; ex his quatuor duas tantùm posse dari nõ plures. Quia excessus caliditatis, cum humiditate; non potest esse. Quia calidum; cùm semper exiccet, consumit humidum; & ita remanebit caliditas sola. & una qualitas ex fundamento non potest reperiri; igitur non dabitur temperatura calida, & humida. Similiter neque temperatura frigida, & sicca; potest esse; quia frigidi est condensare, & constipare humidum;*

midum; ideo ſemper erit humidum, ubi erit frigidũ. Cùm igitur ex quatuor illis temperaturis tollantur; & illa, quæ eſt calida, & humida; & illa, quæ eſt frigida, et ſicca; Erunt duæ tantùm, non plures; frigida, & humida; calida, & ſicca. Contra iſtam poſitionem inſurrexerunt quidam; qui tenent quatuor eſſe temperaturas. & dupliciter hoc monſtrant. Primò hoc medio; quia dicunt; quod eſt neceſſarium eſſe duas qualitates; quæ ſint loco ſubiecti, & materiæ; & duas alias loco formæ. Loco ſubiecti; ſunt qualitates paßiuæ, humidum, et ſiccum. Loco autem formæ; ſunt qualitates actiuæ, calidum, & frigidum. Modò duæ formæ poſſunt bene ſtare in utroque ſubiecto; ſeorſum tamen ſingulæ. Vt calidum; modò ſit in humido, modò in ſicco. Similiter frigidum, etiam; modò in humido, modò in ſicco. huic enim rei nihil repugnat. At; ut, uel duæ formæ, uel duo ſubiecta; ſimul conſiſtant; hoc quidem eſt impoßibile. Quantùm uerò ad rationem tuam; dico, quòd eſt falſißima; quia una quælibet qualitas habet unam actionem ſolam. Quia calidi non eſt exiccare, ſed calefacere ſolùm. Ita frigidum, non humectat, ſed refrigerat ſolùm. & ita quando erit calidum cum humido; calidum nõ exiccabit; neqúe, quãdo erit frigidum. Propterea etiam erit humidum; quia frigidùm ſolùm refrigerat, non autem humectat. Sed non eſt bona hæc reſponſio. Quia, licèt propriè calidi non ſit, niſi calefacere; Tamen non poteſt calor calefacere, quin conſecutiuè exiccet; quia ſemper euaporat aliquid humidi. Similiter;

ubi

ubi eſt frigidum, ibi eſt ſiccum conſecutiuè; quia prohibetur propter conſtrictionem euaporando humidũ. Ideo ſtat adhuc poſitio iſtorũ; quòd duæ ſunt tantùm temperaturæ. Sed alij lõgè elegantiùs ſuſtulerũt. Concedebant enim, quòd calidũ, & ſiccũ; exiccat, et frigidum humectat; Sed dicunt; quòd non quilibet calor, et in quolibet tempore; exiccet; ſed quòd, ut ſit calor intenſus, & in multo tempore. Sic non quælibet frigiditas humectat, nec in quolibet tempore. Sed intenſa frigiditas aliquo tẽpore; Ideo poteſt eſſe per aliquod tempus caliditas cum humiditate, & frigiditas cũ ſiccitate. Quia, licet caliditas abſumat humidum; hoc fit in tempore. Sic de frigore dicendum eſt. & ita ſufficientißimè refutata eſt opinio ſecunda ponentiũ duas intemperaturas, & reſtat prima, quòd ſint quatuor temperaturæ; Calida, et ſicca, Frigida, et humida; Frigida, et ſicca; Calida, et humida. Tertia opinio fuit illa, quæ dicitur fuiſſe Athenei, qui maximè fuit celebratus à Galeno. Voluit igitur Atheneus; quòd eſſent quatuor quidem; ſed tres tantùm inæquales, una autem æqualis; ideſt, calida, et humida. Monſtrabat autem, quòd iſta ſit æqualis; aliquibus ſignis. Primum ſignum eſt, quòd nullus morbus prouenit à caliditate, & humiditate. Quia omnes morbi ſunt calidi, et ſicci; ſicut febris; uel frigidi, & ſicci; uel frigidi, & humidi. Secundum argumentum. Ver, quod eſt temperatum; eſt calidum, et humidum; inter omnia tempora. Tertium argumentum. Pueri ſunt maximè temperati; ſunt pulchri, & molles; & ſunt calidi, & humidi.

Quartum.

Quartum. Mors est frigida, & sicca; ergo erit uita in calido, & humido. &, si peßimus status est in frigido, et sicco; optimus erit in calido, & humido. His omnibus signis respondebimus suo loco. Quando itaq; dicit; nullum morbum esse calidum, & humidum; Respondetur; Immo sunt peßimi morbi ex calore, et humore. Quantùm autem attinet ad temperaturam pueri; non est uerum, quòd sit tẽperata. & hoc ostendemus; ubi loquemur de temperatura ætatum. Quantùm ad uer; ostendemus falsitatem, quando dicemus de temperatura temporum. Nolumus enim ponere capitulum in capitulo. Ad quartum distinguimus. Quia non negamus omnia animalia habere uitam in calido, et humido; Sed intelligimus; quòd, ubi in temperatura humana excedat ista caliditas, et humiditas; Tunc sit peßima talis temperatura. Sed illa, qua consistit uita; est caliditas, et humiditas temperata; Ideo Atheneus satis manifestè peccauit, & ex his conuincitur. Quarta opinio est Gal. qui ponit nouẽ temperaturas, unam æqualem, & octo inæquales. & dicit; causam erroris aliorum fuisse solùm, quia non cognouerunt tẽperaturam æqualem. & ratio est; quoniam; cùm ponatur temperatura æqualis ad hũc sensum in qua sensibiliter (nam hoc semper addit) non sit exceßus ullus in primis qualitatibus, sensum mouens; Tunc necessariò discedendo ab ista æqualitate, dabuntur octo temperaturæ inæquales; quia octo modis contingit ab ipsa temperatura æquali discedere. Vltima opinio est Auer. qui ponit quinq; Vnam æqualem, et quatuor inæquales;

les; quia tollit omnes simplices temperaturas. et quoniam ex reliquis duæ sunt refutatæ, secunda, & tertia; prima autem cõcurrit cum ista prorsus in his, quæ ponit; Ideo oportet considerare hãc, quæ est Auerrois; quia ego plurimi semper feci Auerroem.

Qui ausus est dissentire à Galeno; ponens quinq; temperaturas. Ex quibus unam æqualem posuit; sed suo modo, non eo modo quo posuit. Gal. Videbat enim (ut erat homo perspicax, & ingeniosus) quòd, si eo modo posuisset temperaturam æqualem; cogebatur etiam ponere consequenter octo inæquales. Galenus igitur solus cognouit temperaturam æqualem. et, cùm illam posuisset; cõsequenter etiam posuit octo inæquales. & dicit Gal. antiquos errasse, quia non cognouerunt temperaturam æqualem; & hanc solam rationem fuisse causam erroris. et, quòd hoc uerum sit; patere potest ex isto discursu. Iam sciuistis; temperaturam nihil esse aliud, quàm qualitatem quandam, resultãtem ex refractione primarum qualitatum quatuor. Hic igitur primum constituere oportet inter nos. &, qui hoc non intelligit; non poterit exactè uidere in ista re ueritatem. Postea, hoc constituto; sequitur, quòd, si detur temperatura æqualis ad hũc sensum; Refractio primarum qualitatum sit talis in ipsa, ut quantùm ad sensum, neq; calidum, neq; frigidum; superemineat; sed sensibiliter appareat æqualitas; quæ æqualitas dicitur ad pondus secundùm Galenum, sed secundùm sensum tamen. Dicimus igitur; quòd, si detur ista æqualitas; sicut datur; Sequitur (quòd ponit doctißimè, et Galenus,

nus, & consequenter) quòd scilicet sint octo temperaturæ inæquales. Quia, si potest dari hoc æquale ad pondus; nulla potest ratio obstare; Cur una possit dari; in qua emineat, uel calidum, uel frigidum, uel humidum, uel siccum solum. Nam, si omnes istæ æqualitates possunt æquari in una temperatura; possunt etiam remitti singulæ ita; ut plus appareat de una, quàm de alia. & ita constituentur quatuor temperaturæ simplices. Hæc est positio Gal. (Nam de excessu compositarum cõueniunt omnes.) Intelligendo semper; prout sunt istæ qualitates refractæ in complexione, resultantes ex mistione; non, prout sunt in elementis. & bene notate; quia hinc pendet tota ueritas rei. His ita determinatis; dicamus; quòd ex opposito; si tollatur æqualis temperatura; tollentur quatuor simplices. Quia crediderunt antiqui nullam esse temperaturam inæqualem simplicem; quia non poterant persuaderi, quòd daretur, calidum, uel frigidum, (quæ sunt formæ) sine aliquo subiecto qualitatum passiuarum. & fuit fallacia; à secundùm quid, ad simpliciter. et ex hoc natus est error ipsorum, & etiam Auer. Ideo consequenter dicebat; quòd non dabatur excessus qualitatum simplicium. & sic quatuor tantùm remanebunt temperaturæ compositæ; Quia neq; tres qualitates possunt complicari. & ita habetis discursum, quo apparet id, quod dixit Gal. quòd. s. causa erroris antiquorum fuit propterea, quòd ignorauerunt temperaturam æqualem. Audiamus modò ingenium Auerr. quo usus est contra Galenũ in positione temperaturarum.

Videbat

Videbat Auer. consequentiam huius rei necessariam, qua usus fuerat Galenus contra antiquos; Ideo uidit, quòd non poterat remouere quatuor istas temperaturas simplices, nisi remoueret æqualem. Quare, partim in primo, partim in ultimo; quinti; æqualem temperaturam remouere nititur. & hoc agit duobus medijs. Primò per medium mistionis hoc modo. Actio omnis; in mistione, sicut in reliquis omnibus; habet proportionem maioris inæqualitatis. Mistiones enim fiũt per alterationem; quia mistio est plurimorum alteratorum unio. At alteratio fit per qualitates primas. Fit autem hoc per concoctionem, Concoctio autem fit à calido, & humido; Ideo potest dici, quòd detur temperatura, in qua tantum sit de frigido, quantum de calido; & tãtum de sicco, quantum de humido. Quia alioqui tolletur, et alteratio, & mistio, & generatio; Cùm omnis generatio, & omnis mistio; fiat per dominium calidi, & humidi. Hæc igitur est prima ratio; qua credidit Auerr. se posse destruere æqualitatem in temperatura. Secunda uerò talis est. Si daretur æqualitas ista; sequeretur; quòd illæ qualitates, quæ ponuntur æquales in ista tẽperatura; uel essent actu omnes, uel potentia omnes; uel, aliæ actu, aliæ potentia. Si omnes actu; sequuntur multa incommoda. Primò; quòd mistum non erit unum. Quia mistum est unum per unam formam; hic autem hoc modo ponuntur plures formæ. Præterea semper calefacerent, & frigefacerent simul; & simul humectarent, et exiccarent. Præterea; ibi, tantum esset de graui, quantum de leui. Si autẽ omnes

rationes, Auerr: cõtra Gale:

nes in potentia; nullum mistum erit actu. Quia nõ potest esse actu mistum; nisi per formam, existentẽ in se ipso actu. Si uerò, quædam in actu, quædam in potẽtia; ergo non sunt æquales, quia plus ponderat, & excedit magis; quod est actu; quàm, quod potentia. Hæc igitur sunt rationes Auer. quibus credidit se remouisse temperaturã æqualem. Vbi credidit, se sustulisse hanc æqualem; consequenter dicit tolli quatuor temperaturas simplices. Præterea dicit; uolo tibi donare Galene, quod detur æqualitas in mistis; sed non eodẽ modo, quo tu ponis; sed est æqualitas iustitiæ; quæ est per rationem ad operationes, & ad totum corpus. Alio enim modo est habere æqualitatem ponderis; & alio modo æquali tamẽ iustitiæ; Quia in inæqualitate ponderis stat maximè æqualitas iustitiæ. Nam cor est calidum, & siccum; et tunc est maxime æquale æqualitate iustitiæ, quia hæc inæqualitas maxime congruit cordi pro suis operationibus. Immo etiam dicit Auer. dono tibi, quòd detur aliquid, quòd sit æquale per recessum ab extremis, deueniens ad quoddam medium; Tamen istud æquale non erit simpliciter æquale, sed respectu omniũ membrorum. Quia omnia alia membra; recedunt à medio magis, quàm hoc. Posita hac æqualitate suo modo; dicit; quòd non possunt haberi, nisi quatuor temperaturæ compositæ; &, quòd non datur aliqua, in qua excedat tantum una qualitas. et ratio est; quia, neq; æqualitas potest dari; quia oportet semper aliquid dominari in misto. At, si semper excedit; istud ipsum, quod excedit; si fuerit forma, idest caliditas,

caliditas, uel frigiditas; nõ poterit stare sine suis subiectis, idest siccitate, et humiditate. Si uerò fuerit subiectum; non poterit stare sine forma sua. Præterea; nulla qualitas actiua determinat sibi certum gradum; nisi habeat secum qualitatem passiuam annexam, quæ determinet gradum qualitatis ipsius actiuæ; Quia gradus caliditatis non potest determinari, nisi per subiectum. Quia, si sit in sicco; est caliditas ignea, et intensa. Si autem cum humido; remissa, et aerea. De frigido autem est contrarium. Siccum remittit frigiditatem, humidum autem intendit; Ideo aqua est frigidissima omniũ propter hæc; et etiam frigidior, quàm terra. Cùm tamen propter alias rationes deberet terra esse frigidior, quàm aqua. Ideo figmentum est hoc, quod dicis ò Galene; quòd detur temperatura calida tantùm, aut frigida tantùm. Præterea qualitates passiuæ non possunt determinari sine qualitatibus actiuis, quæ sunt suæ formæ; et ita qualitates actiuæ determinantur à passiuis, et passiuæ ab actiuis. Neq; igitur temperatura calida tantùm, neq; frigida tantùm, neq; humida tantùm, neq; sicca tantùm; dabitur; sed, ubicunq; erit calidum; ibi etiam erit, aut humidum, aut siccum. et pariter; ubi erit frigidum; ibi etiam erit, aut humidum, aut siccum. Hæ itaq; sunt rationes, quibus nititur Auer. contra Galenum. Tamen stamus adhuc in eadem sententia cum Gal. et, si mihi esset ocium; monstrarem dari æqualitatem ad pondus, etiam secundum rationem exquisitissimam complexionaliter ita; ut sit facta ex refractione quatuor primarum qualitatum una qua-

litas exquisitissima æqualis ita;ut etiam secundùm rationem, neq; calidum superet frigidum, neq; humidum superet siccum. et non sequitur propterea; ut hic sit tantum de leui, quantum de graui; quia non sunt hic qualitates elementorum actu; sed sunt in potentia, et refractæ. Ex refractione autem ista; fiunt mirabilia à natura per alterationem. Fit enim ex cibo sanguis; fit caro, fit neruus, fit uena, fit os. Ex quo non est mirum; si fiat una complexio; in qua tantum sit de calido, quantum de frigido. & tamen non sequitur; ut sit tantum de leui, quantum de graui. His autem contingit, ut sequantur absurda; quia hi semper imaginantur, quòd istæ qualitates elementorum sint in mistis actu, & prout sunt qualitates elementales; Cùm tamẽ sint sub esse refracto. Possemus igitur etiam hoc modo tueri æqualitatem secundùm rationem, si uellemus; sed nos iam mutauimus, quòd ista æqualitas sit secundùm sensum. & ad hanc positionem nihil absurdi sequitur; si intelligamus (ut dixi) æqualitatem istam pro una qualitate, resultante ex mutua alteratione, et refractione; primarum quatuor qualitatum elementorum; quæ modò in mistio non sunt ampliùs qualitates elementales; sed refractæ, & remissæ. Ad primam rationẽ; non potest dari æqualitas ad pondus, quia non fieret alteratio, neq; mistio; cùm fiant ista ab aliqua prædominãte qualitate; neq; concoctio, quæ fit à prædominio, calidi, & humidi. Cõcedimus in principio esse contraria, & inæqualia; & fieri concoctionem, et alterationem; à prædominio; sed in fine dicimus resultare

tare unum; quod est temperatum, & æquale. In ferro enim plus est de frigido, quàm de calido; & tamẽ coagulatur à calido. Ideo non sequitur alteratio fit à qualitate prædominante; ergo id, quod est alteratum; habet in se prædominium qualitatum. Est enim manifesta fallacia. Ad secundum; cùm dicitur; uel sunt omnes istæ qualitates elementorum in misto actu, uel omnes potentia, uel quædam actu, uel quædam potentia; Respondeo, quòd non sunt actu; sed potentia, & refractè & dicit hoc Ar. quòd, calidum, & frigidum; elementorum est in potentia in misto. Est quidem enim bene calidum in actu in composito; sed non est calidum elementi; sed calidum cõplexionale, & temperatum. Ideo Gal. primo Aph. quarto dicit; quòd calor innatus est cõpositus ex aqua, & aere; quia fit ex his elemẽtis refractis. et non uidit Auer. hæc; quia nõ fuit medicus, sed mãsit tãtùm in sublimibus illis, et non descendit ad philosophiã particularẽ. Est igitur calor complexionalis in misto. Quando dicis; Tunc istud mistum totum erit in potentia; & ego, quia sunt quidẽ tunc qualitates elementorum in potentia, et refractè. At ex refractione istarum resultauit una qualitas; quæ est in actu, & est forma misti. & ita tolluntur omnes rationes Auer. quas fecit contra temperaturam æqualem. Stat igitur opinio Galeni; quòd datur temperatura æqualis, media inter extrema. Quantùm ad reliquam partem; in qua propriùs uult probare; quod nulla possit dari tẽperatura excedens in una sola qualitate eò; quòd neq; qualitates actiuæ, quæ sunt for-

mæ; non possunt esse sine subiecto terminante; neq; qualitates paßiuæ possunt esse sine forma. Ac præterea; quòd gradus caliditatis, & gradus frigiditatis; non possunt determinari, nisi per qualitates paßiuas; Hoc est per humidum, & siccum. Ad hoc respondeo, quòd ego concedo, calidum, & frigidum; non posse esse sine suo subiecto; sicuti neq; humidum, & siccum; sine sua forma; Sed distinguo de calido, & frigido elementari; & de frigido, & calido complexionali. & dico, quòd calor, & frigus elementi; non potest stare sine suo subiecto, quæ sunt qualitates paßiuæ; licet non idem etiam sit humidum in elementis; neque idem sit siccum, quòd est subiectum in elementis. Nam aliud est siccum, quòd est in igne; & aliud, quod est subiectum frigidi in terra. Siccum enim in terra est siccum corpulentum. Siccũ autem in igne est siccum subtile. Neq; idem est humidum in aqua, & in aere. humidum enim in aqua est humidum corpulentum; in aere autem est humidum subtile. & propterea dicimus etiam; quòd modò omne humidũ potest esse subiectum caloris elementaris. Quia humidum corpulentum destruit calorem potiùs, ut uidetis ab experientia. Ponere igitur oportet duo humida, & duo sicca; & ita etiam erunt duæ caliditates, & duæ frigiditates; ex quo duo subiecta ponuntur. In igne enim est calor subtilißimus, rarißimus; in aere autem est calor craßiusculus. Ex quo dixit Aristot. aerem esse humidam quandam euaporationem. Frigidum similiter in terra est intensißimum, quia est concentratum

tratum à sicco. In aqua autem non ita. Ex quo dicit Arist. in tertio de generatione animalium, cap. tertio; nullum humidum esse sine aliquo calore. Idem etiam in Prob. 23. parti. Probl. Hinc itaq; uidemus in mari semper esse uentos ex calore diminuto; ac præterea in penetralibus maris etiam nasci animalia. At in centro terræ nihil generari; quando quidem in calido, et humido, est uita. Ex his patet; quòd non omnis humiditas faciat ad intensißimam frigiditatem; Neq; omne siccum stet cum frigido, aut cum omni sicco stet frigidum; sed, quòd cum sicco corpulento stet frigidũ. Non igitur quodlibet frigidum intendit siccum; & hoc, nè quidem in ipsis elementis. Redeundo igitur ad propositum; si intelligis de his, ut sunt in elementis; Concedimus; quòd omne calidum, & omne frigidum; stet cum humido, aut sicco; licet non omne calidum, neque omne frigidum; cum omni humido, aut cum omni sicco. At; si consideremus, prout sunt in mistis refractè; &, prout ex eorum refractione cõstituta est una qualitas complexionalis, quæ dicitur temperatura; Hoc modo dicimus in ista temperatura; quòd inuenitur, calidum, & frigidum; sine humido, & sicco excedente; & similiter inuenitur humidum, & siccum; sine calido, & frigido excedente. Quia non sunt hic qualitates elementares distinctæ in actu; ut ex ipsis necessarium sit unam esse formam, alteram uerò subiectum. Sed sunt refractæ, & commistæ; ita; ut ex omnibus ipsis constituta sit una, quæ sit solùm forma ipsius misti. At dices; Calidum exiccat, frigidum humectat,

ctat. Verum est; sed, non omne calidum, neq; omne frigidum; sed intensè calidum, & intensè frigidum, et in aliquo tempore. In ipso uerò ortu; nihil prohibet dari, & calidum, & frigidum; per se, sine humido, & sicco. Sic igitur nõ omne humidum, nec omne siccum; habet secum annexam caliditatem, aut frigiditatem, neq; in omni tẽpore. & ita cessant omnes Auer. obiectiones contra Galenum; & apparet, Auer. in his turpiter errare; quia nũquàm se exercuit in particularibus, ut Galenus.

AVICENNAE LIBRI PRIMI CAnonis, Fen primæ, Doctrinæ tertiæ.

De membrorum complexionibus, seu temperaturis. Cap. 11.

LECTIO. XXI.

Dico, quòd Deus cuique animali, & cuique membro. *Meminisse debetis; quòd sumus in tertia Doc. primæ fen. Auic. in qua tractatur de Complexionibus. Neq; repetam, quòd dixi in superioribus; quod hic tractatus rectissimè collocatur hic. Circa modò hanc tertiam doctrinam etiam meminisse debetis; quòd diuiditur in tria capita. Primum agit de Complexione in uniuersali; sed, quoniam uariæ sunt temperaturæ, & multorum animalium; Ideo Auic. omittit tractatum de Temperaturis istis animalium; memor suæ primæ intentionis, quia hoc non pertinet ad*

ad Medicum. Quoniam etiam sunt uariæ temperaturæ singulorum membrorum; Ideo consequenter agit in secundo capite de Temperaturis membrorum, In tertio postea agit de Complexionibus ætatum. Antequàm autem declaremus secundum; unum scire debetis; Hoc est Scopum uniuersalem Auic. fuisse transferre ex lib. Gal. de Tẽperaturis, quidquid dicit; quod facit præcipuè in hoc lib. primo. & licet in alijs lib. hoc faciat; tamen maximè hoc facit in hoc primo lib. quia in secundo ex Dioscoride etiam transfert; & in alijs ex Paulo. Necnon ex Oribasio. Hic autem seruat suum propositum; ponendo tantùm conclusiones rerum, omissis disputationibus; & immutat etiã ordinem, connectendo ipsum secundùm ordinem naturæ. & quidam sunt, qui præferant hunc ordinem ordini Galeni; sed de hoc nolo nunc iudicare. In primo igitur cap. agit de Temperaturis uniuersaliter (sicut etiã Galenus fecit in primo lib.) Modos etiam ponit temperaturarum. Postea, cùm agat ibi Galenus de temperaturis; Auic. tanquàm iudex temperaturarum, qui cum iudicio scribit, & transcribit; Iudicauit non esse hoc conueniens aliquo modo. Quia, cùm distinxisset superiùs; quòd oportebat procedere per suas causas, et primò per causas materiales; non uidebatur conueniens admiscere causas efficiẽtes cum causis subiectiuis & materialibus. Ideo autem remisit ad secundam fen; quia iam inceperat agere de causis materialibus. Sed posuit temperaturas regionum; loco temperaturarum temporum. Sed dicet quis; cur posuit hic istas tempe-

temperaturas regionum; cum temperaturæ regionum uideantur habere eandem rationem, quam habent temperaturæ temporum? Temperaturæ regionum sanè non se habent, sicut temporum; quia temperaturæ temporum non efficiunt substantialiter, sicut faciunt temperaturæ regionum; sicut considerat Hipp. in lib. de aere, & aqua. Vnde Aegyptij sunt talis temperaturæ; Germani uerò talis, & diuersæ, et sic de alijs regionibus ita, ut omnes homines unius Regionis habeant temperaturam distinctam essentialiter (propter ipsam Regionem) ab alijs. At tempora non efficiunt temperaturam essentialiter. Gal. autem tractauit in tertio lib. de Temperamentis medicamentorum, quæ sunt talia in potentia. Temperaturæ autem animalium sunt tales actu; illæ autem medicinæ sunt tales in potentia temperaturæ, prout habent reduci ad actum in corpore humano. Auic. autem transtulit hoc ad primam sen. & hoc quidem hoc cum iudicio fecit; quia quotidie in usu est; ut dicamus medicinam esse temperatam, uel intemperatam; ut distingueret actum à potentia, & tolleret æquiuocationem; ut melius sciremus, quo modo homo dicatur esse temperatus. Agemus modò de temperaturis membrorũ particularium; quod intendit Auic. in quinto capite. Principiò autem reddit causam uarietatis, & causam nobilissimam; uidelicet causam finalem, & dicit. Naturam, uel Deum; dedisse unicuique membro, & animali temperaturam, prout maximè meretur. *id est, maximè accommodam ad proprias*

prias operationes. & dicit (hoc non tantùm membris datum esse; sed etiam uarijs animalibus.) *& de temperatura animalium non est agendum; quia non attinet ad Medicum. Ideo sumit secundum;* quòd singulo membro data est temperatura, conueniens proprijs operationibus; &, secundùm quòd meretur. *Bonam autè, uel malam; temperaturam; non intelligimus absolutè, sed respectu operationis. Illa enim est optima temperatura; quæ est causa illarum optimarum actionum. & non est hæc temperatura conueniẽs omnibus membris; quia diuersæ sunt operationes. Temperatura autem; est causa omnium operationum, ut aliàs dixi. Et, quòd hoc uerum sit; quòd temperatura dicatur bona, prout est conueniens proprijs operationibus; patet in animalibus. In Leone est, caliditas, & siccitas. Quia enim debebat esse animal, feruentissimum, iracundum. uelox in motu, & animosum; Ideo natura dedit temperaturam, ualdè accommodam eius operationibus. Homini autem dedit temperaturam æqualem; quia debebat homo esse sicut optimus iudex. Non potest autem esse aliquis optimus iudex; nisi qui sit medius inter extrema; ut dicit Arist. in secundo de anima. Optima igitur temperatura Leonis est excessus caliditatis, & siccitatis; quia hoc est conueniens eius operationibus. hominis autem est ipsa æqualitas. Patet etiam hoc in ipsis membris. Ossa in animali sustinent hanc totam fabricam. hoc igitùr, ut faciant; debent esse dura, & solida; Ergo debuerunt esse frigida, &*

da, & sicca. Hepar debet concoquere pro nutritione corporis. Concoctio autem fit à calido, & humido; Ideo hepar fuit meritò temperaturæ, calidæ, & humidæ; diuersæ prorsus à temperatura oßis. Vndecunq; igitur uerificatur illa propositio; quòd cuiq; animali, cuique etiam membro; data est temperatura, prout meretur. *Idest;* prout est cõueniens operationibus proprijs. *Quòd autem intelligat, quæ maximè conueniat suis operationibus; declarat ipse in litera.* Dico, quòd Deus, &c. *Dicit autem.* (Dico) *quia superiùs dixerat. Est igitur tanquàm repetitio; quia debebat illud assumere, & continuare. Quòd autẽ intelligat,* quod magis meretur *pro eo, quod est, quòd magis conuenit; declarat in his, quæ sequuntur; &,* quòd eius actionibus, & dispositionibus. *Per actiones autem intelligit actum secundum; per dispositiones intelligit actum primum secundùm poßibilitatem. Quia natura semper agit optimum; nisi impediatur. Quia agens naturale; non agit, nisi patiens sit bene dispositũ.* Hoc autem certificare. *Quia dixerat* datam esse à natura cuique animali, & cuique membro; temperaturam secundùm, quòd conueniebat; *Ideo posset quispiam dicere; quomodò fit hæc complexio membrorum, & unde fit; utrùm ab aliqua uirtute intrinseca, an ab intelligentia; Ideo respondet huic obiectioni* hoc certificare non pertinet ad Medicum; sed ad Philosophum. *Circa hoc quoniã, et Gal. & aliqui Medici antiqui;*

considerarunt hanc uirtutem formatiuam; et nõ ita facilè dicendum est, non attinere ad Medicum, ut dicit Auic. Ideo ista quæstio non ita est reijcienda ad Philosophos. Multa enim attinent ad Philosophũ uno modo; quæ alio modo pertinent ad Medicum. Dummodò enim artifex stet in suis principijs, et non transcendat ea, potest agere de omnibus quæstionibus. Tantò magis Medicus, quia medicina est tanquàm philosophia particularis (sicut probauit Gal. in lib. ad id dicato) Quia non potest esse aliquis elegans Medicus, nisi etiã sit Philosophus bonus. et, ubi incipit Medicus. i. elegans χαριέστατος; *Illic desinit Philosophus. Est igitur quærendum (quia ista quæstio est ardua, & à paucis bene tractata) quæ nã sit hæc uirtus formatiua, quæ tàm exquisitè facit, & tot mirabilia in corpore. Ille enim artifex profectò est prudentißimus. Fuerunt autem duæ opiniones diuersæ. Prima Platonis, & Auic. licet diuersimodè acceperit, Auic. & Plato. Plato enim posuit ideas, tanquàm sigillum, quæ opinio fuit explosa iam ab Arist. et, si ita sensit Plato, rectè explosus est. Auic. dixit esse quandam intelligentiam, quam appellauit sua lingua Colchodeã, quæ induceret formam in materiã, bene dispositã. Est et alia opinio Arist. et sui expositoris fidelißimi Auer. uidelicet, Datorẽ formarum esse internũ, et educi formã ab aliquo intrinseco, existente in semine, Pro utraq; autem parte sunt rationes. Nos autem ita procedemus in quæstione. Primùm ponemus rationes, & Auic. et Peripateticorum; Deinde declarabimus quæ-*

quæstionem, quomodò sit intelligenda, & quid tenendum; Demũ respõdebimus his, quæ aduersantur nostræ determinationi. Auic. igitur primo habet hãc rationẽ. Aliqua non generantur à semine; ergo falsum est ponere istam uirtutem in semine; ergo ab alio generantur. Prætereà; certum est (inquit) quòd in omnibus mistis est aliqua forma præter cõplexionem. Hoc supponit Auic. Postea, hoc supposito; arguit sic; Ista forma, quæ est aliud à complexione; necessariò prouenit ab extrinseco. Quia calor intrinsecus in semine nõ potest facere, nisi complexionẽ. Prætereà; In motu aeris fit ignis; & hoc non potest esse in aere. Prætereà; Videmus omnes (inquiũt) operationes prouenire à qualitatibus primis. Sed omnes istæ qualitates non possunt facere, nisi temperaturas; ergo à calido frigido, etc. non potest fieri illa forma præter complexionem. Præterea (inquiunt.) Dicere, quòd uirtus intrinseca in animali perfecto sit causa effectus; potest aliquo modo sustineri. Sed quando ponimus semen tantùm sine instrumentis in principio generationis; Quomodo ista uirtus formatiua producendi tam uaria membra potest esse in semine? Prætereà; Dicũt etiam Aristot. hoc sensisse. Et adducunt authoritatem in secundo de gen. animalium, cap. 3; Vbi dicit in semine esse aliquid diuinum. & in eodem dicit, intellectum deforis uenire. Hæ sunt rationes pro opinione Auic. In contrarium tamen est Arist. septimo met. 31; & Auer. & etiam Alexander, si tamen sit Alexander. Nam, siue Alexander, siue Michael Ephesius sit; est certè

rationes Auic:

certè uir magnus. Motiua autem Arist. & peripateticorum; talia sunt. Prima autem ratio est ista. & certe peripateticorum rationes sunt subtiles. Primò enim dicunt; Nulla forma potest generare formam. nam, si generaret formam; daretur forma sine materia. Subsisteret enim forma sine materia; & materia esset inutilis. Alia est ratio contra suppositionem Auic. Si quidem aliud sit disponens, & præparans materiam; & aliud dans perfectionem, & inducens formam; Quia quæcunq; fiunt à duobus, genere diuersis; sunt & ipsa diuersa. Tertio dicunt; Ista uestra intelligentia; uel generat sibi simile, uel dissimile. Si sibi simile; ergo res genitæ erunt immortales. & hinc sequentur incommoda; Videlicet quòd dabuntur formæ infinitæ. Si autem rem dissimilem; ista dissimilitudo, uel erit ex parte agẽtis, uel ratione subiecti. Ratione quidẽ agentis non potest esse. Si autem ratione subiecti; est ratione resistentiæ. Resistentia autem est inter contraria; et substantiæ contrarium separatæ non datur. Prætereà; non est probabile; ut intelligentia, regens propriũ orbem, habeat resistentiam. Quartò, (dicunt.) Si intelligentia generaret formam; uel generaret ex nihilo, uel ex aliquo (& fuit argumentum Arist.) Ex nihilo autem non potest generari; quia ex nihilo nihil fit. Quintò; si illa intelligentia introduceret aliquam formam; sequeretur; quòd; ubi esset mulier robusta, & habens bonum nutrimentum; si uirtus generatiua non sit in semine; In muliere tali robusta nunquàm daretur partus imbecillis. Sed oppositum sæpè uidemus.

hoc

hoc est in muliere robusta; & ,quæ habeat optimũ alimentum; generari partum imbecillem. Præterea; Videmus in fœtu esse similitudinem parentum. Vnde igitur deciditur semen. Vnde oritur ista similitudo; si uirtus formatiua accedit extrinsecus? Ideo istæ rationes sunt longè fortiores (si bene considerentur) quam prima fronte appareant. Non propono opinionem Galeni; quia fuit dubius. Nam, modò inclinat in eã opinionem, quam tenuit Aui. modò in sententiam Aristot. et, si uultis uidere, quid sentiat in hac re; optimè, & distinctissimè; declarat suam opinionem in libro illo de formatione fœtus. Ibi enim fatetur, se uidere artificiũ magnum; artificem autem non uidere. Ideo; cùm ipse non iudicet in hac; non propono ego eius opinionem. His ita positis; oportet uidere, quid sit tenendum, & declarare sensum Arist. Quia eius sententia meo iudicio est tenenda in philosophia naturali; & in ratione discursiua. Secundum igitur Aristo. septimo meta. Quæcunq; fiunt; aut ab arte fiunt, aut à natura (dimittamus, autem quæ fiunt casu.) Quæ ab arte; Arist. clarè demonstrat illa fieri ab extrinseco, et à proposito; Ideo forma illius rei, quæ fit ab arte; est in mente artificis. Postea; Artifex per instrumenta media, et conuenientia; imponit formam in materia. et hæc similitudo decepit Platonem (si ita sensit.) Quia credidit, eodem modo se habere res naturales; quo se habent res artificiosæ. Sed, quæ fiunt à natura; non habent hanc similitudinem. In artificiosis enim; non est intrinsecum alterãs materiam. Alteratur autem materia

teria secundùm formam in naturalibus. Est enim in eis quædam uirtus formatiua, naturaliter existens in semine; et est in semine potentia simul cum calore; & non agit à proposito, sed naturaliter.

Præterea natura propriè de forma dicitur, et operatur merè naturaliter, et non à proposito. et sortitur uaria nomina; secundùm uarios motus, & actiones. Dicitur enim; principium, & motus localis, & generationis, & nutritionis. habet autem hæc uirtus, & hæc natura formatiua; suas causas primò materiales, intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca materialis est; in qua tanquàm in subiecto, est semen, uel aliquid proportionale semini. Extrinsecam; habet sanguinem, quem attrahit extrinsecus. Habet præterea causam finalem; & hanc uniuersalem, & particularem. Vniuersalem; quidem conseruationem speciei. Particularem autem; generationem indiuiduorum. Habet & efficientes; primò proximas, & immediatas. In semine enim uirtus formatiua non est actu, sed potentia; sicut calor in eo est potentia; Ideo oportet deduci ad actum (& hoc torquebat Auicennam.) Calor igitur loci deducit ad actum, & est efficiens cum calore solis; Vnde dicitur; Sol, & homo; generant hominem. Efficiens autem remotum; est pater. Intellectus itaq; debet considerare omnes has causas. Dicet hic quispiam; Nondum declarasti dubium; Vtrùm, siue quo modo; possit uirtus ista agens naturaliter; & non à proposito, & sine electione; facere hoc artificiatum magnum. & Galenus nesciuit se resoluere in hoc; At

Arist. facillimè inueniret artificem. Dicit igitur; quòd agit merè naturaliter; licet tam artificiosè agat. In lib.de causis Arist.(Dum modò sit Arist.lib.) dicit inquàm,quòd causæ sunt connexæ ita; ut ordo uideatur ipsa natura. & omnia habent aliquam dependentiam à prima causa; & tantum habet singulum, quantum oportet. Sed hæc prudentia non est eßentia; sed uirtus emanans ab ipso primo; Ideo etiam materia prima,qua nihil turpius; non est priuata illa illustratione eò, quia habet appetitum ut informetur; sicut dixit Themistius, quærens causam istius appetitus. Quia igitur omnia, quæ sunt hic inferiùs; participant illo bono; ideo naturaliter quodq; appetit bonum, sicut dicit Arist. Ideo non est mirandum; si in unoquoq; sit principium,in quo sit quiddam diuinum. Non tamen, quòd istud agat à proposito. Sed ex connexu tali omnia conseruantur,& propagantur; species autē non poterant conseruari, nisi in indiuiduis. Quoniam autem indiuidua sunt corruptibilia; Ideo prouidit Deus, ut in unoquoque indiuiduo esset uirtus talis formatiua,quæ generaret sibi simile; sine tamen intellectu assistente,sed naturaliter, & secundùm ordinem naturæ. At dedit uirtutem deinde nutritiuam, & actiuā. &,qui admiratur uirtutem formatiuam; quare nō miratur etiam uirtutem concoctiuam, quæ ex pane facit sanguinem, ex sanguine carnem, os, neruos &c. quæ tamen uirtus ab electione non operatur talia,sed naturaliter? Eadem est admiratio in uirtute motiua, quæ artificio quodam maximo (& etiam medicis doctißimis incognita) mouet musculos naturaliter. Ideo non est necessarium hic imaginari alium datorem formarum. At dicet quis; hoc uidetur esse contra Arist. Qui secundo phy.75.dicit,quòd natura agit propter finem; ergo propter consultationem. Nam, qui agit propter finem; is considerat de fine. Immo ibi dicit Auer.Qui tollit, quòd natura non agat propter finē; tollit omnes causas. Agit enim certè propter finē natura; quia,fine parto,cessat. Sed agere propter finem; non est agere ex consultatione,& à proposito. & notate,quo modò Aristot.septimo met.dicit; omnium eorum, quæ fiunt esse intellectionem, & effectionem. Intellectio fit à proposito,& per consultationem. Nam hoc est proprium intellectus,agere per consultationem, & proposito fine. Per effectionem autem quædam fiunt; quædam autem, quando faber uult. Facere domum est intellectio, & effectio; sed primò est intellectio. Dicit enim esse necessarium facere domum; ut defendat se ab iniurijs externis. Tum proposito isto fine; dicit, Oportet ad hoc facere tectum. Vt autem fiat tectum; oportet facere parietes. Ad hoc autem, ut fiant parietes; oportet facere fundamentum,quod sustineat. Vt autē hoc fiat;oportet fodere terram. & ita uenit ad effectionem. hoc est ad fodiendam terram. Itaq; in rebus naturalibus primus ille author, & primus intellectus; primò habuit intellectionem de omnibus; Siue condiderit mundum, siue fuerit ab æterno. (Nam in hoc idem est) & præcedit ita intellectio; deinde uenit ad effectionem

per instrumenta debita; In quæ effundit uirtutem diuinam, quæ agunt sine consultatione; propter finem tamen. Quia ille Architectus prouidit primò pro isto fine. Et etiam in uirtute motiua mouet ista uirtus musculos propter finem; non tamen consulendo de fine, sed statim agit. & ita uidetis, quod, & ista naturalia naturaliter habent agere propter finem; sine proposito tamen. Nec hoc dissidet ab ipsis christianis; nam christiani dicunt; per uerbum (λόγον) idest per rationem, & intellectum; omnia esse condita. Vnde & Poeta ille dixit (Iouis omnia plena). Quantùm ad determinationem quæstionis; satis hæc sunto. Possent etiam præter hæc multa alia dici; ut de intellectu; utrùm sit eximendus intellectus à formis mundanis, an non (ut uidetur uoluisse Aristot. qui dixit intellectum deforis uenire.) Sed hæc quæstio indiget alio tempore. Ego tamen hoc tantùm dicam Aristotelem; solum Alexandrum intellexisse. Post uirtutem hanc; succedit uirtus nutritiua, & augmentatiua; & cessat uirtus formatiua. & in processu cessat etiam uirtus augmentatiua; & remanet tantum nutritiua, quæ paulatim diminuitur usq; ad interitum. Debet autem hoc medicus scire, nam, ubi membrum (uerbi gratia, neruus, uena, arteria) fuerit amissum; non potest reparari, quia uirtus formatiua non ampliùs remanet. & ita habetis, quid tenendum sit in hac quæstione; &, quare ita tenendum sit. Ad rationes modò Auicennæ facile est respondere. Quando enim dicit Auicenna. (Aliqua non generantur ex semine) *uerũ est; tamen*

tamen aliqua generãtur ex aliquo proportionali semini; Quia in putrefactione fiunt quædam concoctiones ualdè similes concoctionibus ueris. Ad secũdum, quando dicunt; esse aliquod præter temperaturam, quod est forma; negatur hoc. Immo nos probauimus supra; non esse aliud formam quàm temperaturam. Quando autem dicit, esse in potentia, & debere reduci ad actum; Iam diximus, à quo deducatur ad actum, à calore scilicet loci. & hæc satis; uolo enim progredi. Donauit autem homini complexionem. *Loquitur secundùm suam intentionẽ; quia ipse ponit intelligentiam omnia generantem. Debetis scire, quòd hæc complexio, & optima, et æqualis; dupliciter potest intelligi, æqualitas scilicet iustitiæ, & æqualitas ponderis. Aequalitas iustitiæ; est illa, quæ conuenit membro pro suis operationibus. Vt, licet os sit frigidum, & siccum, tamen est æquale, quia iste excessus cõuenit operationibus ossis. Est etiã alia æqualitas ponderis. De qua igitur æqualitate hic intelligit Auic. Sanè uerũ est, de quacunq; æqualitate intelligat; nã uerũ est, et de æqualitate iustitiæ, et de æqualitate põderis. In comparatione. n. ad totam substantiam; habet homo æqualem temperaturam æqualitate ponderis. Sic etiam; si comparetis ad animal, idest ad omnes species animalis. Nam, si ad porcum; est porcus humidus. Si ad asinum; est asinus siccus. & hoc in omnibus uerum est. Hoc uerò, si intelligatis de æqualitate iustitiæ; in quibusdam erit uerum, in quibusdam non erit uerum. nam, licet nerui, qui con-*

ducunt ad actum; sint temperatissimi, unde homo est optimi tactus sensus inter cætera omnia animalia. &, licet habeat sensus interiores maxime omnium animalium æquales æqualitate iustitiæ; tamen nerui motiui non habent istam æqualitatem, quia huiuscemodi nerui in leone sunt longè perfectiores. sicut nerui olfactiui in cane sunt perfectiores; nerui & uisiui sunt perfectiores in Aquila. Melius igitur est; ut intelligatis de æqualitate ponderis. Hic modò est duplex sensus uerborum particularium; dupliciter enim leguntur, & punctis distinguuntur. Sed ista non debent intelligi de æqualitate ad pondus; immo uoluit intelligere æqualitatem iustitiæ. &, quòd sit uerum; addit, cum suarum virtutum conuenientia. & cuique membro donauit, quod meretur. Videte, *quòd intelligit de æqualitate iustitiæ. Quod adhuc magis declaratur; quando inquit.* Posuit ergo quædam ex membris calidiora; & alia frigidiora.

Cùm dederit Deus cuiq; animali, & membro (sicut dicebat Auic.) temperaturam prout meretur, id est prout conuenit suis operationibus; Quoniam uariæ sunt operationes membrorum; ideo necessariò fuerunt uariæ membrorum temperature; Ideo *dixit consequenter* (quædam membra calida; quædam sicca.) *Modò consequenter oportet uidere, quænam sint membra calida, quæ uè sicca. Et quoniam inter ista membra est unum æquale æqualitate ponderis, & est cutis; Ideo accipit cutim. & natura istius*

cutis indicat omnia alia membra ita; quòd quædam sunt membra uicina cuti, & ista parũ distant ab æqualitate; Quædam uerò distant à cuti, & pariter distãt ab æqualitate. & in uniuersum; quò sunt propinquiora cuti, eo magis ad æqualitatem accedunt. &, quò sunt remotiora; eò longiùs absunt ab hac æqualitate ponderis. Fingamus itaq; circulum diuisum in duas diametros; in quo prima circumferentia ad centrum deducantur quatuor lineæ; Quarum una sit calidorum, alia ex opposito huius. In altera parte circuli frigidorum, tertia sit humidorum, & quarta ex opposito huius. In altera parte circuli siccorum; in medio autem tanquàm centrum sit cutis. Quam figuram ego describendam curabo. Ex hac igitur figura cognoscetis gradus quatuor qualitatum; In una enim linea ponentur temperaturæ calidæ, in alia frigidæ, in tertia humidæ, in quarta siccæ, in centro autem cutis. Incipiamus modo à linea calidorum. Primò enumerat Auicen. hoc pacto, ordo est iste. Primò sunt spiritus, deinde sanguis, deinde reliquæ partes. Cutis est in centro. Ex alia autem parte diametri; est linea frigidorum, in qua talis est ordo. Primo est flegma; deinde pili; cutis est in extremo, idest in centro. *Iam habetis catalogum calidorum, & frigidorum; Nunc uerò uideamus singulas partes, & primò calidas. Circa lineam calidorum habetis multas difficultates. Prima est dissidium Gal. & Auic. de ordine calidorum. Primus enim ordo calidorum ponitur ab Auic. spiritus, à*

Galeno, ſanguis. hæc autem non poſſunt conuenire. Auget uerò difficultatem; quia Auic. collocat in ſecundo ordine ſanguinem. In hac igitur difficultate oportet habere iudicem tertium; qui erit Ariſt. litem dirempturus. Nam in ſecundo de partibus animaliũ, cap. ſecundo, & tertio; ait calidum multipliciter ſumi. Sed præter cætera ſignificata; aliud eſt calidum per eſſentiam, ſicut ignis; aliud per participationem, ſicut aqua feruefacta. Poſtea addit; quòd (ſanguis eſt calidus, & humidus per participationem) Quia plurimus uapor eſt in ſanguine, quem ſpiritum appellamus; ratione cuius ſanguis eſt calidus, & humidus; qui alioqui eſt per eſſentiam frigidus, & ſiccus. Cuius ſignum eſt (inquit) Quia, ubi euaporauerit ille uapor; ſtatim ille ſanguis congelatur, & refrigeſcit; & tunc eſt peßimus humano corpori (& iſta etiam fuit ſententia Galeni) Quia nulla fiunt ſæuiora accidentia; quàm; quæ fiunt, quãdo ſanguis eſt præter naturam in corpore humano. Inde enim eſt; quòd peßimè nutrit ſanguis animalium; quando fuerit extra uenas, & euaporauerit ſpiritus ille. Quia tunc, frigidus, & ſiccus; relinquitur, ut eſt; per ſuam eſſentiam, ut inquit Ariſtot. Immo addit Ariſt. Sanguis eſt calidus; ſicut aqua feruefacta eſt calida. & ita facile eſt cõciliare iſtos duos uiros. Nam, quando dicit Gal. ſanguinem eſſe calidum in primo; dicit ſanguinem formaliter, prout eſt admiſtus cum illo ſpiritu. Quia, quãdo eſt ſine ſpiritu; eſt tanquàm ſanguis mortuus. Auic. autem non ita cõſiderauit ſanguinem;

ſed

ſed conſiderauit per reſpectum ad ipſum ſpiritum, & conſiderauit ſpiritum ſeparatum, & conſiderauit ſpiritum eſſe cauſam caloris in ſanguine. Propter quod enim unumquodque tale; & illud magis eſt tale. Sed dicetis; Auic. ſeparat ſanguinem à ſpiritu; & tamen dicit ſanguinem eſſe calidum. Aduertite igitur; quòd, quando Auic. intelligit ſanguinem; intelligit prout eſt ſanguis formaliter. Nõ eſt autem ſanguis formaliter; niſi, quando habet ſpiritum admiſtum. Nam, ſine ſpiritu; non eſt magis ſanguis, quàm homo mortuus ſit homo. Iure ergo ſanguis eſt calidus per participationem ſpiritus. Sed ſpiritus, per ſe ſumptus; qui eſt cauſa caliditatis in ſanguine; eſt calidior ſanguine ipſo, ſicut aqua feruefcens eſt feruens propter uapores calidos. & certum eſt; quòd uapor, exiſtens in aqua; eſt calidior, ſi intelligatur ſeparatus ab ipſa aqua; & tamen dicimus, aquam illam eſſe etiam calidã. Quia iſta aqua feruens eſt calida per participationem; uapor autem ille eſt calidus ex ſe. & ita facilè poſſunt hi duo uiri conciliari. Eſt & ſecunda dubitatio propter dicta Galeni. Nam in fine lib. primi de Temperaturis; dicit ſanguinem eſſe calidiorem omnibus, quæ ſunt in corpore humano. In ſecundo autem; dicit bilem eſſe longè calidiorem ipſo ſanguine. Nonnulli dixerunt; Quòd quando Gal. dicit in primò libro ſanguinẽ eſſe calidiorem; intelligit ſanguinem unà cum ſuo ſpiritu. At, quando dicit in ſecundo bilem eſſe calidiorem ſanguine; tunc ſanguis intelligitur ſine ſpiritu. Sed iſta reſponſio mala eſt. Quia ſanguis ſine ſpiritu non eſt ſanguis (apud

Galenum)

Galenum) nisi æquinocè; Gal. autem comparat bilem uero sanguini. Alij dixerunt, quòd sanguis in primo libro intelligitur pro tota massa sanguinis. Cuius signũ; quoniam in catalogo illo ponit sanguinem, & non ponit bilem. Sed, quando in secundo dicit bilem esse calidiorem; accipit sanguinem contra distinctum bili. Licet autem hæc responsio sit doctior, quàm prima; tamen non est ad mentem Galeni. Tertia est solutio; quæ mihi uidetur esse uera. Dicunt enim alij, quòd duplex est caliditas; & duplex est excessus caliditatis. Quidam enim est calor actu; quidam est calor complexionalis. Cõsiderantur autẽ istæ duæ caliditates ab Auer. tertio coll. Dicunt igitur; quòd sanguis est calidior, quàm bilis; caliditate actuali. Caliditate autem complexionali; bilis est longè calidior, quia in eius complexione est plus de calido. Testatur etiam hoc sapor; Quia bilis est amara, sanguis autem est dulcis. et hæc solutio est realis; & mihi magis placet. Est tertia dubitatio. Quoniam Gal. & Auic. dicunt spiritũ, & sanguinem; esse calidiores corde; quod non uidetur uerũ. Nam, si cor est fons caloris, & propter unumquodq; tale, & illud magis; non potest igitur producere intensiorem caliditatem, quàm ipsum habeat. Quo modo igitur spiritus, & sanguis; sunt calidiores corde? Notate; quòd, nec Galenus, nec Auicenna; dicunt spiritum, et sanguinem esse calidiores corde. Nam loquitur Auic. copulatiuè. Quod autem est in corpore calidius; est spiritus, et cor. Aliud dubium oritur ex hoc (quod est magnum.) Tu dicis, cor esse calidius spiritu, &

et sanguine; Hoc autem uidetur oppositum esse. Quia nullum membrum in nostro corpore est calidum; nisi per sanguinem, et spiritum ita; quòd caliditas, et frigiditas, mensuratur per sanguinem, et spiritum. et, si cor est calidum, est calidum per spiritum, et sanguinem. Patet autem hoc experientia. Nam ubi fuerint spiritus, et sanguis, euacuati, et exhausti et cor, et cætera membra, refrigerantur. Quid ergo hic dicendũ? Notetis modo. Audiuistis iam, quòd cuiq; animali, et membro cuiq;, data est una natura, quæ est principiũ motus, et quietis. et quodq; membrũ in animali in principio habuit uirtutem aptam ad suas operationes. Nã usq; à principio, primoq; conditore, omnia ita composita sunt, ut quodq; ageret, quod debet. et nõ est quærenda horum causa, cur uentriculus faciat chylũ, etc. In corde igitur est quædam temperatura insita, talis, ut generet spiritum. et non est quærenda causa, unde proueniat hoc, sed hoc est ita insitum ipsi secundùm suam proprietatem. Cùm igitur à proprietate ipsius sit, ut generet spiritum, tamen non potest cor consistere, neq; operari, sine caliditate actuali. Caliditas autem actualis, non est, nisi in spiritu, et sanguine, et ita, neq; spiritus potest esse sine corde, neque cor potest esse sine spiritu, neque cor potuit generari sine spiritu. et idem est sicut de ouo, et gallina. Nam, neq; ouum potest esse sine gallina; neq; gallina sine ouo. & non est quærendum utrum sit prius. Alia dubitatio est, quo modo spiritus possit esse calidissimus omnium; cùm non sit compositus ex rebus calidissimis. In primo enim

Aph. 14;

Aph. 14; & in octauo de Plac. Hip. & Platonis; dicit Gal. quòd spiritus est quoddam corpus ex aere, & aqua. Ex quo igitur ex parte ualdè frigida, idest ex aqua; & ex parte remissa calida, idest ex aere; est cõpositus; quo modo potest esse calidissimus omnium? Si uellemus dicere (secundùm Platonem) in spiritu dominari ignem; uana, & ociosa; esset quæstio. Notetis; quòd spiritus materialiter cõponitur ex aere, et aqua habet tamẽ partes formales igneas; quæ partes igneæ faciunt uaporem ex aere, et aqua. Qui quidem uapor ex aere, & aqua; cùm fit crassus; attenuatur à partibus igneis, & ita acquirit formam uaporis. Nam attenuatio, & subtiliatio; non potest haberi, nisi à calido, & à parte ignea. & ita redditur causa rationalis; quare, cùm spiritus constet ex aere, et aqua; sit tamen calidissimus omnium, quæ sunt in corpore humano. Vltima dubitatio, (quæ est difficilis, & à nullo tacta) talis est. Cùm dicitur in hoc catalogo membrorum calidorum primum est spiritus; secundum est sanguis; Quæritur hic, cùm sint duo calores, actualis, & complexionalis; de quo calore intelligitur. & uidetur esse intelligendum de calore actuali; quando dicitur; quodq; membrum esse calidum tantùm, quantum habet de sanguine; & uniuersaliter omnia esse calida propter præsentiam sanguinis. At in sanguine est calor actualis, non complexionalis. Sed, si intelligebat de calore actuali; quare oportebat inscribere caput de Complexione membrorum? & undecunque uidentur angustiæ. Adhuc equidem nõ uidi, aliquem mouisse

uisse hanc quæstionem; ego autem dicam, quod mihi uidetur. A Medicis considerantur temperaturæ membrorum propter actiones suas. Quia hic est scopus Medicorum; conseruare operationes sanas in corpore. & si sint læsæ; reparare illas. & quoniam omnia, quæ ministrantur in arte; ministrantur propter finẽ, & finis Medici est propter operationes sanas; Ideo quando consideramus temperaturam membrorum; et sumus in temperatura calida, & frigida; et ostẽdimus, quòd unumquodque membrum sine calore actuali, influxo à corde, est membrum in potentia, quia non potest operari sine calore actuali; Quia igitur Medicus principaliter attendit operationes membrorum; ideo, quando isti magni uiri agebãt de Complexione membrorum in qualitatibus actiuis; considerauerunt qualitatem, idest calorem actualem; quia ex eo proueniũt principaliter operationes omnes, & illa caliditas dat formam membris. Quando autem fuerint in qualitatibus passiuis; considerarunt illa, prout sunt in cõplexione mẽbrorum. Et hæc solutio saltèm facit ad rem. & si ista cognitio fuit ipsorum; bene est. Si autem non fuit; saltèm est bona, & ad rem. His declaratis; superest declarare literam. Hic igitur debetis notare hanc regulam; quòd omnia membra, quæ calida sunt; sunt talia propter sanguinem. & quòd quanto plus habẽt de sanguine; tãto etiã plus habẽt de caliditate. Caro igitur est frigidior hepate; quia nõ habet tantũ de sanguine. Quia habet uillos; qui sunt frigidiores. In musculis enim admiscẽtur nerui terrestres, et duri, et ligamẽta; quæ

quæ ſunt frigidiſſima;ideo hæc ſũt minùs calida.Succedit muſculis ſplen.Eſt enim ſplẽ.calidus; quia habet aliquid ſanguinis in fæce ſanguinis. Sanguis autem eſt in eo minùs calidus; quia habet multam fæcem ſanguineam, & parum boni ſanguinis.Succedunt poſtea renes; Qui quia nutriuntur ſanguine aquoſo; ideo participant paruam caliditatem. Deinde arteriarum tunicæ; non propter ipſarum neruoſa corpora. (Notetis unum de caliditate actuali. An enim de hac, an de complexionali; intelligat Auic.habetis ſignum manifeſtum.) Tunicæ arteriarum de ſe ſunt frigidæ; tamen, quia continent ſanguinem,& ſpiritum; ſunt calidæ caliditate actuali. In arterijs enim; non tantùm eſt ſpiritus, ſed etiam ſanguis(ut probauit Gal. contra Eraſiſtratum.) Sunt igitur tunicæ arteriarum calidæ caliditate actuali, quia ſecundùm complexionem ſunt frigidæ. Sunt poſtea uenæ; quas etiam dicit eſſe calidas caliditate actuali; propter ſanguinem, quem recipiunt. In extremo uerò, tanquàm in centro;eſt cutis, quæ eſt temperata.

LECTIO. XXII.

FRIGIDIVS,quod eſt in corpore;eſt phlegma. Supra uidiſtis quemadmodùm Auic. poſiturus erat catalogum complexionum membrorum exceden tium,& incepit à catalogo calidorum.et uidiſtis,quo modo eſſet intelligenda caliditas actiua non complexionalis.hoc tenete firmum; Quia, præter, quã quòd alioqui incideretis in multos errores,ſi aliter tenere-

tis,

tis; etiam Gal. ipſe in fine primi de temperaturis expreſsè ponit hanc regulam calidorum. & dicit ea mẽbra eſſe magis calida; quæ magis ſanguinem participant.et,quòd quæ minùs ſang.participant; minùs etiã ſunt calida. Sed de his ſatis. Modò Auic. cùm declarauerit lineam calidorum; declarat lineam frigidorũ. & ponit primùm phlegma,& iure optimo;nam,ſtante fundamento, quòd ea ſint minùs calida, quæ minus ſanguinis participant; ſic uidetis quomodò phlegma ſit frigidiſſimum omnium; quoniam, neque eſt ex ſanguine, neque habet ſanguinem. & hoc ſolùm accidit ipſi phlegmati.Quòd non ſit ex ſanguine, patet. nam, quid eſt phlegma? Vt uidebimus in proprio loco; eſt nihil aliud; quàm chylus, qui quidem incipit alterari, ut tranſiret ad formam ſanguinis.Sed non potuit aſſequi formam ſanguinis;uel propter reſiſtentiam ſubiecti.i.ipſius chyli; uel propter debilitatem caloris.Non habet etiam ſanguinem, quia eſt quoddam ſimilare, et homogeneum. Et ita per regulam poſitam neceſſariò eſt frigidiſſimum; quia habet minus de calore actuali cæteris omnibus. Ex quo formaliter reſpondeatis illi obiectioni,quam aliqui faciunt contra noſtram determinationem de frigiditate terræ. Nam quando poſuimus terram eſſe frigidiſſimam omnium elementorum; aliqui dixerunt phlegma proportionale, exiſtit aquæ, ergo & aqua eſt frigidiſſima omnium elementorum quia phlegma eſt frigidiſſimũ inter omnes partes noſtri corporis. Nulla enim pars noſtri corporis dicitur calida ſecundùm complexionem,ſed prout ma-

gis,

gis, uel minùs; participat ſanguinem. Vnde poteſt ſtare, quòd ſecundùm complexionem ſit aliquid, quòd ſit frigidius phlegmate. Deinde dicit in ſecundo loco ſunt pili, in tertio ſunt oſſa. *Circa hæc debetis notare; quòd, ſi intelligeretis ſecundùm complexionem, & non de caliditate actuali; totũ iſtud eſſet falſum. Quia os in temperatura eſt frigidius, & ſiccius, ipſo pilo. et ratio eſt primò per regulas Ariſt. et Gal. Primò, enim os eſt grauiſſimum, ſecundò denſiſſimum, tertiò duriſſimum, quartò frangibiliſſimum, quintò eſt ſaporis aſtringentis, uel inſipidi. Primò enim; quòd ſit ponderoſum, et, quòd ponderoſa ſint frigida; apparet, quia ibi eſt, uel plus de terra, uel plus de aqua. De aqua; ut in plumbo. Ponderoſitas enim eſt paſſio quædam; conſequens, & aquam, & terram. Secundò eſt denſiſſimum; quia apparet; quòd ea, quæ ſunt denſa; ſunt priuata ſubſtãtia aerea, et ignea. Talis enim ſubſtantia, quia eſt calida, facit raritatem; Ideo denſitas indicat dominium terræ, uel aquæ. Pilus autem non eſt ita denſæ ſubſtantiæ; poteſt enim pilus ulteriùs cõſtringi. Præterea os eſt duriſſimũ; durities enim prouenit à tribus cauſis. Vel propter repletionem; ſicut uter; & uenter, repletus cibo. Vel propter congelationem; ut gelu. Vel propter ſiccitatem; ut os. Os igitur; neq; eſt durum propter repletionẽ, neq; propter congelationem. Quia, ſi propter congelationem; diſſolueretur à calido. Relinquitur ergo; ut ſit durũ propter ſiccitatẽ. Sed, quæ propter ſiccitatem dura ſunt; quantò duriora, tantò ſicciora. Os autem eſt duriſſimum;*

mum; ergo ſicciſſimum. Præterea; ex frangibilitate arguunt hoc; Quæ (ut dicit Ariſt. in quarto meteor.) fit à ſiccitate, ſicut flexibilitas ex humiditate. Ex ſapore etiam; quia os habet ſaporem aſtringentem, uel inſipidum; Qui ſapores proueniunt ex frigiditate. Neque obſtat, quod dicit Auicenna in fine, quòd os nutriat multa animalia (ex quo uidetur habere humiditatem dulcem.) *Nam os nõ habet illam humiditatem quatenus os; ſed, quia infuſa eſt. & uidetis ex uſu; quia exugimus illud humidum, deinde abiicitur os. Quòd ſi aliquod animal ingluuioſum, ut canis; deuorat ipſum os propter ingluuiem; tamen uidetis poſtea, quòd egerit os in eandem quantitate. Cuius ſignum etiam eſt; quòd, ubi oſſa permãſerint ſub aere per aliquod tempus; non attentantur pro cibo ab animalibus iſtis, quia humidum iam euanuit. Pilus autem habet totum oppoſitum. Eſt enim uapor; uapor autem eſt calidus, et humidus. Præterea eſt uapor aduſtus; aduſta autem omnia habent caliditatem; ex ſecundo de partibus animalium, cap. ſecundo. Præterea; ſunt excrementa; excrementa autem omnia ſunt calida, propter putrefactionem aliquam. Præterea indicat ipſe ſapor; eſt enim amari ſaporis; ex amaritudine autem indicatur caliditas. & ita patet; quòd eſt calidior, quàm os. Quòd etiam ſit humidior quàm os; indicat ipſa flexibilitas; quia non eſt friabilis ſicut os. & ita uidetis, quot ſint ea, quæ arguunt; os ſecundùm complexionẽ eſſe frigidius, & ſiccius; quàm pili. Oppoſitum autem dicitur hic ab Auicenna; & tamen di-*

cit uerum Auicenna. Quia non secundùm complexionem intelligit Auicenna; sed secundùm actum. Quia os magis participat de sanguine; habet enim succum in se dulcem. Præterea; quòd non est de pilo. Præterea; os ponitur medium inter ipsa membra, & pilus semper est extrinsecus; Ideo oportuit ita ista distinguere. & moderni ex malo intellectu istorum inciderunt in multas quæstiones uanas. & ita debetis perseuerare in isto conceptu. Primò igitur phlegma est frigidum, secundò pilus, tertiò os, quartò chartilago. Scitis autē, quid sit chartilago. Non immorabor hic; quia alibi accidet locus proprius. Chartilago autē nil aliud est, quàm substantia media inter carnem, & os; ut esset aliquid medium inter, os, & musculos. habet igitur multo plus de sanguine, quàm os. Vnde uidemus multos homines delectari in cibo, his chartilaginibus; & inuenire in illis succum, quem exsugunt; Ideo plus habet de caliditate quàm os. Postea ligamenta; *ligamentum est quædam substantia, densa, alba, sine cauernositate; quæ assimilatur neruo. Vnde nonnulli posuerunt inter neruos; quæ tamen non sapiat naturam nerui. Neruus enim sentit maximè; ligamētum autem non sentit. Neruus oritur ex cerebro, uel ex uicario cerebri; idest ex spinali medulla, ligamentum ab osse. est igitur ligamentum remissiùs frigidum, quàm os, & chartilago; quia plus participat de succo sanguinis.* Deinde chorda; *chorda est minùs frigida; quia ligamentum est frigidum, respectu ipsius chordæ. Quia chorda est mista ex neruo, & ligamento; neruus longè plus*

sanguinis participat quàm ligamentum. & ita chorda, neq; est ita calida, ut neruus; quia participat ligamento; neq; ita frigida sicut ligamentum, quia participat neruo; sed medio modo se habet. Postea succedit panniculus; deinde neruus. *Circa hoc debetis notare. Ista regula tua non uidetur esse uera, uocant Arabici panniculum, quem Latini membranam, & Græci ὑμένν. & diximus nos alibi in paucis nostris lectionibus in anatomem diffusè de membrana; Membrana igitur dicitur à te ò Auic. magis frigida quàm neruus. hoc uidetur faisum stante fundamento. Quia panniculus habet multas uenas, & arterias; & ita habet multum sanguinis. neruus autem est penitus exanguis. Notate. Hi uiri fuerunt magni; repperi enim semper in illis maximam, & profundam, doctrinam. Viderunt illi optimè neruos necessariò esse repletos plurimo spiritu; siue deferatur à cerebro, siue sit ibi ingenitus. & hoc; tàm in neruo sensitiuo, quàm in motiuo. et sine hoc spiritu non posset mouere, nec sentire. & uidemus hoc experiētia. Quia, si intercipiatur spiritus, aut refrigeretur; fiunt stupores, & huiusmodi morbi. Sed spiritus est calidissimus; Ideo iure neruus est minùs frigidus quàm membrana. Membrana, enim licet habeat uenas illas, & arterias; tamen non habet illas in substantia; sed defert illas, tanquàm baiulus. Neruus autem habet illum spiritum in sua substantia.* Post nucha. *Appellant Arabes nucham; quam latiniores uocarunt spinalem medullam. Nucham igitur dicit esse minùs frigidam, quàm neruum; deinde subsequi cerebrum.*

rebrum. & conuenientißimè; quia ſpinalis medulla lõgè plus habet de ſpiritu quàm neruus; quia ſpiritus communicatur neruo ab ipſa nucha. Quòd autem cerebrum ſit longè minùs frigidum quàm ſpinalis; patet. Quia, quæ proportio eſt inter ſpinalem medullam, & neruum; eadem eſt inter cerebrum, & ſpinalẽ medullam. Deinde adeps; poſt pinguedo. *Niſi intelligeretis de caliditate actuali; eſſet iſtud, quod dicit Auicenna; falſum. Sed declaremus priùs terminos; quia iſte trãslator Aui. peruertit ipſos. Diximus aliàs in anatomem; ſolum Theodorum Gazam rectè diſtinxiſſe nomina hæc (ϛέαρ apud Græcos. & πιμελὴ.) ϛέαρ enim; uertitur à Theodoro, (& bene) ſeuum. & eſt animalium ſiccorum. Vnde magis congelatur; & eſt denſius, ſolidiusq́;, & ſiccius. πιμελὴ autem; uertitur ab eodem pinguedo. & differentia eſt; quia eſt in animalibus humidioribus. Iſti autem præuerterunt; nam pro ſeuo uertunt adipem. & pinguedinem appellant, quod debent dicere adipem. Apud Auic. igitur intelligatis adipem pro ſeuo; & pinguedinem pro adipe. Dicit igitur; quòd* frigidior eſt adeps, deinde ſuccedit pinguedo. *Si intelligatis ſecundùm complexionem; falſum eſt; quia ſeuum (dicit Gal.) quandoq́; ita eſt calidum, ut mordicet. Præterea pinguedo omnis ſecundùm complexionem eſt calida, non frigida. Eſt autem nerum ſecundùm caliditatem complexionalem; quia pinguedo plus habet de ſucco ſanguineo, & dulci; quàm ſeuum. An generetur ſeuum in homine? Sunt enim aliqui homines ſicciſſimi; qui habent*

bent pinguedinem ſimilem ſeuo. Hæc autem, uidelicet ſeuum, & pinguedo; licet quo ad complexionem calida ſint; tamen ſunt actu frigida, & congelantur, et in congelatione exprimitur ſpiritus. & non eſt uerum, quod generetur adeps à frigido. Neq́; hoc dicit Gal. ſed dicit, quòd cõgelatur à frigido. Bene igitur poſuit Auic. inter frigida adipem, & pinguedinem. Poſtea, tanquàm in centro, ponit cutim, quæ eſt temperata; et ita terminat lineam frigidorum. Humidius verò dicebamus, cùm ſint quatuor exceſſus, & duo qualitatum actiuarum, & duo paſsiuarum. *Dicebamus Auicennam de actiuis agere actualiter, de paßiuis autem complexionaliter. Humidum tripliciter intelligitur. Aliud enim eſt humidum excrementoſum; aliud nutrimentale, aliud ſubſtantificum. De qua igitur humiditate intelligat Auicen. ut ſciatis, declaremus priùs has ſpecies humidi; ut intelligatis, quid ſit humidum excrementitium, quid nutrimentale, et quid ſubſtantificum. Dicimus igitur humidum excrementoſum; quod non eſt, neq́; pro nutrimento, neqúe pro ſubſtantia; ut ſenes ſunt humidi humiditate excrementitia infuſa. humiditas autem nutrimentalis; eſt in porcis; & in hominibus etiam, qui ſunt quandoqúe temperaturæ ſiccæ, & tamen ſunt humidi, quia pingues; propter ocium, & delicatum modum uiuendi. Subſtantifica autem humiditas; eſt, quæ eſt ab ipſa temperatura. Intelligit autem Auicen. de humiditate ſubſtantifica. Auicen. ſtudio contradicendi hic repræhendit Galenum; Sed uidebitis, quantùm erret ipſe. Hoc ſuppoſito; primò*

to; primò dicit, quòd phlegma eſt humidius in corpore quantùm ad complexionem. *Hoc autem patet; quia fluit ſicut aqua. Deinde eſt ſanguis; quia & ipſe fluit ſicut aqua. & loquimur de ſanguine ſub forma ſanguinis; quando eſt cum ſuo ſpiritu.* Poſtea pinguedo, poſtea adeps. *Sicut adeps, id eſt ſeuũ; ponebatur ſiccior; ita pinguedo ponitur hic humidior, quia generatur ab animalibus humidis. &, ſi ſiquidem hæc dura ſint; ſunt dura propter congelationem.* Deinde cerebrum. *Vultis uidere, quòd intelligat de humiditate cerebri complexionali, uidete Galenum in lib. de temper. Dicit enim ibi Gal. quòd adeps liquatur, cerebrũ autem non liquatur; & hinc arguit cerebrum minùs eſſe humidum quàm ſit adeps.* Deinde nucha. *Nucha eſt ſiccior; quia incipit degenerare in neruum.* Poſtea caro mamillarum. *Hoc eſt manifeſtum; & tamen illæ ſunt longè humidiores quàm caro teſticulorum, quia ſunt laxiores.* Poſtea pulmo, poſtea hepar. *Poſtea addit; & dicit, quòd* iſte ordo eſt ordo Galeni.

Circa hoc debetis ſcire; quòd, quando loquimur de exceſſu membrorum; nos hic loquimur de temperatura naturali; ut ex hac ſciat poſtea medicus reducere exceſſum, ſiue intemperiem præter naturam; ad naturam ſuam. hoc enim eſt ſanare. Loquimur igitur hic de diſpoſitionibus naturalibus. et inde eſt; quòd facilè reſpondebimus illis, qui obijciunt contra Auic. dicentem, phlegma eſſe humidum in primo loco. *Dicunt enim iſti; phlegma ſalſum, & acidum; non*

non eſſe ita humidum. Reſpondetur autem ex recto ſuppoſito; non intelligi hic, niſi de partibus, naturaliter ſeſe habentibus. phlegma autem, ſalſum, & acidum; ſunt mera excrementa & omnino præter naturam. Eadem igitur de cauſa non numerat hic Auicenna, nec bilem rufam, nec atram; quia ſunt excrementa mera ſanguinis. Contrà autem dicet quis. In primo dè natura humana ponit Gale. quatuor humores, naturaliter ſe habentes in ſanguine. Reſpondetur ad hoc; quòd, quando intelligitis hos quatuor humores eſſe partes naturales; id uerum eſt, intelligendo hos humores coniunctos cum ſanguine in maſſa ſanguinis; non, ut ſunt diſtincti. hic autem Auicenna loquitur de partibus diſtinctis. Sciuiſtis etiã; quòd cùm tripliciter dicatur humiditas. hoc eſt prima aduentitia, & excremẽtitia; qualis eſt humiditas ſenum, quæ eſt accidentalis; Secunda autem nutrimentalis; qualis eſt in pinguibus; Quia plures etiam biliosi fiunt humidi humore nutrimentali, quia fiunt pingues. Tertia uerò ſubſtantifica, quæ eſt humiditas complexionalis; Sciuiſtis (inquàm) de hac humiditate complexionali iam hic loqui Auic. &, quia fuit dictum; quòd; quando Gal. & Auicenna loquuntur de exceſſu membrorum in qualitatibus actiuis; loquuntur de caliditate, & frigiditate actuali; quando uerò loquuntur de exceſſu in qualitatibus paſſiuis; loquuntur de humiditate, & ſiccitate, prout ſunt à complexione; non fuit autem aſſignata ratio, quare ita faciant; Ideo notate nunc fundamentum huius rei. Miſtio propriè fit

ex qualitatibus paßiuis, humido, & ſicco. Eatenus enim uenit humidum, & ſiccum in miſtionem; quatenus eſt id, quod miſcetur; &, quod eſt ſubiectum, & materia, miſtionis. Calida autem, & frigida; prout ſunt, calida, & frigida; miſcentur potiùs (Ariſt. primo meteor. cap. primo) & habent locum formæ. humidum autem, & ſiccum; habent locum materiæ. & in hanc ſententiam uenit Auer. etiam ſecundo de gen. & corr. 50. Ibi enim dicit hæc uerba; Caliditatem ſe habere proportionaliter reſpectu humidi, & ſicci; ſicut ſe habet forma ad materiam. Frigidum autē non ingreditur operationes naturæ; niſi per accidēs, quatenus condenſat, & ſiſtit, & firmat; ex Ariſt. quarto meteororum. ubi loquitur de concretione generabilium, & miſcibilium. & ita, caliditas, & frigiditas; ſunt propriæ paßiones formæ. humiditas, & ſiccitas; ſunt propriæ paßiones materiæ. & inde eſt; quòd iſti uiri doctißimi, quando locuti ſunt de exceſſu caliditatis; præſertim in homine; intellexerunt, quatenus hæc caliditas dat operationes membris. & dat actum uitæ. & etiam idem de ſuo oppoſito. In humido autem, & ſicco; ſecus eſt. Vnde caput iſtud bene inſcribitur de complexione humorum; quia accipitur humiditas ſecundùm complexionem Auic. igitur hic facit cenſum humidorum quò ad complexionem. Phlegma humidum primò. *Quia uidetis pituitam eſſe fluxibilem admodùm. & loquor nunc de pituita naturali.* Poſtea ſanguis. *Videtis etiam in ipſo fluxibilitatem.* Poſtea pinguedo, &c. *Omnia*

nia ſunt facilia; & hæc ſupra fuerunt declarata. & hic quidem eſt ordo, quo Gal. enumerauit cenſum humidorum. & notat Galenum tantum in humidis; et in hoc ſolùm uult carpere Galenum. Ita (inquit) diſponit Gal. Sed ego non ita credo; quia dicit pulmonem eßе humidiorem, quàm hepar. Ego autem contra credo. *Inquit Auicenna, & probat ſyllogiſmo categorico copulatiuo. Prima propoſitio eſt.* Omne membrum aſsimilatur ei, quo uult. *hæc eſt prima pars propoſitionis. Secunda pars huius maioris eſt; & omnis complexio accidentalis aſſimilatur ei, in quo ſuperfluit. Poſtea ſumit minorem copulatiuam, & ipſam reſpondentem maiori. Dicit enim;* Sed pulmo quantùm ad naturalem diſpoſitionem nutritur ſanguine ſubtili, calido, & bilioſo; *Quantùm autem ad temperaturam accidentalem redundat plurima pituita. (concludit poſtea; & concluſio etiam eſt copulatiua.)* Ergo pulmo (*inquit*) eſt minùs humidus, quàm hepar humiditate naturali, magis autem ma defactus humiditate accidentali, quàm hepar. *Vt intelligatis uim huius argumenti, et rem ipſam; primò debetis ſcire; quid ſit complexio; & naturalis, & accidentalis; ipſius membri. Complexio naturalis; eſt ea, quæ data eſt à principio natiuitatis à uirtute formatiua. Quæ, licet non agat à propoſito; agit tamen propter finem, quia directa eſt à primo opifice. Agit igitur uirtus propter iſtum finem; ut unumquodq; membrum reddat operationes, prout*

ſibi

ſibi conuenit. & tunc membrum dicitur habere com plexionem naturalem; quando rectè operatur, pro ut debet. Complexio autem accidentalis; ea eſt, quæ diminuit illas operationes; & impedit, nè fiat ſecundùm naturam. & fit; uel propter materiam redundantem, uel propter imbecillitatem uirtutis. Declaremus hoc exemplo. Complexio naturalis hepatis; eſt humiditas, & caliditas. Quia, dum habet hanc temperaturam; optimè facit ſuum officium; quod eſt, ut faciat ſanguinem. Sanguis autem fit per elixationem; Elixatio autem fit per calidum, & humidum. Ergo temperatura naturalis hepatis eſt exceſſus in caliditate, & humiditate. Accidentalis autem eſt, quæ eſt diuerſa ab hac; ut, quando efficitur hepar, calidum, & ſiccum; aut frigidum, & humidum. Calidũ enim, & ſiccum; redundat multa bile, & generat bilem loco ſanguinis. Si uerò ſit frigidum, & humidum; facit pituitam loco ſanguinis. His ita ſtantibus; dicit Auicenna; quòd complexio naturalis dicitur aſſimilari ei, ex quo nutritur. Nutritur autem hepar ſanguine bono, & humido. Tunc igitur cognoſcetis temperaturam hepatis eſſe naturalem; quando nutrietur bono ſanguine. Accidentalis autem; aſſimilatur excremento, quo redundat. Prima pars huius primæ propoſitionis; eſt Galeni, ſecundo de facul. Natural. Vbi probat eſſe in membro proprietatem attrahendi ſibi ſimile, ut nutriatur. Nutritur autem quodq; à ſimili. Vnde, ſi quid nutriatur diſſimili nutrimento; mutat temperaturam ita etiam, ut amittatur uita, et fuit

etiam

etiam ſententia Ariſt. in ſecundo de generatione. 50 Dicit enim; quodq; nutriri ijs, quibus conſtat. Secunda uerò pars; Vbi dicit; quòd complexio accidentalis cognoſcitur ex excremento, quo redundat; fuit Galeni in primo de diff. morb. ubi loquitur de complexione non naturali; & primo de cauſis ſympto. qui eſt quartus lib. in ordine illorum librorum. Vnde, & in primo de locis aff. & in ſecundo; docet cognoſcere temperaturam accidentalem ex excrementis. & ita maior illa propoſitio uerificatur ſecũdum utranq; partem. Poſtea infert minorem. Sed pulmo naturaliter nutritur ſanguine ſubtili, & calido, & bilioſo; Ergo pulmo erit calidus, & ſiccus. *Quoniam aũt poſſet hoc aliquis negare, quòd nutriatur pulmo ſanguine bilioſo. Ideo dicit; hoc ſcribi ab ipſo Gal. contra quem arguit. Non dicit autem ipſe, ubi Galenus dicat hoc. Locus uerò eſt in. 4. de uſu partium, cap. 15. In ſexto etiam de uſu partium, cap. decimo ſexto; dicit apertè; quòd pulmo nutritur ſanguine bilioſo, & ſubtili; delato à corde. & hoc quantùm ad primam partem minoris propoſitionis. Quantùm uerò ad ſecundam partem; quando dicit in ipſo redundare multum humoris accidentalis; hoc etiam eſt Galeni in primo de loc. aff. cap. primo, & in ſeptimo Therap. ubi loquitur, de ulceribus pulmonis. & ita uidetis, quòd utraq; pars iſtius minoris propoſitionis eſt Galeni. & ita, cùm arguat contra Galenum, & utraq; propoſitio probetur ex Galeni dictis; uidetur uera eſſe concluſio, quæ ſequitur. Scilicet, quòd*

hepar

hepar ſit humidius in complexione naturali quàm pulmo. Hic eſt proceſſus Auicennæ contra Galenũ. Pro defenſione autem Galeni; duo dicuntur. Primũ; quòd hic eſt ſicut latrator ad Lunam (quidquid ſit de hoc argumento) latrat enim contra hominem, non dicentem hoc. In fine enim primi de temper. ubi enumerat membra humida tãtùm; non dicit, pulmonem eſſe humidiorem hepate; ſed nè dicit quidem eſſe humidũ. Dico de humiditate ſubſtantifica; de qua hic intelligit Auic. Sed uideamus quantùm concludat argumentum ipſius; & ponamus Galenum hoc dixiſſe, quòd ipſe uult. Quantùm igitur ad maiorẽ; concedatis ipſam. Poſtea minor etiam concedatur. Sed quando concludit poſtea. Ergo pulmo eſt ſiccior hepate. nego iſtud. & non eſt. Quoniam humiditas in pulmone eſt aerea; & ducitur in eo multum de aere; ut etiam dicit Gal. quarto de uſu par. cap. decimo quinto; & ſexto de uſu par. cap. decimo. Dicit enim; quòd eſt cauernoſus, & albus, & leuis. Vnde, qui habent plurimum de pulmone, ſupernatant, & non poſſunt immergi; propter maximam copiam ſpirituum, & aeris. Aer autem; eſt humidiſſimus omnium elementorum humiditate ſubtili. Cùm autem nullum membrum ſit in corpore, quod habeat tantum aeris; ergo pulmo erit humidior omnibus humiditatte iſta ſubtili. Cùm autem ſubſtantia pulmonis ſit aerea ita, ut dicimus, & ſubtilis; conuenit igitur, ut nutriatur ſanguine illo ſubtili. hic eſt biliouſus (dicitur enim biliouſus propter ſubtilitatem) ſed bilis non nutrit, cùm ſit amara.

amara. Ideo bene conuenit, ut nutriatur illo ſanguine. Tamen non tollitur, quin nutriatur illo ſanguine, & ille ſanguis ſit humidus; quia eſt humidum, dulce, & nutrit. Hepar autem habet in ſe multam humiditatem aqueam; ideo etiam conuenit, ut nutriatur ſanguine humido humiditate huiuſmodi aquea. Præterea in tertio de alimentis, cap. 12. dicit Galenus; pulmonem eſſe leuis ſubſtantiæ; & longè meliùs nutrire, quàm hepar; & facilè diſtribui. & atquè digeri. Bene autem uerum eſt, quòd generat pituitam. Hepar autem inquit eſſe craſſæ ſubſtantiæ, & ægrè concoqui, & digeri; quoniam confectum eſt ex ſubſtantia craſſa, & aquea, & terreſtri; idcirco eſt ponderoſiſſimum. Vnde etiam dicimus pulmonem eſſe minùs humidum, quàm hepar; humiditate craſſa, & aquea; eſſe autem humidiorem humiditate ſubtili, & aerea. Tamen in hepate eſt multùm terræ; quòd ſanè indicat eſſe indigeſtibile, et difficillimæ diſtributionis. legamus modo literam Auicennæ; omnia enim ſunt iam clara in textu Auic. Omnis enim complexio membri naturalis. Hæc eſt maior propoſitio. Pulmo autem. Hæc eſt ſua minor; et prima pars. In ipſa uerò eſt ſecunda pars minoris. Poſtquàm igitur ſic res eſt; hæc eſt concluſio. licet humiditatis mora ipſum in ſubſtantia molliorem. Quaſi aduertens, poſſe ab aliquo ſibi obijci; Atqui ò Auic. Mollities ipſius pulmonis indicat humiditatem. Mollities enim ſequitur humiditatem; ut docet, & Ariſt. quarto Meteoror. et Gal. quinto de ſimpl. Med. Reſpondet igitur

tur; quòd est mollior, propter humiditatem excrementitiam, quæ propter longam morã madefacit pulmonem ipsum. & ita respondet illi tacitæ obiectioni. Et dispositiones phlegmatis. *Ponit corollarium, & dicit eandem esse comparationem pituitæ ad sanguinem; quæ est pulmonis ad hepar. Sicut.n. pulmo est humidior hepate humiditate aduentitia. humiditate autem naturali est minùs humidus; Ita & phlegma humiditate aduẽtitia est humidius sanguine, humiditate uerò naturali sanguis est humidior. Si loquitur de pituita non naturali excrementitia; est extra propositum, quia hic locus est tãtùm de partibus naturaliter se habentibus. Si uerò intelligit de pituita naturali, cùm admiscetur sanguini, et cùm sanguine nutriti (ut etiam ipse fatetur) propositio est falsa; quia longè magis humectat humiditate substantifica, quàm sanguis. Præterea transit proprios terminos. hic.n. comparamus, prout aliud est alio humidius; loquendo de proprijs temperaturis, non de operationibus. Sed dicet aliquis; hoc dicit tanquam signum. Hoc quidem posset tolerari, sed trãsit proprios terminos.* Licet phlegma naturale, &c. *Videtis, quòd cognoscit suum errorem; quid igitur adhuc egemus testibus? naturale autem phlegma; intelligit, quod est admistum sanguini; & est dulce, sicut sanguis; & nutrit aliqua nutritione; & est in potentia proxima sanguis. & nemini dubium; quòd sunt aliqua corpora frigidiora; quæ nutriuntur sanguine illo pituitoso, aquoso. & sunt similiter quædam membra; quæ delectantur*

lectantur eiusmodi sanguine aquoso. Velit igitur, nolitúe; dicit Auic. id, quòd nos uolumus, quòd Phlegma naturale est humidius sanguine; Ex sanguine enim, cùm quantùm digeri debet. *Probat illam propositionem; et bene, & optimè, probat. In sequentibus autem excusat se de his, quæ possent in dubium redigi de hoc phlegmate. Quia enim exigunt hæc alium locum; ideo & nos cum Auicen. reijcimus in alium locum.*

LECTIO. XXIII.

VIDIMVS *iam tres excessus temperaturarum; & catalogum membrorum ita excedentium. Quoniam autem supersunt membra excedentia in sicco; Ideo inquit Auic.* Res autem siccior est, quæ in corpore sunt pili. *Recenset omnia membra excedentia per siccitatem; & incipit ab intensissime tali; donec deueniat ad cutim, quæ est temperata; & dicit.* Siccissimum in primo loco pilum, deinde os. *Circa hanc partem; Quia uidebat difficultatem esse, & nolebat dissentire à præceptore, et à uia Galeni; quia etiam ipse dixit, pilos esse sicciores; Ideo probat tribus argumentis, pilum esse sicciorem. Et postea tribus alijs argumentis, oppositis his tribus; probat os esse minùs humidum. Argumentorum, quibus probat pilum esse sicciorem, quàm sit os; Primum est à substantia ipsius sumptum. Secundum; à duobus signis. A substantia igitur sic; Omnis uapor fumosus est, calidus, & humidus. Sed, ubi postea exhalauerit humidum;*

humidum; remanet tantùm fumositas ipsa, et pars terrestris; qua congelata fit pilus (secundo de temper.ex Gal.) Primùm enim; eleuatur uapor calidus, & humidus. Postea; per alterationem adurentẽ euaporat omne humidum uaporosum; & remanet tantùm humidum continuãs, quo congelato fit pilus; Qui quidem ita cõgelatus non potest dissolui, nec à calido, nec à frigido. At (ex sententia Arist.quarto meteor.) quæ, neq; in calido, neq; in frigido; possunt dissolui; In his relicta tantum humiditate continuante, remansit substantia ualdè terrestris, quæ propter frigidum extrinsecum cõgelatur; sicut apparet in lateribus; Qui quidem sunt aridi; ex quo per calidum est siccata humiditas, deinde est congelata per frigidum; quæ remansit humiditas continuans. Hoc est primum argumentum, sumptum à substantia pili. Dicit igitur Auic. Sunt enim ex uapore fumoso. Iam sciuistis, quid sit uapor calidus, & humidus, & uapor fumosus; postea, & os. Intermittamus hæc; ut continuemus probationes, quibus probat pilos esse sicciores. Pili uerò eorum, nullum nutriunt. Affert secundam probationẽ; dicens. Non nutriunt; quia uita consistit in calido, & humido. et omnia quidem his nutriuntur, ex quibus constant, Igitur omnia animalia nutriuntur humido. Pili autem non nutriunt aliquod animal; igitur sunt sicci. Nos autem, cùm duas quantitates, ossis, & pilorum. Tertium argumentum sumitur à signo; et dicit, quòd si sumamus eandem quantitatem ossis, & pilorum, &c.

Clarum est; quid uelit. Hæc tria sunt, per quæ probat Auic. pilum esse sicciorem, quàm os. Tria postea sunt; per quæ probat os minùs esse siccum, qnàm pilum. & primum est similiter à substantia per oppositum. Quia pilus, sicut ideo siccissimus est, quia est ex substantia sicciori; Ita os est minùs siccum, quia est ex substantia minùs sicca. Affert etiam signum, oppositum primo signo. Quia osse quædam animalia nutriuntur; pilis autem nullum animal nutritur, licet aliqui fabulentur uespertilionem ipsis nutriri. Affert tertiò secundum signum de osse destillato per elembicum. Videtur igitur concludere; quòd pilus sit siccior, quàm os. Ego uero dico; quòd, si pilus, quò ad complexionem, & os; consideretur, quatenus pilus, & os; longè siccius est os quàm pilus. Tamen Auic. & Gal. postea saluabo; & ostendam seruasse talem ordinem. Dico igitur; quòd pilus est humidior osse, sumpta siccitate complexionem. & primò (quantùm attinet ad compositionem; reflectendo argumentum Auic. contra ipsum) dico, quòd substantia ipsa, ex qua pilus componitur; indicat oppositũ. Quia ille uapor, licet sit fumosus; est tamen uapor; qui habet plurimum de spiritu & de humido aereo; qui non ita facilè exhalat, neq; congelatur. Cuius signum est; quòd est flexuosus, & non potest contundi. & flexuositas est ab humido uiscoso; quia istud humidum uiscosum repugnat contritioni. Vnde coria non possunt conteri, humiduum autem aqueum optime tolerat contritionem; Ideo olera uiridia cõterun-

tur facilè à mulieribus, quia humiditas aquea non ita continet partes sicut continet humidum aereũ. Vnde uidemus quòd, si olera ponantur in aqua; uergunt ad fundum. ligna autem uiridia superfluitant; quia habent plurimum de spiritu, qui eleuatur ad superiora. Neq; ualet responsio Gentilis; Qui dicit pilũ non conteri propter suam compositionem, & modum quendam compositionis. Nam nemo (inquit) dixerit crystallum esse sicciorem pilo, & tamen frangitur crystallus (idem de glacie dicitur) ergo humiditas (inquit Gentilis) non est causa flexibilitatis, sed modus quidam compositionis. Non dixit Gentilis, quis nam sit iste modus. Nam, si bene considerauisset; uidisset; ideo glaciem conteri, & crystallum; quia habent humiditatem aqueam, non aeream. Præterea glacies, & crystallus; licet sint humida potentia; sunt tamen actu sicca; ut bene notauit Alexander in septima quæstione primi suarum quæstionum. Non ualet igitur responsio Gentilis. & ita patet, argumento sumpto à substãtia compositionis; quòd pilus sit humidior in sua complexione, & os siccius. Quãtùm uerò ad id, quòd pilus non nutriat, os uerò nutriat. Dico, quòd pilus non nutrit, tũ propter adustionem maximã, tum propter amaritudinem. Quia dicebat Aristo. in suo lib. de causis uitæ; humidũ dulce est id, quòd nutrit. Est etiam alia ratio; Quia humidũ, quod est in pilo; est pingue, et unctuosum; pinguia autem, et unctuosa non nutriũt (ut in secundo de alim. cap. de amygd. notat Galenus.) Ideo amygdalas parum nutrire, quia redundant humido

mido pingui, et unctuoso. Quantùm ad destillationem; dico; quòd, si accipiatis os remotum à sua medulla, & permittatis os exiccari per tractum aliquem temporis; sicut sunt ea ossa, quæ reperiuntur in cimiterijs; & etiam accipiatis pilum ita, ut os sit os tantùm, & pilus sit pilus tantùm; & ponatis utrunque in elembico; Plus quidem humidi trahetis de pilo, quàm de osse. & similiter; si accipiatis os, non uidebitis ipsum ab aliquo animali attentari ad cibum. Præterea os est durissimum, & solidissimum. Durities autem; si non fuerit, uel propter repletionem, uel propter congelationem; est propter siccitatem. & ita, quò aliquid est longè durius; eò est siccius. Videtis igitur; os esse siccius, quàm pilum. Quid igitur dicendum hoc loco? Vtrùm mentitus fuerit Auicen. & mentitus fuerit Galenus? Minimè. Immo optimè dixerunt. & ideo cõsulo, ut ponatis hæc in ordine ita; ut pilus sit in primo loco siccorum, et postea subsequatur os. Quia consideramus membra; prout sunt pars actu corporis; non, prout sunt partes mortuæ. Ergo, si considerantur actu in humido corpore; os proculdubio est lõgè humidius, quàm pilus. & ita ualent argumenta Auicen. quia os nutrit propter suam humiditatem, quam habet; non, quòd ipsum os nutriat. Quia ipsum os abijcitur. Sit igitur hæc excusatio authorũ. Reliqua omnia sunt facilia. Oportet igitur uenire ad pulchriora; Hæc enim hactenus fuerunt tanquàm præludia. Cætera, quæ sequentur; erunt pulcherrima, et utilissima ad rem medicam. Cuius situs est situs, &c. Dicit, quòd rõne etiam

ſitus os uidetur eſſe humidius; Quia os eſt ſemper in medio ita, ut habeat humiditatem à uenis, arterijs, et muſculis. Quapropter oſſa *facillima ſunt.* Poſtea chartilago. *Omnia ſunt facilia.* Poſt nerui ſenſus. *Quod eſt minùs ſiccum; eſt cor; et ipſi nerui, qui faciunt ad ſenſum. Quia qui faciunt ad motum; neceſſariò ſunt ſicciores, quia ſunt deſtinati ad actionem robuſtam.* Nerui *autem ſenſus; non faciunt ad actionem, ſed ad paßionem; et ſunt in pati, et recipere. Ad receptionem autem; confert, humiditas, et mollities; non ſiccitas. Cor non uidetur ita ſiccum, ſicut neruus, faciens ad motum; nec ita humidum, ut neruus faciens ad ſenſum; ſed medium eſt inter utrunque.* Vltimò eſt cutis, tanquàm centrum. *et ita explicatus eſt catalogus quatuor exceſſuum temperaturarum omnium membrorum. Vnum tamen hic relinquitur. Nonnulli hic dubitant hoc modo. Iſti uoluerunt omnia mẽbra recenſere; ut ſciamus, quomodò, et qualia; medicamenta ſint applicanda unicuique membro in morbis. Nam hac de cauſa explicantur temperaturæ naturales membrorum; ut, his habitis, poßimus curare morbos, qui eueniunt huiuſmodi membris, reſpiciendo ad naturalem temperaturam. Modò ex unguibus, et ex dentibus, contingunt morbi, et ſæpe dolores ſæuißimi; Cur igitur de dentibus, et unguibus, tacuit? Nam dentes uidentur quædam membra ſeparata ab oßibus; quia dentes ſentiunt, oſſa autem non ſentiunt. Præterea dẽtes uidentur eſſe ſicciores oſſe. Quod ex eo oſtenditur; quia nullum animal attentat dentes pro cibo;*

cibo, neque cùm maximè recentes ſunt. Vngues ſimiliter ſunt ſeparata membra à partibus alijs. Quatùm ad dentes, dico, quòd dentes ſunt de genere oßium, ut dicit aperte Gal. contra ſophiſtas in ſuo lib. de oßibus. Si dentes ſentiunt; oſſa non ſentiunt. Si oſſa conſtituerentur in eſſe per hanc differentiam, quòd ſint inſenſibilia, tunc bene repugnaret, quòd aliqua oſſa ſentirent. Sed hoc non ponitur in differẽtia eſſentiali; Ideo hæc omnia ſunt dicenda oſſa. Deinde poſſunt optimè diuidi oſſa; dicendo; quòd oßium quædam ſentiunt, quædam non ſentiunt. Si ſunt duriores dentes, quàm oſſa; nihil hoc eſt, alia tamen inter ipſa alijs eſſe duriora. De unguibus diceret aliquis, quòd ungues ſecundùm antiquos ſunt membrum organicum (ſicut refert Gal. in fine tertij de anatomicis agg.) ſed hoc eſt uanum. Immo etiam deridetur ab ipſo Galeno in loco citato in fine tertij de anat. ag. Quid igitur dicendum? Reuera debẽt ungues poni, quia ſunt membra diſtincta ab alijs mẽbris. Sed, quare non poſuerit; nolo ariolari, nè fortè ſim uanus ariolator. Tamen in ſecundo de temperatur. dicit Gal. quòd ſunt quædam genita à ligamentis quidem; ſed per ulteriorem aſſationem. & uidemus unguem non ſentire. &, ſi uidetur ſentire; eſt, quia in radice unguium ſunt nerui, & eſt caro, & cutis. & ſenſus eſt in cuti; & in his, quæ ſunt annexa cuti. Vnde, ſi incidetis unguem in ſua parte ſumma; quoniam prominet, & non eſt coniuncta cum annexis; nihil ſentietis. & ita ſit iam expletum totum caput ſecundum de complexionibus membrorum.

De Complexionibus Aetatum, & Sexuum. Cap. III.

LECTIO. XXIIII.

NVNC SEQVITVR *tertium caput de temperaturis ætatum, et sexuum. Circa præsens caput; primò, quantùm ad continuationem; Ideo conuenientissimè post caput de temperamentis membrorum posuit caput hoc de temperaturis ætatum, & sexuum; Quia sicut membra sunt uaria in temperatura propter, caliditatem, humiditatem, frig. sicci. Ita, & ætates, & tempora, & sexus; faciunt eundem effectum in membris. Hoc cap. primò diuiditur in duas partes principales. In prima parte agetur de complexionibus ætatum, In secunda de complexionibus sexuum. In prima autē parte tria facit. Primò ponit numerum ætatum. In qua parte declarabit magnum illud dubium Galeni; utra sit calidior temperatura, pueri, an iuuenis. In secunda parte declarabit causam; quare homo declinet ad senium; &, quæ sit causa senectutis. In tertia comparat ætates inter se. Quantùm ad primam partē primæ principalis; ponit historicè quatuor ætates. Primam dicit durare usq; ad 30. annos; & hāc uocat ætatem adolescentiæ. Secundam durare à 30. annis usq; ad. 40; & hanc appellat ætatem pulchritudinis, & ætatem consistendi. Tertia est à. 40. usque ad 60. annum;*

annum; & hanc appellat ætatem senectutis. Quarta est usque in finem uitæ, cum uirtutis manifesta debilitate. Aduertatis; quòd ita docere rem historicè; nihil est docere. Siquis enim diceret, septem, aut 8. ætates; non haberetis, quomodò contradiceretis. Ex proprijs igitur principijs omnia sunt intelligenda. Oportet igitur alio principio exordiri (ut sciamus, quot ætates sint) ab ipsa natura rei; Sed oportet priùs uidere, & cognoscere; conceptum ætatis; hoc est quid concipiamus per hoc nomen (ætas.) Porrò ætas communissimo suo conceptu est quædam mensura temporis, quæ mēsurat uitam hominis; quam ætatem Græci fælicissimè, ἡλικίαν uocarunt. nam ἡλικία ἀπὸ τοῦ ἥλιου ἥκισθαι. Quod est ab aduentu solis. Quia sol est causa generationis, & corruptionis; per accessum, & recessum; & est mensura temporis. Accipitur autem ab antiquis tripliciter. Primò enim accipitur pro spatio. 100. annorum, & dicitur æuum. & acceptum est hoc nomen à Græcis γενεὰ, & αἰών, dicitur apud ipsos. & ita accipitur ab ipso Ouidio de Nestore; ubi dicit, Nestorem uixisse. 300. annos; & addit; Vixi bis centum, nunc tertia uiuitur ætas. Alio modo accipitur pro spatio humanæ uitæ; In quem sensum accipiūt sæpè sacræ literæ. Tertio accipitur pro parte uitæ humanæ; sicut dicimus ætatem pueritiæ, et iuuentutis. In hoc autem loco accipitur tertio modo considerata. et, quia est pars ætatis uitæ hominis; et pars non cognoscitur sine cognitione totius, quia refertur ad totum; Ideo, siquid de parte ætatis dicendum sit; oportet

tet priùs ſcire, quæ nam hæc humanæ uitæ menſura ſit; quod eſt totum. De ſpacio humanæ uitæ nihil certi apud antiquos determinatum eſt; quia plurima uarietas reperitur apud hiſtoricos. Dicuntur enim quidam uixiſſe. 200. annos. Anacreonta referũt uixiſſe. 300. annos. Vt taceam ſacras literas, quæ teſtantur quoſdam uixiſſe. 900. annos. In cenſu, facto tempore Auguſti; relati ſunt ab hiſtoricis quidam uixiſſe. 150. annos. Non habetur igitur quicquàm certi. et ideo, quia uariantur cauſæ breuitatis, et longitudinis; uitæ ad uariationem cauſarum; neceſſe eſt uariare effectum. Variatio autem, ſeu uarietas aliquando fit ex regione, quandoq; ex mala uictus ratione, quãdoq; ex labore; ut dicemus ſuo loco. Cùm igitur tot ſint cauſæ; quid mirum, ſi non habeatur certum, et determinatum; ſpacium uitæ humanæ. Tamen periodus uera uitæ, quæ integra, et ſine moleſtia; degitur; credita eſt periodus. 30. annorum; Intra quã homo uiuit ſine quærela ita; ut neq; operationes ſint ualdè leſæ, & poßint ipſi cõmodè uerſari inter homines. Poſt hac autem eſt potius quidam longus interitus, quàm uita; ſed citra illã ætatem ſatis bene uiuunt: Ideo illa periodus fuit obſeruata. Verùm quidam ad. 81. quidem annum ſuperſunt. Nicolaus Leonicenus, præceptor meus; agebat annũ. 96. quando à me intelligebatur; qui quidem erat ualidus, & ſine ſpecularibus legebat. Quæ modò ſit cauſa huius periodi; uarij; uariè dicunt. Aſtrologi; enim referunt ad aſtra, & ad ſuas trinitates ex certo influxu. Alij retulerunt ad ipſum numerum ſeptenarium;

quia

quia in numeris ſeptenarijs uidetur fieri magna mutatio uitæ humanæ. Volunt enim primò embrionem in ſeptem menſibus perfici; dum adhuc eſt in utero matris. Poſtea uolunt in primo ſeptenario annorum puerum pati mutationem dentium. In. 14. incipit emittere ſemen. In 21. anno augetur in longitudinem, & latitudinem. In. 28. augetur in profundum. In. 35. perficiebatur augmentum; deinde ſtatus. Dicebantur autem hæc ſeptenaria climateres; unde dicti ſunt anni climaterici, quaſi ſeculares anni. & dicunt; quando ad nouies ſeptem uentum eſt; non ampliùs poteſt repeti ſeptenarium numerum per numerum ſimplicem, (quia ultra nouem non datur alius numerus ſimplex.) Ideo ibi terminari ſpaciũ humanæ uitæ integræ. hi quidem ſunt mathematici; illi autem ſunt aſtrologi. Nos uerò; qui, neque aſtrologi, neq; mathematici; eſſe uolumus; per ſenſum accedamus ad rem noſtram; ideſt ad ſenſum; qui medicorum proprius eſt, & peripateticorum. Ariſt. enim, Gale. & Plato; inuenerunt cauſam periodorum à ſenſibus.

Quoniam uerò refertur hoc à philoſophis ad principia naturalia; ideſt ad, calidum, & humidum; Ideo recte inter ſe proportionalia à Medicis ad principia naturalia, & ad numeros ſimul. Voluerunt enim numeros ſeptenarios, præter principia naturalia multùm ualere; Vim autem horum ſeptenariorum ad uirtutem aſtrorum retulerunt; ut habetur ex Gal. in principio tertij de diebus criticis. Quamuis in reddenda cauſa illorum ſeptenariorum, neq; ſibi, neq; alijs; ſatisfaciat.

De

De cauſis dictis ab Aſtrologis,et à mathematicis; non pertinet ad nos. De cauſis ſecundùm philoſophos, & Medicos; dicemus. Cauſa periodi ſecundùm Philoſophos ſumitur ab his, quæ apparent ſenſu; quia omnis cognitio principiorum ortũ habet à ſenſu. Quis nam igitur ſenſus? Vnde incipiet philoſophus cognoſcere hanc ætatum diſtinctionem? Videbat philoſophus uitam in humido,& calido;conſiſtere.Diſcurrit hoc Galenus in ſecundo de temperamentis. Ratio eſt,(inquit Galenus) quia homo generatur ex ſemine, et ex ſanguine mẽſtruo.Hæc autem calida,& humida;ſunt;ergo habet principia ab humido. Fit autem ab agẽte calore;& ex humido,tanquàm materia.Prætereà tàmdiu durat uigor uitæ; quàmdiu ſtat calidum, & humidum; donec ueniatur ad mortem.& ;quantùm recedit à calido,& humido;tantùm accedit ad mortem.Accedere enim ad ſenectutem,quæ eſt frigida, & ſicca; eſt accedere ad mortem. & ita etiam proceſſit Ariſt. in lib.de cauſis long. & breu.uitæ. Sed illi aliter, quàm ego procedunt. Quia autem nos ſumus interpretes;et ideo latè declaramus, hoc fundamento ita ſtante.humidum autem eſt,quod patitur; calidum ueró,quòd agit. Vbi autem unitur, agens, & patiens; bene diſpoſita; conſequitur neceſſario actio. Hæc autem actio eſt alteratio, & immutatio.Sed omnis immutatio eſt à contrario in contrarium; patitur igitur humidum à calido. & contrarium humidi eſt ſiccum; ergo immutatur in ſiccum.& ,quoniam neceſſarium eſt,ut calor habeat nutrimentum; calor primò acuitur deficiente humido,

humido,quod eſt pabulum; poſtea extinguitur;ex quo neceſſarium,eſt ut corpus fiat frigidum,& ſiccum.& ſic fit ſenectus, quando adhuc eſt quædam pars modica caloris. & humidi; donec totum humidum,& calidum; tandem deperdatur; & tunc ſequitur mors.Stãte hoc fundamento;neceſſariũ eſt, ut illud animal longiùs uiuat, in quo humidum eſt magis proportionale calido. Hæc modò proportio, in quo ſtat? Stat primò ex parte paſſi, ideſt humiditatis; in quanto, et quali. In quanto;quia quanto magis eſt de humido,tanto magis durat illud humidum (ſicut dicit Ariſt.quarto meteor.de putreſcentibus) & tantùm plus eſt de ipſa uita.& ideo(ſicut dicit Ariſt.)animalia,quæ ſunt maiora; diutiùs uiuunt, quàm parua animalia. Sed non ſufficit quantitas. Si enim accipiatis lucernam, ubi ſit plurimũ de oleo; ſed ſit,aquoſum,uel craſſum,uel ellychnium ſit ſordidum; tunc uidetis illam lucernam, neqúe bene,neq; diu;lucere. Ita etiam contingit in uita animalium. Vbi enim humidum fuerit, craſſum, & fæculentum;non diu durat uita,quia humidum illud potiùs ſuffocat calorem. Ideo uidemus animalia cetacea magna, cùm ſint uaſta; non multùm uiuere. Sic etiam uidemus equos, boues, aſinos; licet ſint uaſta animalia; tamen breui tempore uiuunt, quia humidum illud eſt terreſtre, & craſſum. Oportet igitur, ut humidum non ſit in multa quantitate ſolùm, ſed etiam habeat cõuenientem qualitatem. Quæ nam autem erit iſta qualitas cõueniens? Eſt qualitas aerea,unctuoſa,pinguis. Ideo dicit Ariſt.quòd pinguia durant diu, & non facilè alterantur;

rantur;quia habent calidum ſuum bene unitum,et cõpactum. Ideo humidum debet eſſe, non tantùm multũ; ſed proportionale etiam in qualitate. & ,ubi fuerit tale humidum; tunc diutiùs perdurabit uita, & etiam cum operationibus optimis. Sicut etiam uidetis in lucerna. Vbi enim humidum ſit bene proportionale in quanto, & quali; tunc, non tantùm diu perdurat; ſed ſplendidiſſimam lucem emittit. Quòd, ſi etiam poſtea calor ſit proportionalis. (Nam & calor debet eſſe proportionalis. Quia, licet ſit humidum in lucerna; ſi calor ſit nimis modicus; extinguetur. Si autem ſit ualidiſſima flamma; etiam præ nimia copia flamma conſumet illud humidum citò;et ſic extinguet) Animalia igitur, quæ habent humidum, & calidum; hoc modo rectè proportionalia; illa quidẽ ſunt; quæ, et diu uiuunt, et optimas habent operationes. Inter omnia autem talia præcipuus eſt homo. Quia enim eſt temperatiſſimus omnium; habetq; humiditatem,et caliditatem; conuenientem; Ideo,non ſolùm diu uiuit, ſed etiam nobiliſſimas edit operationes. Homo igitur inter omnia animalia eſt longioris uitæ; & nobiliorum operationum. Poſtea eſt elephas; qui quidem diutiùs uiuit, quàm homo; ſed nobilitate operationum eſt inferior homine. & quamuis elephas uiuat per 300. annos; hoc non eſt tantùm ratione bonitatis in quali, ſed etiam in ratione quanti. Elephas autẽ ſolus poſt hominem eſt optimæ temperaturæ; Vnde habet operationes nobiles,& approximant etiã in operationibus ad humanam naturam. Vnde dicunt; ſolum

lum poſt hominem habere religionem, & reuereri etiam ueſtigia hominis,& alia multa. Poſt elephantem autem homo diutiùs uiuit cæteris animalibus, ſi uolumus dimittere fabulas Heſiodi; qui facit cornices uiuaciores homine, et alia quædam animalia.Sed hæc ſunt fabulæ. & fortè; ſi homo non haberet tot cauſas corruptiuas uitæ, quot habet extrinſecas uoluptates,necnon curas, et familiares, & publicas; & alia plurima; Fortè etiam uiueret diutius, quàm elephas. & Nicolaus Leonicenus præceptor meus; qui fuit alioqui debilis temperaturæ; &, qui, cùm eſſet. 30. annorum; cecidit apoplecticus; Vixit tamen. 100.et ſex annis. Iam igitur uidimus de periodo uitæ humanæ; ſecundùm philoſophorum uiam. &, licet ex hac uia phyſica non poßimus determinare periodum ſexaginta trium annorum; tamen hoc determinauit; quòd illi homines diutiùs uiuunt, in quibus plus eſt de humido, & calido; inter ſe quidem rectè proportionali. Quibus autem minus; etiam minùs uiuunt. Quoniam autem experimẽto compertum eſt; plurimam uitam hominis integram eſſe, in qua non ſunt impeditæ operationes, & in qua commodè uiuimus; eſſe periodum 63.annorum; Propterea dicimus per hanc uiam phyſicam nos determinare etiam ſpaciũ uitæ humanæ tot eſſe annorum. Poſtquàm uidimus de tota periodo ætatis; Iam magis particulariter indaganda eſt ratio. quare diſtinguatur hæc periodus in partes. Bis diuiſio facta eſt ratione alicuius finis. Qui enim diuidit uult aliquid ſcire. Nam & ſcientiæ ſecantur, ſicut & res;

& res; & rerum eſt ſcientia; & unaquæq; ſcientia habet certum finem; Oportet igitur; eum qui diſtinguit; habere finem intentũ. Oportet igitur ſcire, quis fuerit finis, et ſcopus; eorũ, qui diuiſerũt ætates; ut rectè diuiſiones intelligamus. Hæ diuiſiones ætatũ ſunt in quinq; differentijs; & intentiones hominum ſunt quinq;, ſecundùm uarias profeßiones. Primò enim Aſtrologi, qui diuidunt per ſua principia; diuidunt in ſex ætates. Poſtea mathematici, qui diuiſerunt per numeros; perfecerunt per nouem ſeptenarios. Poſtea Viri ciuiles; qui ſecundùm, quòd conueniebat ſcientiæ ciuili, & reipublicæ; diuiſerunt; in tres partes diſtinxerunt. Quarta diuiſio eſt philoſophorum peripateticorum. Maximè ſic Medici diuiſerũt etiam ipſi ſecundùm, quòd ſuæ artis ſcopo conueniebat. Declaremus iam fundamenta uniuſcuiusque huiuſmodi quinq; ſectarum. Aſtrologi diuiſerunt aſtronomicè; quia crediderunt, influxus cœleſtes, et reuolutiones; eſſe cauſas rerum inferiorum (ſicut reuera ſunt) ſed illi poſuerunt quaſdam leges, quas ego non credo ipſos intelligere. & hæc, quæ dicuntur ab ipſis; ſunt potiùs iucunda auditu, & ſpecioſa, quàm faciãt ullam ſcientiam. Dicunt enim quòd, quando puer conſtituitur in utero, in principio ſuæ generationis regit Saturnus, & deinde Iuppiter, & deuenit uſque ad lineam Lunæ. Dicunt autem perfici fœtum in utero ſecundùm hunc ordinem. Poſtquàm autem ortus fuerit; tunc dicunt per oppoſitum ordinem planetas dominari. & primum ſeptenarium attribuunt Lunæ. & propterea

propterea dicunt pueros eſſe humidos; quia Luna eſt humida. & propterea etiam patitur morbum lunarem; ideſt epilepticum. Secundam autem ætatem dicunt dominari à Mercurio in ſeptenario ſecũdo; Ideo pueri incipiunt cognoſcere, quia Mercurius eſt Deus ſcientiæ, & ſunt mobiles; quia & Mercurius eſt mobilis. Poſtea in tertio ſeptenario dominatur Venus; ideo dicunt poſt decimumquartum incipiunt emittere ſemen, ſunt uenuſti, & nihil cogitant, niſi Venerem. Ideo debent in ea ætate ualdè cuſtodiri pueri, & puellæ. Poſtea ſuccedit quartum ſeptenarium, quod datur Soli; ideo incipiunt habere animos nobiles, & delectantur honoribus. Poſtea eſt quintum ſeptenarium, in quo dominatur Mars; ideo tunc incipiũt eſſe audaces, & robuſtißimi, & aptißimi ad bellum; & tunc uigent maximè. Poſtea ſuccedit Iuppiter in ſexto ſeptenario. Iuppiter autem eſt cauſa bonitatis morum, & ingenij; quare incipiunt habere prudentiam Iouialem, & bonitatem ingenij. Poſtea ſuccedit ſeptimus ſeptenarius, cui dicatur Saturnus; et tũc incipiunt diſplicere ſibi; donec Saturnus deducat ipſos ad ſenectutem, & finem; & adimat ipſis moleſtias omnes ſenectæ. & hæc (ut dixi) ſunt potiùs ſpecioſa, quàm ſcientifica; ideo non eſt, cur multùm immoremur. Secundò alij, qui ſecundum numerum ſeptenarium poſuerunt; fuerunt mathematici, & Pythagorici; inter quos etiam uidetur fuiſſe Plato. & hic ſeptenarius numerus eſt fertilißimus inter omnes numeros; ideo dicunt, in ſeptem annis incipit iudicare,

re,in.14.pubeſcere,& in reliquis eodem modo;ſicut Aſtrologi faciunt.Differunt autem in hoc; quoniam hi attribuunt cauſas numero; Aſtrologi autem reuolutionibus aſtrorum, & influxibus. Tertio loco fuerũt uiri ciuiles;& diuiſerunt in tres partes; prout homo eſt,aptus,uel ineptus; ad munera reipublicæ;ſicut Seruius Tullus Rex Romanorum;ut refert Aul. Gellius decimo lib.cap.28; ex Tuberone.Diuiſerunt enim in tres partes,ſiue in tres ætates. Prima eſt ætas pueritiæ uſq; ad decimum ſeptimum; in qua homo, neq; eſt utilis Reipub.neq; armis,neq; conſilio. Ab hoc autem ad. 46; erat ſecunda ætas, in qua homo uacabat militiæ laboribus.Ab hoc deinde,uſq; ad finem uitæ;dabãt homines operam conſilio, & ſenatui; et remouebantur à bello. Quarta eſt phyſicorum. & hi à natura rei maſcule, & optime diuiſerunt. & dixerunt ex incremento,& decremento; calidi innati, & humidi; ætatem diuidi.& ,quàmdiu calidum,& humidum; eſſet in proprio uigore,& non decreſceret;appellarũt iuuentutem. Quando autem incipit declinare humidum, & conſequenter calidum; appellauerunt ſenectutem. & non poſſunt eſſe plures; quia calidum, & humidum, aut creſcit neceſſariò,aut decreſcit.et non datur medium reuera; Quare rectè, donec augetur calor; dicitur iuuentus. Quando autem incipit declinare; tunc dicitur Senectus. & licet paulatim declinet; non refert; quia etiam modica erit ſenectus, & paulatim fiet. A natura igitur rei; uidetis, quòd non poſſunt eſſe plures, neq; pauciores ætates; ſecundùm fundamenta,

fundamenta,et ſcopos;phyſicorum. Certum enim eſt; quòd, quando deſinit augeri; tunc incipit declinare. Ideo non ponunt ſtatum ætatis; quia perpetuò patitur humidum corpus. & ita phyſici poſuerunt duas tantùm ætates;neq; uidebitis apud Ariſt.alias eſſe ætates,quàm has duas. Medici autem in hac diuiſione non conſiderauerunt res in nube,ut Aſtrologi,& mathematici; neq; ſecundùm principia naturalia tantùm, ſicut phyſici; quia Medicus attendit finem artis, & propter ipſum ſpeculatur. Ideo tota medicina eſt practica; ſed uult ſpeculari ſcientificè, non empiricè. Speculatio igitur ducit ad finem; ad opus ſcilicet.Ideo cùm uiderent in corpore humano plures eſſe mutationes, calidi, & humidi.(Quandoq; enim uidetur ualdè humidum, quandoq; ualde calidum.) Ex his autem mutationibus ſequitur mutatio temperaturæ. quoniam igitur medicus reſpicit ſemper ad temperaturam corporis humani (fiunt autem diuerſæ temperaturæ ratione ætatis.) Ideo, quot uiderunt eſſe mutationes in temperatura,tot fecerunt diuiſiones. Conſiderarunt poſtea etiam numerum ſeptenarium. Quia uiderunt,& in moribus mutandis, & in uita; hunc numerum facere ſeptenarium. (In morbis enim patet apertiſſimè) Ideo indagarunt cauſas. &, licet ſibi non ſatisfecerint in cauſis; tamen ſat eſt, quòd res ita habet. Ideo Hip.& Gal.acceperunt ſeptenarium numerũ; & ita conſiderarunt principia naturalia, calidum et humidũ; et ſecundum mutationẽ, calidi,et humidi;diuiſerũt ætates;quia ſecundùm hãc mutationem

mutantur temperaturæ. Præterea uidebantur motus ueloces ſeptenariorum dierum fieri. Si uerò tardiores; ſeptem menſibus. Si adhuc tardiores; ſeptem annis. Ideo in primo cõceptu in quatuor ſeptenarijs dierum dicunt; fœtum accipere ſenſum, & fieri animal. In ſeptem uerò menſibus perfici. A' primo ortu uſque ad ſeptem menſes; habent temperaturã humidam ualdè, & non fit in hoc tempore intermedio mutatio temperaturæ ſenſibilis ulla. In ſeptem autem menſibus primis poſt partum incipiunt prurire gingiuæ, & dentire; ideo poſuerunt primam ætatem à primo ortu uſque ad ſeptem menſes. Hæc ætas habet ſuos morbos; quales ſunt propter humidum redundans. Appellantur autem à mulieribus fungi; Nec non ab Arabibus Alcola. Succedit deinde uomitus, & Epilepſia; quæ ſunt propter redundans humidum. Sunt ſeptem Aphoriſmi in fine tertij Aphoriſmorum, (quos debetis legere) qui quidem infantiæ declarant morbos. Sunt igitur propriæ ægritudines; & propria tempora; in illa ætatula. A principijs igitur naturalibus; pro mutatione, calidi, & humidi, & à numero ſeptenario; ponunt primam ætatem. &, quia uelox eſt motus; ideo in ſeptem menſibus fit mutatio. Ideo tunc incipiunt dentire. Ideo oportuit tunc medicos diſtinguere; quia uaria eſt temperatura, quod indicat morborum uarietas. Hæc autem debent conſiderari à medicis, quia medici ſcopus eſt ſanitas, conſeruanda, uel recuperanda. Indicationes autem ſanitatis conſeruandæ, uel recuperandæ; pro uarietate temperaturæ

temperaturæ uariæ ſumuntur. Prima igitur ætas; eſt ab ortu uſque ad ſeptem menſes. Secunda; à primis ſeptem menſibus uſque ad ſeptem annos. In tota hac ætate non uidetur fieri ſenſibilis mutatio in temperatura. Peruenit igitur uſque ad primum ſeptenarium annorum; quia motus incipit fieri tardior. Tunc autem incipiunt mutari, ſunt genæ pingues, caput non proportionale corpori. incipiunt poſtea moueri robuſtiùs, & decreſcit humiditas, & caput incipit fieri proportionale reliquo corpori.

Pro temperaturis ætatum (quæ quantæ ſint utilitatis; inferius meliùs ſcietis) dicebamus, quanta, & qualis; ſit ætas humida. Conſiderabamus autẽ in uniuerſali; quia non poteramus conſiderare partes ſine totius cognitione. Quantitatem autem determinauimus ſecundùm uarias profeßiones; Poſtea deuenimus ad diſtinctionem totius ætatis in ſuas partes. Et quoniam diuiſio debet fieri ſecundùm methodum; ideo dicebamus fieri ſecundùm ſcopum intentum diuidentis. Fit enim ratione ſcientiæ diſtinctæ; quia nullum multiplex poteſt facere ſcientiam diſtinctam, ſicut optimè docet Plato in Philebo. Ratio autem eſt; quia cùm multiplex ſit compoſitum; non poteſt facere ſciẽtiam diſtinctam. Quia ſicut ſe habet res ad eſſe; ita ſe habet ad cognoſci. Inde igitur eſt, quòd fuerunt multiplices diuiſiones ætatum ſecundùm uarios ſcopos diuerſorum artificum. Vt Aſtrologi, qui intendunt omnia fieri per reuolutiones planetarum, & per influxiones; iuxtà numerum planetarum diuiſerunt æta-

tes. Deinde mathematici, cùm putent numeros eſſe principia omnium rerum naturalium; ideo ſecundùm ſcopum ſuum retulerunt omnes effectus, & omnes uarietates; ætatum ad ſua ſeptenaria. Politici Viri etiam ſecundùm ſuum ſcopum diuiſerunt; quia et ipſi intendunt, ut quilibet homo ſecundùm ſuas uires habeat ſuum munus in ciuitate. Ideo diuiſerunt ætates ſecundùm ſcopum ſuum. Philoſophi etiam diuiſerunt ſecundùm finem ſuum intentum; ideſt ſecundùm principia naturalia, quæ ipſi putant eſſe. Poſuerunt enim cauſas generationis, calidum, & humidum; ideo diſtinctiones fecerunt ſecundùm mutationes, calidi, & humidi. Medici autem retulerũt ad proprium finem; ideſt ad ſanitatem tuendam, uel recuperandam. & ita uidetis, ut fuerit multiplex diuiſio ætatis iuxtà quinq; ſcopos; & de diuiſione, Aſtrologorum, & Mathematicorum. Non eſt igitur, cur ampliùs loquar; quia quantùm ſat erat ad rem noſtram, fuit dictum abundè. De diuiſione etiam ciuili dictum fuit ſatis. Reſtãt duæ aliæ, altera ſecundùm philoſophos, altera ſecundùm medicos. Quantùm attinet ad diuiſionem philoſophorum; cùm ipſi diuidant, prout calidum agit in humidum. Ideo poſito hoc fundamento; quòd uita uigeat in, calido, & humido; ex hoc principio à natura rei faciunt hanc diuiſionem ſuam. &, cùm non eſſent, niſi duo ſtatus; uel, quando calidum uiget, & augetur, ſiue intenſiuè, ſiue extenſiuè; hoc appellatur ab ipſis Iuuentus; Quæ determinatur ab hoc fine in toto, quod augetur, calidum, & humidũ; in humano corpore

pore. Quando autem incipit deflorescere; appellarunt ſenectutem. &, quoniam non inuenerunt aliud medium; ideo duas tantùm ætates poſuerunt. Quoniam, licet hoc appareat ad ſenſum, quòd homo ſtat; tamen non eſt uerum. & ratio eſt; quia ſemper res ſunt tempore menſuratæ in perpetuo fluxu. Philoſophi autem non attendunt ad id, quod uidetur; ſed ad id, quòd reuera eſt; Ideo non inuenietis apud philoſophos (dum, ut philoſophi loquuntur) niſi has duas ætates. &, quare hoc ita ſit; habetis fundamentum. Sed quia Medici finis intentus eſt ſanitas, uel conſeruãda, quando adeſt; uel recuperanda, quando abeſt; huiuſmodi autem ſanitas optimè paratur, & in curatione, & in prognoſtico; nam ex officio prouidendi habentur multæ utilitates. Hæ autem (dico) ars curatiua, & prognoſtica, ſumuntur à recta cognitione ætatum. Quia, ſi ætates menſurantur per, calidum, & humidum; & à proportione, caloris, & humoris; proueniunt temperaturæ; à quibus emanant omnes operationes, bonæ, & malæ; nemini dubium eſt, quòd ex quo temperatura uaria eſt; uaria etiam fit ætas. Etenim per calidum, & humidum; uariatur ipſa ætas; quia uariatur temperatura. à temperatura autem ſumuntur indicationes, & prognoſticandi, & curandi; Nemini inquàm dubium eſt; quòd cognitio ætatum, et ad prognoſticum, & ad curationem; multum faciat; Ab ætate igitur (ubi menſuratur rectè calor) ſumitur prognoſticum. Vnde dicebat Hipp. Catarrhi in ſenibus difficilè maturantur. Ideo hæc duo, prognoſticum,

& curatio; ſunt totum negotium prognoſtici, et medici. Ideo ſecundùm ſcopum hunc diuiſerunt ætates, & prout fiunt mutationes ſenſiles in illo puncto ſenſibili; diſtinguũt ætates. &, quot ſunt mutationes ſenſiles; tot ſunt ætates. & compoſitò dico (ſenſiles) Quia medici ſunt artifices ſenſati; & ſpectant, quod ad ſenſum uidetur. Ideo habent ipſi neutralitatẽ, quæ ratione, & reuera; non eſt; ſed uidetur ad ſenſum. & hoc, quod dico (ſenſibilis) in mutatione ætatũ eſt illud, quod diſtinguit ſpeculationem medici à ſpeculatione philoſophi. Cùm autem ſint medici, & phyſici, & dialectici; ideo dialecticè, et phyſicè; tractant res ſuas. Ideo diuidunt dialecticè. Ideo genus in proxima genera diuiſerunt; deinde ſubdiuiſerunt genera ſubalterna in ſpecies ſpecialiſsimas. hoc ita aſſumpto poſito ſcopo ſanitatis conſeruandæ, uel recuperandæ; et poſitis principijs naturalibus. id eſt calido, & humido; acceperunt & ipſi (uidelicet Medici) diſtinctionem phyſicorum; ideſt in, iuuentutẽ, & ſenectutem; Quia & ipſi accipiunt fundamentum phyſicorum. Modò; quia ſpeculatio medica eſt diuidere per mutationem ſenſilem; ideo medici propter hanc additionem, quòd eſt ſenſile; adiecerunt medium; ſicut & inter, ſanitatem, & ægritudinem; poſuerunt mediũ. Quia rem conſiderant; prout apparet ad ſenſum. Donec enim increſcat calidum; Iuuentutem appellarunt. Donec autem ſenſibiliter decreſcat; appellauerunt Senectutem. Quando autem ſenſibiliter uidentur ſtare calidum, & humidum; appellauerunt Statum.

Quando uidentur calidum, & humidum; ſenſiliter, neq; creſcere, neque decreſcere; augmentum appellauerunt Iuuentutem, decrementum autem Senectutem, medium autem Statum. & ita propter illud (ſenſile) quæ eſt conditio diſtinguens ſpeculationem medicam à phyſica; fecerunt diuiſionẽ in tria membra. Iam audiatis ſubdiuiſiones horum omnium, quæ erant diuiſibilia; ſtando ſemper in eadem cauſa finali; quæ dirigit diuidentem, & affectantem; in qua fundatur diuiſio. Enumeremus autẽ primò illam partem, quæ dicitur iuuentus. Iam igitur ſciuiſtis, quòd medici faciunt diuiſiones propter ſanitatem, conſeruandam, & recuperandam; Quod quidem fit per curationem, et prognoſticũ. Hoc autem fit per calidum, et humidum; quia hæc ſunt principia efficientia, in quibus fundatur diuiſio. Videbant medici, quòd in principio ortus humidi fætus erat maximè humidus; et hoc cognoſcebant ex operationibus; præterquàm, quòd ex principijs à priori (ſecundo de temp.) nam, et geniti ſunt ex ſanguine menſtruo, et ſemine; quæ ſunt ualdè humida corpora. Præterea idem ſenſu quoque patet. habeatur enim animal paruiſsimum; et uidebitis, non ſolùm carnes flecti, ſed et ipſa oſſa contorqueri; et eſſe, rubea, et plena ſanguine. Ab operationibus etiam à poſteriori cognoſcuntur; quia infantuli, neq; mouentur; et ſunt in ſenſibus, interioribus, et exterioribus; parum uiuaces; et abundant etiam plurima pituita. et inde eſt; quòd ipſorũ ægritudines ſunt ex pituita. Donec igitur pſeuerat hæc diſpoſitio tan-

tæ humiditatis, et non fit mutatio ſenſilis, quæ trahat negocium medici ad ſe; eſt prima ætas, et prima pars iuuentutis. Stat autem hæc talis diſpoſitio; quousq; ſecunda ætas indicatur per hoc, quòd incipiunt dentire. Tunc enim eſt mutatio ſenſilis; quia humidum illud recipit eſſe magis denſum, et magis concoctibile. Hoc autem ut plurimùm determinatum eſt circa primum ſeptenarium menſium. et ita totum hoc tempus, quod eſt ante dentitionem (ut ita loquar) eſt una ætas. Cùm autem incipiunt dentire; incipit ſecunda ætas. Quæ quidem perſiſtit usq; ad ſeptem annos; quia non fit ulla ſenſibilis mutatio ante ſeptimum annum. et ita duæ ætates habentur. et, quare ſeptenarium accipitur? Dicebamus; quòd medici præter principia naturalia, aſſumpſerunt etiam numeros ſeptenarios; non quidem, quòd habeãt uim aliquam numeri; ſed propter aliam cauſam, nobis occultam. Nam in cauſa indagãda; Gal. nec ſibi, nec alijs; ſatisfecit. Sed (quidquid ſit de cauſa) experimento certè conſtat ita ſe habere. Sed, quare prima ætas ſit per menſes. 7. ſecunda autem ætas per annos; declarauimus hoc ſuperiùs; quòd, quantò uelocior eſt motus; tantò citius fit mutatio. Quantò autem tardior motus; tantò etiam tardior fit mutatio. et hoc tanquàm experimento cognoſcimus. Cùm igitur ſit uelociſſimus motus primæ ætatis; Ideo fit per ſeptenarium annorũ. Sed, quando puer acceſſit ad ſeptenarium primũ annorũ; fit ſenſibilis mutatio. Incipiũt. n. operationes animales eſſe uiuaciores, fiunt aſtutiores, fiunt aptiores ad motum, fit etiam uariatio mor-

borum.

borum. et ætas deuenit fortior, ſine ſenſibili mutatione; usq; ad ſecundum ſeptenarium annorum ad. 14. annos. Bene uerum eſt, quòd in. 30. Aphoriſmo tertiæ particulæ fecit diſtinctionem circa. 12. et 13. annum; et hoc fecit propter puellas, quæ incipiunt in ea ætate emittere menſtrua; Pueri tamẽ faciunt mutationẽ in. 14, et incipiunt emittere ſemen, et pubeſcunt. et, cùm ex hoc ueniunt ad tertium ſeptenarium; tunc incipit ferè alia mutatio ſenſibilis, ceſſat augmentum ſecundùm longum, ſunt ualidiores. et appellatur ætas, quæ eſt à. 14. usq; ad. 21; ætas quarta, quæ dicitur ætas adoleſcentiæ. Prima ætas dicitur prima infantia, ſecunda infantia abſolute, tertia pueritia, quarta adoleſcentia. poſtea ſuccedit iuuentus à. 21. usq; ad 28; in quarto ſcilicet ſeptenario; ubi augetur in latũ usq; ad quintum ſeptenarium. & tunc, neq; creſcũt in longum, neq; in latum, neq; in profundum, neque decreſcunt. Ideo dicitur illa ætas conſiſtentiæ; quia non uidetur facere ullam mutationem per totum ſextum, et ſeptimum ſeptenarium. Decreſcit quidem enim uirtus; ſed non ita, ut ipſe homo credat hoc. Quia nullus homo tunc credit ſe ſeneſcere; quia uolunt cum iuuenibus ſaltare, & haſtis concurrere, & uerſari cum mulieribus. Sed iuuenis bene perſtat in labore; ille autem defatigatur. & hoc bene cognoſcunt mulieres. et ideo ſignum eſt, quòd declinant uires. Hæc ætas dicitur ætas primi ſenij. Sed quãdo poſtea ad. 49. &. 50. annum perueniunt; tunc incipiunt dicere, ſeneſco. Sed priùs ægrè ferunt; ſiquis dicat ipſos ſeneſcere. & hæc

eſt ultima

eſt ultima pars ſenij. & illud, Catarrhi in ualdè ſenibus; expoſuit Gal. de hoc ultimo ſenio. & hoc nõ determinatur per ſeptenaria; ſed tẽdit usq; ad mortem. & ita ſunt quinque partes ſuæ diuiſionis primæ ætatis iuuentutis. Prima infantia uſque ad ſeptem menſes; Deinde infantia abſolutè uſque ad ſeptem annos; Deinde pueritia uſque ad. 14. annos; Quartò adoleſcentia uſque ad 21. annum; Demum iuuentus à. 21. uſque ad 28; Poſtea ſequitur ſtatus ſecunda pars principalis, quæ non ſubdiuiditur; & durat à 28. uſque ad 35; Poſtea ſequitur tertia pars principalis, ideſt decrementum; quæ ſubdiuitur in primum ſenium à. 35. annis per duo ſeptenaria, usq; ad 49; & in ſecundum ſenium à. 49. usq; ad finem uitæ. Si uultis habere unum ualdè utile; uolo uos exercere in una ætate; poſtea determinabo de calore, pueri, & iuuenis. Ego dicebam, quòd cognitio ætatum dat multam utilitatem, tum propter cognitionem morborum, tum propter prognoſticationem, tum propter curationẽ; Igitur ſunt exquiſitè ſciendæ. Quòd quidem faciant cognoſcere morbos; patet; quia diximus diſtinguendas eſſe ætates, ex calido, et humido. Ex proportione autem, calidi, & humidi; prout uaria erit (primo, & ſecundo; de gen. & cor.) in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus; ſequitur, igitur, quòd ſecundùm proportionem, calidi, & humidi; cognoſcẽtur uarij morbi. Quod ad prognoſticum attinet; patet, Quia, ſi plus de calido innato; prognoſticabimini, quòd morbus bene terminabitur, & facile. Si autem parum de calido,

& morbus

& morbus ſit magnus; prædices; aut, quòd æger non liberabitur; aut quòd tardè liberabitur. Manifeſtemus modò rem exemplo. Habeatis infantulum primæ ætatis ante ſeptennium. omnes autem morbi in iſto infantulo ſunt ex maxima humiditate; ut Hippo. tertio apho. dicit. Patiuntur, aphthas, uomitum, inflationes, pauores, terrores, & uigilias. Primò igitur; terrores, et pauores; ex plurimis uaporibus, aſcẽdẽtibus. Quia ita contingit in materia humida calefacta; non autem in materia ſicca. Vapores enim iſti turbulẽti conturbant ſpiritus; & inde ſequuntur pauores. Quòd autem aphthæ proueniant ex materia humida aſcendente; uideatis, quia fiunt iſtæ aphthæ in febribus peſtilentibus.

Vomitus ſimiliter eſt propter plurimum humidum incoctum. Subijciuntur item uigilijs. hic autem dicat quis; Imo uidetur contrariũ. Quia uigiliæ fiunt à ſiccitate; infantuli autẽ iſti ſunt humidiſsimi. Dico, quòd quamuis dormiant propter copiam uaporum plurimam; tamen, à quacunq; cauſa addatur calidum in humido; fiunt primò cataphoræ, deinde uigiliæ. Secundo prorrhet. ubi loquitur de iſtis uigilijs, quæ contingũt in phreniticis propter ſynocham præcedentem; primo fiunt cataphoræ, ideſt inclinatio ad ſomnum. Cùm enim ſit multum caliditatis in plurimo humido; neque dormiunt, neq; uigilant, quia pugnat calidum cum humido. &, ſi uicerit humidum; uertitur ad coma; ideſt ad ſaporem, uel ſubeth. Si autem uicerit calor; fiunt uigiliæ, et etiã inflationes umbilici. Vmbilicus enim re-

ciſus,

ciſus,non poteſt bene conſolidari;& propterea adeſt plurima humiditas, quæ non permittit conglutinationem.& ita conſiderata temperatura illius ætatis;cognoſcetis facilè morbos omnes, qui contingunt in illa ætate.Quantùm ad prognoſticum; cognita illa ætate, ſtatim poteſtis prognoſticari. Scitis enim;quòd ubi ſit calidum in multo humido; cùm ſint omnes operationes propter calidum, & humidum; quia materia fluxilis eſt de ſe, & calidum propterea concoquit; Ideo facilè fluit materia ad quancunq; partem.Vnde facilè cadunt in,epilepſiã, lipothymiam, & tremorem cordis; & ita facillimus eſt lapſus,& facile etiam ſananturr; Quia licèt ſit multa materia;tamen etiã eſt multus calor, & quandoq; etiam moriuntur propter uelociſſimum motũ morbi.Ideo in prognoſtico ſitis prudentes.Circa euacuationem; ſcitis in tali ætate,neqúe conuenire diætam,neq; miſſionẽ ſanguinis,neq; pharmacum; cùm ſit calidum multum cum plurimo humido.Tunc enim ſemper eſt corpus in perpetua trãſpiratione. Ideo humida corpora facilè defatigantur à quacunque cauſa, & à leui etiam labore. At,qui non ſunt humidi; perdurant in laboribus. Vnde uidemus Germanos,qui alioqui habent corpora lata,& uaſta; non poſſe tolerare labores. Contrà Hiſpani maximè ſufficiunt laboribus, & tolerant etiam inediam; quia in Germanis tranſpirat ſemper, in Hiſpanis non ita. Videmus etiam, qui facilè ſudant; eos ineptos labori. At,qui non ſudant; illi ſunt apti. & eſt propter eandem rationem. oſtendebat autem hoc Galenus exem-

plo

plo aquæ feruefactæ,et ferri candentis,quæ ſint eiuſdem quantitatis; ex aqua plurimum per diem euaporabit. At ex ferro minimum. Sic etiam prorſus eſt de corporibus,humidis, & ſiccis. & ita pueri non tolerant ieiunium,non laborem,non euacuationem.et ita, cognita temperatura ætatis; eritis domini artis. Plurimi igitur refert;habere cognitionem ætatis. In ætatibus ſequentibus habetis poſtea ætatem oppoſitam; ut in ſene. Quanquàm hæc in rei ueritate eſt maximè humida ex accidenti. Accipiamus igitur ætatem à 28. usq; ad. 35. oppoſita erit ratio; & ideo oppoſita etiam contingunt. Quia in his contingunt ægritudines ſiccæ,et phrenitides tabes. et ex cognitione ætatis cognoſcetis morbos. Scietis etiam prognoſticari; quia in hac ætate non facilè reualeſcunt, ubi in diebus criticis malus fuerit motus. Contrà, ſi bonus; recta tendit ad ſalutem. Quia ad quemcunqúe finem tendit motus; illum perficit. Quia eſt ualidiſſimus calor; qui non impeditur ab humido. Ad curationem autẽ; ſcietis oppoſita eſſe facienda; & iſtos tolerare ieiunium, quia non difflantur. Tolerant etiam miſſionem ſanguinis,& pharmaca. Aetates poſtea mediæ;medio ſe habent modo. & ita, cognitis extremis; cognoſcitis etiam media. Quantùm ad ſenium ſecundum; primò ſubijciuntur omnibus morbis humidis, ſed eſt alia humiditas.Quia humiditas; in ſenibus quidem eſt aduentitia,in pueris autẽ eſt ſubſtantifica. Quantùm ad prognoſticum; ſi motus malus fuerit; eſt deſperandum. Si autem uidetur bonus; non eſt confidendum,quia calor

eſt

eſt debilis. Quantùm ad curationem; non ferunt ieiunium, qui ſunt in ultimo ſenio, non tolerant pharmacum, neq; miſsionem ſanguinis. & ita in hoc ſunt ſimiles pueris; ſed alia ratione. Quia pueri non tolerant, quia difflantur; ſenes autem, quia non habent calorem innatum ualidum. Declaremus nunc literam Auicennæ; deinde ueniamus ad illã quæſtionem, in qua etiam erimus breues.

LECTIO. XXV.

CVM igitur viderimus diuiſionem ætatum, & ſubdiuiſiones. *Audiatis modò; quid dicat Auic. Diuidit enim genus in quatuor partes. & certè etiam, ſi accederet Demoſthenes; non poſſet defendi. Nos autem fecimus tres partes tantùm, incremẽtum, ſtatum, decrementum. Poſtea ſubdiuiſimus incrementum; deinde ſubdiuiſimus ſenium, ſiue decrementum. Auic. autem, dum ponit duas ætates ſenij; poſuit in prima diuiſione unum membrum, quod debebat ponere in ſubdiuiſione. Dixit autem ferè 30; quia recta periodus eſt 28. annorum. Sed à 28. ad 30. eſt pauca differentia; Tamen debetis ſeruare ſeptenarios, ſicut ſeruauerunt antiqui Medici. Auic. autem ita loquitur, quia in aliquibus perdurat uſque ad 30. annos, cùm uirtus non amittitur. Quomodò autem minuuntur ætates; ſi uirtus non minuatur. Nam ab operibus ipſarum, et gradibus; præciſè cognoſcitur gradus ætatis. Quid igitur dicit Auicenna? Credo Auic. idem uelle, quod dixit Galenus; ſed malè à ſuis interpretibus*

uerſum. Id eſt, quòd homo in hac ætate non cognoſcit ſe eſſe ſenem; & facit quæcunq; faciunt iuuenes; licet non poſsit in illis re ipſa perdurare, ſicut iuuenes. Sed, licet deficiant uires; non deficit animus. Poſtea autem in ultimo ſenio, non ſolùm deficiunt uires; ſed etiam animus. & tunc cognoſcunt, & apertè confitentur; ſe eſſe ſenes. In primo igitur ſenio uires ſunnt fortes intenſiuè; licet extenſiuè deficiant. In ultimo autem ſenio; deficiunt, intenſiuè, & extenſiuè. Que ferè eſt uſq; ad annos. 60. *Hic eſt manifeſtus error; Sed non credo eſſe errorem Auicennæ. Credo enim; quòd uelit dicere. 50. ita; ut ſit remouendum illud* (10) *Nam in. 60. anno eſt manifeſta uirtutis defectio, & intenſiuè, & extenſiuè. Hippo. non diuiſit ætatem ſenij; ſed dimiſit integram, ſicut et ſtatum; tertio aph. in illo aph.* (*In ſenibus catarrhi.*) *Galenus autem ibi in commento ſubdiuiſit poſtea;* Et *in ætate dentium plantatiuam, quæ eſt poſt ambulationem. Aetas enim dentientium; eſt reuera uſq; ad ſeptimum annum, quia non priùs perficitur dentitio. Non, quòd incipiat poſt ambulationem; ſed incipit poſt ſeptimum menſem, non perficitur autem ante ſeptennium. & hoc ita intelligendum eſt; ut excuſetur Auicenna.* Poſtea eſt ætas concuſsionis. *Aetatem concuſsionis intellexit Iacobus Forliuienſis; propterea; quòd tunc incipiunt concuti, & agitari; circa Venerem. Sed hoc non eſt uerum, quòd agitentur in ſeptennio ad Venerem. Sed intelligit ætatem concuſsionis; quia tunc exercentur, ſaltant,*

ſaltant, & fiunt aptiores ad motum. Quia tunc humidum concoquitur; quod impediebat motum. Tacuit uerò ætatem ſtatus; propter breuitatem; Quia includit illam ætatem in quadam, quæ ſequitur. & ſic apud Auicennam, uidetis ætates illas omnes, quas enumerauimus.

Infantium, non ſolùm ab infantia uſque ad iuuentutem. *Cùm in ſuperioribus uiderimus temperaturas ſingularum ætatum; & ſuppoſuerimus, probauerimusq; etiam quadamtenus uitam humanam conſiſtere in, calido, & humido; & ex proportione, calidi, & humidi. & mutatione; diſtingui ætates ſingulas; Quæritur igitur nunc, ex quo uſq; ad 35. non diminuitur calor, in qua ætate ſit calor maior? Non comparat autem ætates medias; ſed extremum extremo. Sicut enim infantia eſt humidiſsima omnium ætatum; deinde pueritia, Ita omnium ſicciſsima ætas uigens, ſiccitate uidelicet naturali. Nam (ſicut dicebat Ariſt primo ethicorum) nõ debemus conſiderare naturas corruptas. In ſenibus autem eſt natura corrupta; quia calor flaccesſcit. Quæſtio igitur ſit ita terminata; quantùm ad titulum; Vtrùm ſit maior calor in puero, an in adulto; & in ætate conſiſtente, an in iuuene. Nam hoc modo etiam proponitur à Gal. Hæc quæſtio fuit difficillima apud antiquos; & à Modernis etiam male tractata. Primò, quoniam antiqui arguebant ad utranq; partem, et bonis etiam rationibus; proponemus rationes utriuſque partis; & eorum, qui defendunt calorem pueri; & eorum*

eorum, qui defendunt calorem adulti. & poſtea oſtendemus ipſos errare multùm. Tertiò declarabimus ueritatem rei cum Gal. Dimiſsis nugis modernorum. Primò igitur antiqui, qui arguebant calorem eſſe maiorem in pueris; arguunt quidem ſic ab ipſa materia. Quæcunq; corpora habent plus de ſanguine; illa ſunt calidiora. Pueri plus habent de ſanguine; ergo. Maiorẽ habent pro manifeſta; nã, et in. 2. de part. animal. et in lib. de reſp. hoc dicitur ab Ariſt. Minorem ẽt habent pro manifeſta; quia ex ſanguine ſunt recẽter geniti ita, ut ut etiam oſſa in uictimis tenellis ſint rubea. Deinde cõfirmãt argumentũ hoc modo. Cũ quidem ſit animal ex ſanguine; ſecundũ peripateticos, quò magis propinquat ætas principio, eò magis habet de ſanguine. Secundò ab operationibus. Operationes quidem omnes fiunt à calore. Sed pueri primò augẽtur; adulti non augentur. Tertiò. Pueri appetunt magis. Quartò. Pueri optimè conficiunt alimentum; Confectio autem alimẽti eſt à calido. His autem argumentis reſpondent, qui ſtant pro adultis. Ad primum argumentum; negant minorem. Immo pueri plus habent pituitæ. Cuius ſignum eſt; quòd redundant in omnibus pituita, & omnes eorum ægritudines ſunt à pituita. Bene autem redundat ſanguis in adultis; quia plurimus ſanguis exit è naribus. Præterea; ſi in adultis mittatur multa copia ſanguinis; facillimè tolerant. Quod quidem non tolerant pueri. Ad ſecundum; derident maiorem, quia natura utitur ſanguine pro inſtrumento. Deinde ad illud; Quando dici-

tur; Pueri plus augentur; ergo plus habent caloris; negant conſequentiam. Nam ad augmentum requiritur materia. Adulti autem non augentur; non, quòd deficiat calor, qui eſt cauſa efficiens; ſed, quia nõ habent humiditatem, quæ eſt materia. Deinde plus appetunt, ergo plus habent de calore; negatur conſequentia, quia appetitus potiùs procedit à frigiditate. Ad quartum, quoniam dicunt; plus concoquunt, ergo, &c. negatur antecedens. Immo peßimè conficiũt. Cuius ſignum eſt; quòd ſemper redundant excrementis, & habent urinas craſſas. & ita facilè ſoluuntur omnia illa argumenta. Arguunt poſtea quaſi pro ſe hoc pacto. Quicunq; habent plus de calido, & ſicco, hoc eſt de bile, hi ſunt calidiores. Sed adulti tales ſunt, habent enim plus de bile; ergo. Maior eſt manifeſta, quòd bilis ſit calidior. Quia bilis eſt, amara, acris, & erodẽs; ſanguis autem eſt dulcis; ſicut patet ex principijs, Ariſt. Theoph. Gal. & Platonis; Qui conſiderarunt ſapores. Secundò arguunt ab operationibus. Adulti habent operationes animales intrinſecas. at, extrinſecas, & motiuas; & ſenſitiuas. At operationes uegetatiuæ fiunt à caloris abundantia. Tertiò ab affectibus. Adulti ſunt uigiles; pueri autem ſomnolenti. Vigiliæ autem ſunt à caliditate; ſomnus à frigiditate. Vnde phrenitici nunquam dormiunt. Quartò; In ætate perfectißima debet eſſe forma perfectiſſima, quæ poßit eſſe. Quia ætas dicitur perfecta propter perfectionem formæ. At ætas adultorũ eſt ætas perfectißima; ergo habet perfectißimam formam. Sed forma

forma perfecta conſiſtit in perfectis operationibus, operationes perfectæ conſiſtunt in auctione caloris. Hæc itaq; ſunt argumenta alterius partis. et bene notate; quia hæc collegi, quæ erant ſparſa. Qui uerò ſtant pro pueris; non minùs efficaciter diluunt argumenta iſtorum. Ad primum enim; negant antecedẽs (quòd ſcilicet bilis ſit calidior ſanguine) dicẽdo, quòd caliditas dupliciter intelligitur, actu, & in potentia. Si intelligis de caliditate actuali; nihil eſt calidius ſanguine. Si enim bilis ſit calida; eſt calida præſentia, ſanguinis, & ſpirituum. Ideo dicunt; Tu es in æquiuoco; quia nos loquimur de caliditate actuali, non complexionali. Bilis autem eſt quidem calidior in complexione; ſed non in caliditate actuali. Ad ſecundum argumentum ab operationibus exquiſitis. Concedo, quòd habeat tales operationes; ſed nego maiorem, quòd operationes uegetatiuæ prouenient à calore maiore, ſed à ſiccitate. Vnde dicebat ille; Anima ſicca; ſpiritus prudentißimus. Ideo pinguia capita ſunt plena butyro; & (ut dicebat Pomp.) inepta. Ideo adulti, quia habent calorem; & plus de ſicco; quàm pueri; habẽt operationes uegetes. Siccum enim adiuuat actionem caloris. Ad illud de ſomno; negatur; quòd ſomnus (loquendo de ſomno naturali) ſit à frigiditate, ſed eſt ab humiditate, ut etiam dicit Ariſt. in lib. de ſomno et uigilia. Frigiditas autem non inducit ſomnum naturalem; ſed ſoporem. Vnde, ſi uelis conciliare ſomnum; exhibeto humida. Si ſoporem, frigida. Si igitur adulti ſunt uigiles; hoc eſt, quia ſunt ſicciores.

Pueri autem ſomnolenti, quia humidiores. Ad illud autem de forma perfecta; negatur, quòd forma conſiſtat in ualidiſſimo calore; ſed in temperato potiùs, et depurato. In adultis uerò contingit perfectior eſſe forma; non, quia calor ſit auctus; ſed, quia ſit depuratus, quia humiditas faciebat calorem impurum. & ita uidetis quomodò iſti Viri inuicem ſe deſtruunt; et nihil adhuc certi habent. Quia reuera reſponſiones ſunt ueriſſimæ; & argumenta pro utraq; parte ſunt falſiſſima. Galenus igitur, qui fuit medicus, philoſophus; & dialecticus; cognouit ueritatem. Dicit igitur, quòd hi peccauerunt dupliciter. Primò; quia aſſumpſerunt propoſitiones, quæ indigent probatione; &, quæ pendent ex ueritate concluſionis. Secundò; quòd, ubi erat opus ſenſu; uſi ſunt rationibus. Dupliciter igitur peccarunt. Quia, cùm ſint duo inſtrumenta, iudicatoria, ſenſus, & ratio; uſi ſunt ratione, ubi opus erat ſenſu. &, ubi opus erat ratione; non rectè acceperunt rationes. Quantùm ad primum; non uſi ſunt demonſtratiua ratione, quia, quod debebat eſſe præmiſſa; fecerunt concluſionem; &, quod debebat eſſe concluſio; fecerunt præmiſſam, & primò; quando dicunt; quòd, qui habent plus de ſanguine; illi habent plus de caliditate; primò oportebat conſtare illud; Quæ nam ſit illa temperatura, quæ faciat plus ſanguinis. Nam hoc eſt propter temperaturam, (& ita eſt de alijs) Quia præſupponitis id, quod non conſtat; & per propoſitiones ignotas probatis. Secundò; peccatis (inquit Galenus) quia hic eſt ſermo de caliditate

liditate in actu. Caliditas autem in actu; debet probari, actu, non demonſtratione. Stultus enim eſſet, qui uellet probare ignem eſſe calidum demonſtratione. Si igitur (inquit Galenus) tangatur puer; ſentietur caliditas, ampla, & ſuauis; ſi autem tangatur adultus. ſentietur eſſe magna caliditas, ſed mordacior; Illa ergo, quæ eſt in puero; eſt quidem æqualis in quantitate cum caliditate in adulto; ſed differunt; quia caliditas in adulto eſt intenſior, quia eſt fundata in ſicco. & dat exemplum de flamma. Quia, ſi eadem portio flammæ ponatur in ferro, & in ſtipula; erit eadẽ quidem caloris in utroq; quantitas; Sed erit intenſior in ferro, quàm in ſtipula. Hæc igitur fuit poſitio Gal. quam ſequitur hic Auic. & optimè intellexit ipſam. Hic nonnulli deridet Galenum; & dicunt, eum eſſe ſomniatorem. Nam, quomodò intelligis (inquiunt) eſſe æqualem calorem in iuuene, & in puero? Vtrùm de ſubſtantia caloris, an de qualitate loqueris? Vtroq; enim modo nugaris. Quia, ſi de ſubſtantia intelligas; certum eſt, quòd eſt plus in puero, quàm in iuuene. Vnde dixit Hippoc. in. 14. Aphoriſ. primæ part. Qui creſcunt; habent plurimum innati caloris, & ſunt etiam tua ſemina ò Galene. Si enim de caliditate intenſiua loqueris; longè ſunt calidiores adulti, quod etiam tu fateris. Quam igitur tertiam caliditatẽ ponis, quam dicis eſſe æqualem? Præterea; æqualitas dicitur de ſubſtantia; & eſt nomen, quantitatis, non qualitatis. non intelligo igitur (inquiunt hi) quomodo tu ò Gal. ponas calorem æqualem eſſe in pueris, & adultis.

adultis. Cùm enim dicunt, ſe neſcire de qua caliditate intelligat Gal. Rectè dicũt; quia fatentur id quod eſt; ſe eſſe ignorantes. Quando autem interrogãt ipſum de qua caliditate intelligat; Vtrũ de caliditate in ſubſtantia, an in qualitate. Reſpondemus, quòd de neutra intelligit Gal. quia non de ſubſtãtia. Quia fateor, hoc modo plus eſſe caloris in puero. Neq; de qualitate; quia hoc etiam neceſſariò fateor plus caloris eſſe in adulto. Quando autem dicunt, non eſſe aliam caliditatem; non uerè dicunt; Quia ego dico, quòd eſt una tertia. Nonne calor innatus eſt, quidam corpus? et corpus ſimiliter humanũ eſt corpus miſtũ; ergo ſunt cõpoſita ex quatuor elemẽtis. Calor innatus eſt quoddã compoſitũ; conſtãs ex, aere, et aqua; pro materia, Cui aduenit pars ignea in actu, quæ facit miſtionẽ. & hæc eſt ſubſtantia, & in cõpoſitione, & in miſto; & ita calor natiuus eſt corpus miſtum ex quatuor elementis. Si accipias hanc partem igneam (quæ dicitur elementum ignis, & forma, ſiue temperatura, ſiue radix caloris) quia egit radices in humido; & depaſcitur; tantum eſt de elemento calido in corpore pueri, quantum in corpore adulti. Sed differunt; quia hæc pars ignea; in miſtione in puero eſt in ſubſtantia humida plurima. In adulto autem, non eſt in tanto humido. Nam à principio generationis datum eſt in miſtione tantum de igne, quantum conueniebat pro forma, & temperatura hominis. Hic autem ignis; tam diu ſtat in eadem quãtitate, quàm diu habet ſubiectum humidum conueniens. &, quàmuis humidum fluat, & reparetur

reparetur per nutritionem; tamen forma manet, quæ eſt ignis. Fit autem illa reparatio ſub forma; ſicut incrementum ſub forma non in forma. Exemplo autem; utres, per quos confluit flatus iugiter; frigidus tamen in utribus manet. In terra tamen euaporat quoddam uaporoſum; non tamẽ calor, ſiue ignis. Si igitur ita eſt; quare non debet eſſe idem calor, & in puero, & in adulto; Cùm in utraq; ætate ſit tantũ de humido, quantum oportet pro ſubiecto, caloris? licet igitur ſit in ſubiecto, magis humido, et minus humido; tamen idem calor perſeuerabit; quàmdiu tantum remanet de humido, ut poſſit eſſe conueniẽs ſubiectum. In pueris autem, quando nimium humidum erat, calor non poterat uires ſuas exercere; Ideo non erat acris. At in adulta ætate, quia humidum redundans eſt conſumptum; manet tamen tantum de eo, quantum opus eſt pro ſubiecto; Ideo manet idem calor in ſubſtantia, ſed acrior in qualitate. Idem quidem manet; quia adhuc, tantũ reſtat de humido, quantum ſat ſit pro ſubiecto. Acrior autem; quia non impeditur à redundantia humidi, quin exerceat ſuas uires. Addit Auic. unum argumentum; quo probat remanere eundem calorem in ſubſtantia in adulto, ſicut erat in puero.

LECTIO. XXVI.

QVONIAM diximus in quæſtione quæcunq; attinebant ad rem, unde poſſit textus facillimè intelligi; Ideo non opinor eſſe neceſſarium, ut declarẽ textum. Quoniam conſumeremus nimium temporis in declaratione

ratione textus; et nos oportet progredi ad pulchriora. Vnum tamen dicam, in quo quis forte poſſet dubitare. In textu eſt illa uox Arabica iſtimbre. Apud Arabes. Videlicet, iſtimbre, albendan, et alandagi ſunt tria nomina diſtincta; Iſtimbre; quidem dicitur bona diſtributio. Albenadan; autem eſt alteratio, cibi, & humoris; ad hoc, ut conuertatur in ſubſtantiã nutriti. & hæc eſt concoctio proprié dicta. Alandagi uerò; quando concoquitur aliqua materia ad expulſionem; & hæc eſt concoctio improprié dicta. Sequitur igitur; Hæc ſunt dicta de complexione pueritię, & iuuentutis; vt Galenus declarauit. Hoc poteſtis dupliciter intelligere. Vel, quòd eſt interpres in omnibus libris quinq;, quod eſt uerum; uel quòd in hoc loco. Prætereà ſciendum eſt; quòd caliditas. Poſtquàm pertractauit de omnibus complexionibus, & ætatibus; quæ incipiunt à primo ortu uſqúe ad ſtatum uitæ; Supererat dicere de ætatibus ſequentibus, quæ incipiunt diminui; & dicuntur anni uſq; ad ſtatum anni uenientes. Poſt ſtatum autem; dicũtur anni recedẽtes. Vnde Horatius in poetica. Multa ferunt anni uenientes commoda ſecum. Multa recedentes adimunt. Hic eſt inquiſitio iucũdiſſima ſcitu; quæ nam ſit cauſa diminutionis iſtius; et, quæ ſit cauſa mortis. Quia diminutio iſta eſt proceſſus ad mortem; ſicut proceſſus à primo ortu uſq; ad ſtatum eſt proceſſus ad uitam meliorem. Audiatis igitur attentiſſimé; Præſertim; quia interpretes in hac re ita ſunt confuſi; ut ſicut cæci titubent, huc, & illuc; & dicant; ſex-

centas

centas opiniones. Nos autem recitabimus ſententiam Galeni, & Ariſt. qui ſunt cõcordes in hoc. Antequàm igitur dicamus, quæ ſint cauſæ mortis; oportet habere conceptum de morte, quid ſit. Mors igitur tertio de criſi. cap. 5; ſecundo de temp. et in lib. de uſu reſp. cap. ultimo; eſt extinctio caloris innati, & deſtructio uirtutum. Sed ſufficiebat dicere, quòd ſit extinctio caloris; quia uita eſt ſubſtantialiter in calido. Si igitur inueniemus cauſas, quæ naturaliter (nam non loquor de cauſis uiolentis) ſunt cauſæ extinctionis caloris; habebimus cauſas mortis neceſſarias. Quæ ſunt igitur iſtæ cauſæ naturales, extinctionis caloris innati? Antequàm cognoſcatis has cauſas; oportet uidere, quid intelligamus per calorem innatum; (quando dicũt uitam eſſe in calore naturali) nunquid de qualitate, an de ſubſtantia caloris; intelligamus? Non intelligimus de ſubſtantia, de qua intellexit Gal. in illo Aphoriſmo (Qui creſcunt, &c.) neq; de calore elementari; ſed intelligimus calorem complexionalem, de quo intelligebamus in quæſtione. Scitis enim; in temperaturis eſſe elementum ignis, qui ignis uariat pro natura temperaturarum. Intelligitur ergo ſubſtantia ignea, quæ ingreditur temperaturam corporis; & hunc dicebamus eſſe æqualem in temperatura pueri, & adulti. De hoc eodem hic intelligimus; & intellexerunt, Gal. & Auic. Quæ nam igitur cauſa naturalis extinctionis huius innati caloris? Naturaliter extinguitur propter cauſam immediatam; quotieſcunq; uitiatur inſtrumentum, generans calorem. Si igitur ſciatis in-

ſtrumentum,

ſtrumentum,generans calorem,& ,quæ ſint cauſæ uitiantes ipſum inſtrumentum: ſcietis cauſas naturales extinctionis caloris naturalis. Scitis autem ex, Ariſt. & Gale. primum principium caloris innati eſſe cor; Donec igitur conſeruabitur cor ita,ut non uitietur,et poßit ſuum opus operari, ideſt generare calorem; Interea durabit uita, & calor innatus. Scitis aũt, quòd membrum ſecundùm ſuam ſubſtantiam facit ſuas operationes; Cor igitur generat, ſpiritum, & calorẽ innatum per ſuam ſubſtantiam mediante temperatura. Poteſt autem uitiari ſubſtantia cordis, uel ſolutione continui, uel compoſitione, uel intemperie. De primis duobus nunc nihil dico; de intemperie tãtùm dico. Quia hæc eſt cauſa naturalis. Igitur per intẽperiem cordis naſcitur extinctio caloris innati. Sed,quæ nam eſt hæc intemperies cordis, quæ efficit extinctionem caloris? Contraria quidem illi,quæ ſuſtinet uitam. Diximus autem,uitam formaliter fundari in calido; ſubiectiuè in humido. Oppoſitum autem eſt,frigidum,et ſiccum; in quo conſiſtit proportionaliter mors. & ſic cauſa immediate mortis naturalis eſt intemperies,frigida, & ſicca; cordis. Si ſcietis igitur, quæ nam ſint cauſæ naturales,refrigerãtes,et ſiccantes; ipſum cor; ſcietis etiam, quæ ſint cauſæ extinctionis, caloris, & mortis. Hæc autẽ ſunt intrinſecæ, et extrinſecæ cauſæ. De intrinſecis primò dicamus. Intrinſecæ ſunt, quæ ſunt in ſubſtantia cordis. Prima cauſa eſt materia prima, quæ eſt in corpore miſto; quæ habet in ſe ſemper appetitum ad nouam formã. Eſt proficto magna

gna meretrix hæc materia prima; & fiunt illa æua; et eſt materia fœmina,ex qua mors ſequitur; primo phyſic. 81. Sed notetis; quòd materia prima dupliciter intelligitur apud philoſophos. Vel,pro ut eſt intelligibilis; ideſt,prout eſt prorſus denudata à forma. & tunc ſecluduntur, & corporeitas, & alia omnia. & tunc habet contingentiam ad utrumlibet. Illa,autem ubi eſt ſub aliqua forma; nunquàm poteſt deſtrui, niſi à contrario deſtruatur. & ſub hac intẽtione quærit Ariſt. in lib.de,cauſis long.et breu.uitæ; & ponit argumenta aliorum. Materia igitur prima, hoc modo conſiderata; eſt indifferens ad omnem formam; & non magis appetit hanc, quàm illam. et,qui poſuerunt materiam cœli eſſe eandem; quæ eſt,generabilium,& corruptiblium; Ita accipiebant materiam primam. Alio modo accipitur materia prima; prout ſemper habet aliquid de forma oppoſita. Et ita nunquàm denudatur ab una forma; quin habeat in ſe aliquid formæ oppoſitæ; Exempli cauſa; ſit modo ſub forma ignis. Non eſt ita ſub forma ignis; quin etiam ſit ibi aliquid in potentia, & in diſpoſitione de oppoſito. Sed dicitur corpus ſimplex; quia nihil apparet de forma cõpoſita. Et Albertus, qui poſuit inchoationem formarum; fortaßis meliùs intellexit opinionem Græcorum. Hanc autem opinionem tuetur Michael Epheſius in lib. de cauſis long.& breu.uitæ; ſuper illo textu,ubi quærit Ariſt. Vtrùm ignis corrumpatur ſub concauo lunæ. Ponit autem Ariſt. ſuam ſententiã,etiã Auer. 9.met.comm. non bene memini. Dicit enim; quòd omnis potentia habet

bet in ſe contradictionem. Cùm igitur ſit in materiá ignis; illa potentia eſt potentia ad contradictionem. Si ignis non corrumpitur ab extrinſeco; ergo ab intrinſeco à potentia ſua. At, ſi potẽtia ſit tantùm pura priuatio; nunquàm corrumpetur, niſi ab aliquo extrinſeco. &, licet hoc ſit in remiſſo gradu; tamẽ, quia omne agens in agendo repatitur (licet non ita citò poſſit reagens perficere) ideo illa potentia cõtraria tantùm agit, ut educatur tandem forma contraria. Hæc igitur materia prima, ſecundo modo intellecta; eſt illa, quæ eſt cauſa mortis prima neceſſariò, quam poſuit Ariſt. in eo libro. Secunda cauſa eſt ipſa miſtio. Nam præter materiam illam primam; habemus miſtionem ex contrarijs manifeſtam, ideſt ex quatuor elementis; quæ habent contrarias qualitates, & ſemper inter ſe pugnantes. Tertia cauſa eſt calor ille complexionalis. Qui, cum ſit actu; ſemper indiget fomento. & fomentum hoc eſt humidũ; calor igitur hic conſumit humidum proprium (licet per accidens, non prima intentione) quia ipſe quærit nutriri, ut cõſeruetur. Sed hãc nutritionem ſequitur humidi conſumptio; ueluti flamma in lignum agendo ſe conſumit. Quarta cauſa ſunt excrementa; quæ, quia ſunt excrementa; ſunt contraria. Ideo, cùm ſint contraria; agunt contra uitam. & eſt neceſſarium, ut iſta excrementa multiplicentur; quæ progreſſu ætatis fiunt, frigida, & humida; quæ extinguunt calorem. In ſenectute enim multiplicatur pituita; & tunc per ſaltus maximos confertim tendimus ad mortem. Quinta cauſa ſunt uirtutes; quæ ſunt tanquàm

tanquàm milites auxiliarij. Hæ enim uirtutes ſunt finitæ; & ideo oportet finiri ſecundùm, quòd finitur ſubiectum, in quo ſunt. Deſtructis enim uirtutibus; deſtruuntur operationes. Quibus deſtructis; deſtruitur uita. Sunt autem hæ cauſæ intrinſecæ. Sunt modò, & aliæ plurimæ extrinſecæ. Neceſſarium enim eſt, ſi uelimus uiuere; ut ſimus in aere, at aer exiccat. Oportet, etiam ut comedamus, & bibamus; ut nutriamur. At in nutritione, & coctione; deteritur calor, & debilior ſemper fit, Quia, qui pugnant; licet uincant, tamen debiliores fiunt. Præterea oportet laborare; at motus exiccant, & deterunt. Oportet etiam uigilare; at uigiliæ & ipſæ deterunt. Somnus etiam perdit humectando. Videtis; igitur quot cauſæ, & quàm potentes; cõcurrant ad interitum noſtrum. Hic modò quæſiuerunt nõnulli; utrùm ſit aliquod remedium euitandi mortem. Quia enim tota difficultas uidetur eſſe in eo, quòd deperditur humidum, Ideo, ſi poſſet inueniri aliquod remedium conſeruandi hoc humidum, & reſtaurandi; utrùm hoc pacto poterimus fugere neceſſitatem mortis? Reſpondet Auic. quòd etiam, ſi quotidie tantum reponatur, quantum diſſoluitur; tamen etiam ſequeretur neceſſariò mors. Vnde autem hoc, ſi tantum reſtauratur, quantum diſſoluitur? Tu quidem dicis quantitatem; at non ſufficit quantitas (ut dixi ſupra) ſed eſt etiam neceſſaria qualitas. At qualitas non poteſt reſtaurari; quia uirtus concoquendi non poteſt ita concoquere nutrimentum, ut ſit idem nutrimẽtum in qualitate cum deperdito. Immò deuenit eò tandem humidum,

humidum, ut iam non poßit nutrire ampliùs. Quando enim animal generatur in principio fœtus;quia habet humidum,conuenientißimum,& obedientißimum;tũc habet triplicem potentiam,formatiuam,nutritiuam,et augumentatiuam. Quàmdiu igitur illud humidum eſt obediens; tàmdiù perſeuerat formatiua. Demum autem; ubi humidum eſt magis exiccatum; ceſſat formatiua;& remanent duæ aliæ. Poſtea;quando humidum magis recedit à ſua obedientia; ceſſat et augmentatiua; demum etiam ceſſat nutritiua ita, ut pro ſanguine generetur pituita.Si igitur poſſemus inuenire aliquid, quod reſtauraret quale ipſum; ꝑpetuaretur corpus. Sed adhuc non eſt inuenta eiuſmodi ars.Et ita habetis, quæ ſint cauſæ, intrinſecæ,& extrinſecæ;mortis; et, cur mors omnino ſit neceſſaria. Omnia modò ſunt facilia in Aui.Ipſe autem non ſeruat ordinem ullum;ſed confundit cauſas internas, & externas; & defectus naturæ ad reſiſtendum. Cùm hæc externa exiccant; non eſt reſiſtentia ex parte paßi.& probat;quia omnes uirtutes ſunt finitæ.Cur autem ſint finitæ; nõ uult probare Auic. ſed uult ſumere ab ipſo phy. Probat autem hoc Auer.decimo met.com.41; Videlicet,quòd omne habens potentiam; uel eſt corpus, uel uirtus in corpore.Vt oculus quidem eſt corpus; uiſio autem eſt uirtus in corpore. Sed, cùm omne corpus ſit finitum (ut mõſtratur ab Ariſt.primo cœl.) ergo & ſuæ potentiæ erũt finitæ.et,quatenus corpus eſſe eſt finitum; eatenus & eius potentiæ ſunt finitæ. Vnde uidemus, quòd corpora cœleſtia habent tantùm potentiam ad ubi.

ubi. Quia enim corpus cœleſte habet tãtùm finitatem ad ubi, & ad ſitum; ideo potentia ad ubi tantùm finita eſt in corpore cœleſti.

Omnes enim uirtutes corporeæ finitæ ſunt.et omne,quòd habet cauſam corruptibilem; eſt finitum. Sed uirtus corporea habet cauſam corruptibilem; ergo finita. Maior eſt Ariſt.12.met.29. Minor etiam patet; quia uirtutes iſtæ ſunt à temperatura.et ita patet uerum eſſe; quod dicit Auic.quòd hoc eſt probatum à philoſopho naturali. Quod ergo ex hoc acquiſiuimus;hoc eſt. Colligit Aui.quæ ſupra dicta ſunt; & ait colligi, quòd pueri adoleſcẽtes iuuenes ſint calidi, Senes autem frigidi. habetur etiam; quòd pueri ſunt humidißimi omnium; quia ſunt geniti ex principijs humidis recenter. & ſenes ſunt omnium ſiccißimi; ex fundamento poſito, quòd,quantò diutiùs calor agit in humidum; tanto magis conſumitur humidum, ad quod ſequitur ſiccitas.habemus etiam;quòd pueri, & adulti;habent eandem ſubſtantiam caliditatis naturæ; intelligendo ſubſtantiam; prout dicitur calor innatus componi ex,aere,aqua,& igne. Sed intelligendo de ſubſtãtia illa ignea, quæ ingreditur in miſtionem caloris; in puero quidem hæc ſubſtantia ignea eſt in maiore humido, & in minori acutie. In adulto autem eſt; in minore humido, & in maiori acutie. Sequebatur quartò; quòd adulti ſunt in maxima æqualitate. Ideo bene dicitur ab Auic. quòd ætas illa eſt ætas, pulchritudinis, & fortitudinis. Quintò collectum eſt ab Auic. quòd adulti, ſi comparentur pueris; ſunt

ſunt ſicci. Si comparentur uerò ſenibus; ſunt humidi. & hoc patet in alijs medijs; quando comparãtur extremis diuerſis. Ex his igitur comparationibus reſoluetis intellectum uestrum, ita; ut perfectißimam ſcientiam ætatum habeatis. Secundùm verò diuerſitatem complexionum generum; fœminæ. *Modò, quia erat alia differentia complexionum ratione ſexus; quia ratio temperaturarum uariat, & in maribus, & in fœminis; & hoc propter ſcopum Medici; quia alia remedia ſunt applicanda, fœminæ, alia maſculo;* Ideo Auic. *de hac differentia in præſenti hac parte loquitur. Nos igitur in declaratione huius differentiæ, quæ ſumitur à ſexu; quòd temperatura fœminæ ſit frigidior temperatura maris; Primò per rectam, uiam, & rationem; inueniemus fundamenta, per quæ poßitis iudicare talẽ temperaturã eße in utroq; ſexu. Circa igitur cognitionem huius rei; debetis ſcire primò; quòd eſt diſcrepantia inter antiquos, utrùm ſit calidior fœmina uiro. Parmenides enim (ut oſtendit Ariſt. ſecundo de part. animal. cap. ſecundo) credidit mulieres calidiores uiris. et affert tres rationes. Prima. Vbi plus de ſanguine; ibi plus de calore. Sed in fœmina plus eſt ſanguinis; ergo. Maior quidem eſt monſtrata; & eſt, Galeni, & Ariſt. Minor autem patet ex menſtruis, quæ emanant in magna copia ſingulis menſibus ex fœmina; & tamen facilè tolerantur. At, ſi in uiro fiat copioſa ſanguinis miſßio; non tolerat. Secũda fœminæ citiùs creſcunt, quàm uiri. Sed hoc eſt propter plurimum calorem. Tertia; Fœminæ ſunt procacißimæ,*

cißimæ, & ſalacißimæ ad Venerem. Vnde dixit Poeta ille; Et laſſata uiris, nondum ſatiata; receßit. Salacitas autem atteſtatur caliditatem; ut dicit Galenus ſecundo artis paruæ. Vnde dixerunt, Satyros eſſe ſalacißimos. In contrarium eſt Gal. & in ſecundo de temper. & alibi ſæpè. Eſt etiam Ariſt. in quarto de gener. animal. per multa capita. Rationes, autem quas afferunt, Gal. & Ariſt. uidebimus in determinatione quæſtionis. Pro determinatione quæſtionis; debemus primò diſtinguere, de qua caliditate ſit ſermo. Nã triplicem calorem poſuimus; Primò pro quantitate; ſecundò pro ſubſtantia tota ex quatuor elementis; Tertiò pro parte ignea, quæ eſt in temperie. Quo modo igitur intelligitur hoc loco? Vtrùm de calore intenſiuè; an de calore; idest de tota ſubſtantia, an de parte ignea. Nam poſſet fortè eſſe idem de muliere cum uiro, quod dictum eſt de puero, cum adulti calore. Quia fœminæ ſunt, molles, & humidæ, ſicut pueri ita; quòd calor ſit in uiris, acrior, & intenſior; quàm in fœminis. In fœminis autem maior ſecũdùm totam ſubſtantiam; Secundùm autem partes igneas ſit æqualis calor in utrisq;. Vis ne igitur ita dicere de, fœmina, & uiro? Nolumus quidem hoc dicere; ſed, quòd comparata fœmina quacunq; comparatione; ſemper eſt frigidior (cæteris paribus) uiro; &, quòd fœmina minus habet de igne in quacunq; ætate, quàm uir. Idest; quòd in propria temperatura minus habet de igne. Inſcriptione igitur ita declarata; dicimus, quòd fœmina ſit frigidior uiro. & hoc patet ex fundamento, & ex ip-

ſis principijs generationis. Ariſt. enim quarto de partibus animal. hoc diſputans; primo ponit opiniones antiquorum de generatione fœminæ. & primò opinionem Empedo: qui dixit; quòd ſemen, ex quo generatur fœmina; frigidius ſit, ex ſemine autem calidiori generatur mas. Secundò Democriti; qui uoluit generari marem, quando ſuperat ſemen maris in quantitate. Quando autem ſuperat ſemen fœminæ; generari fœminam. Tertiò aliorum; qui uoluerunt, tunc generari marem; quando cõceptus fieret in dextra parte uteri; Fœminam autem; quando fieret in ſiniſtra parte. Ariſt. autem ſagaciſſimus reprobat has tres opiniones. Bene enim uerum eſt (inquit) quòd omnes adiuuãt ad generationem; ſed non ſunt neceſſariæ. Et ita argumentatur; Vel quidem hoc uiderunt in anatome, uel non uiderunt. Si uiderunt; ſunt mendaces; quia aliter dicunt, quàm uiderint. Si autem non uiderunt; ſunt temerarij; quia affirmant, quòd neſciunt. Nam nos (inquit) obſeruauimus; in utroq; latere uteri generari fœminam. & ita uana eſt tertia opinio; quæ profitetur marium generationis cauſam eſſe, quòd cõceptus fiat in parte dextra uteri. Fœminarum uerò; quòd fiat in ſiniſtra. Quantùm etiam ad caliditatem, maiorem, uel minorem; non eſt neceſſarium. Similiter de copia, maiori, uel minori; ſeminis. Nã hoc reprobatur quotidiana experientia. Vnde igitur fit, ut generetur, maſculus, & fœmina? oportet enim inuenire cauſam, neceſſariam, & proximam, nõ remotam. Certum igitur eſt; quòd operatio naturæ in rebus caducis fit per co-

ctionem.

ctionem. Concoctio autem fit à calido; & præter calidum indiget uirtute aliqua agente. Quando igitur agens attingit proprium finem; ſemper generatur mas. Quando uerò agens non poteſt attingere proprium finem, ſed impeditur à materia; Tunc generatur fœmina. Vnde bene dicitur; quòd fœmina eſt animal, imperfectum, & occaſionatum. Modò; cùm ex defectu agentis fiat fœmina; quot erunt impedimenta agentis, tot erunt cauſæ generationis fœminæ. Quæ ſunt igitur impedimenta? Vel quidem erit ratione ipſius uirtutis; uel inſtrumenti, qui eſt calor; uel materiæ. Virtus .n. impeditur; uel, quòd ſit in pauca quantitate materia ipſa, in qua eſt uirtus. Quandoq; enim propter paucitatem ſeminis, in quo eſt uirtus; uirtus ita praua eſt, ut non poſſit attingere proprium finem. Quandoq; autem propter malam qualitatem ſeminis; quia erit aquoſum, uel nimis craſſum. & ex hoc uidetis, ubi deficiat opinio Empedoclis; qui ponebat tantùm, calidum, & frigidum. Neceſſe enim eſt ponere uirtutem ipſam agentem. Ratione autem inſtrumenti, ideſt caloris, quia calor debilis eſt. Nam, licet homo habeat uires optimas incidendi; ſi tamen cultrum habeat obtuſum; non poterit incidere. Vel defectus erit reſpectu materiæ rebellis; nam, ſiue ſit ſanguis menſtruus, ſiue quidpiam aliud; ſiquidem peccat, uel in quali, uel in quãto; non poteſt uirtus attingere proprium finem; Agit igitur, quòd poteſt; ſicut apparet in coctione extrinſeca. Quando enim impeditur, ne fiat optima elixatio carnium; fit id, quod poteſt. fit

enim illa inquinatio μόλυνσις. Siue igitur ſit propter debilitatem uirtutis agentis; ſiue propter uitium instrumenti; ideſt caloris; ſiue uitio materiæ; Omnia hæc producunt hunc finem, quæ eſt cruditas; & eſt ſicut fructus acerbus. & μόλυνσις, eſt diminutio caloris. Ex quo fundamento ſequitur, fœminam eſſe frigidam, & ita probauit Ariſt. fœminam eſſe minùs calidam uiro. Deinde à ſignis, & à poſteriori probat hoc. Primum autem ſignum eſt ſumptum à temperatura generantis. & hoc multipliciter. Primò; ſenes generant magis fœminas, quàm iuuenes; quia ſunt frigidæ temperaturæ. Secundò; qui ſunt magis frigidæ temperaturæ; generant fœminas. Vt magis phlegmatici; quàm bilioſi. Tertiò; Qui potant, plurimam aquam; &, qui nimium uinum extinguens calorẽ; generant ſæpiſſimè fœminas. hoc eſt primum ſignum. Secundum ſignum ſumitur à conceptu. Nam mouetur fœtus in utero maſculus circa 40. diem. At fœmineus non mouetur, niſi circa nonageſimum diem. Scimus autem, frigiditatem eſſe rebellem motioni; & caliditatem maximè facere ad motum. Poſtea dicit. Videamus, quòd plerunq; licet hoc non ſit neceſſarium, ut generentur mares in dextra parte uteri; Certum eſt, quòd tota pars dextra corporis humani eſt calidior ſiniſtra. Probat etiam quarto ſigno, quòd fœmina non eiaculatur ſemen extra, quod facit uir. Et eiaculatio ſeminis extra fit à calido impellente; et in hoc diſtinguitur fœmina à uiro. Hæ ſunt rõnes Ariſt. doctiſſimæ, & ualidiſſimæ. Sed etiam Gal. qui fuit philoſophus,

loſophus, et medicus diligentiſſimus, in. 14. de uſu partium, cap. ſexto; probat tripliciter fœminam etiã frigidiorẽ uiro, ſumptis rationibus à triplici genere cauſarum. & primò à cauſa finali, ſecundò ab efficiente, tertiò à forma. A finali quidem; quia neceſſariũ fuit fœtum concipi in utero fœminæ; præterea augeri, et nutriri. Sed hoc fieri non poterat ſine copia materiæ plurima. Si igitur erat neceſſaria tanta copia materiæ; oportebat neceſſariò; ut hæc materia, uel raperetur ex nutrimento fœminæ, uel fœtus raperet tantum excrementum, & ſuperfluum fœminæ. Primum quidem eſt inconueniens, quia deficeret fœmina, & fœtus cum fœmina. et, ſi naſceretur fœtus; eſſet imbecillus, & ita eſſet peccatum naturæ; ergo id, quod eſt ſuperfluum; dicitur rapi. Ergo oportuit fœminam eſſe frigidiorem, ut multa poſſent generari excrementa (et hinc eſt, quòd uiri nõ habent menſtrua) Ideo prouidit natura, ut fœminæ eſſent frigidiores; quia excrementum, non ſolum erat neceſſarium pro generatione ipſius fœtus; ſed etiam pro, nutritione, et augmentatione. Ideo apparet à fine, fœminam eſſe frigidiorem, quàm marem. Secunda autem cauſa eſt efficiens. Quia concentus naturæ talis eſt; ut pro propoſito fine omnia concinant ad finem. Efficiens autem fuit diminutio caloris in principio generationis. quod ſic probatur. Vbi non attingitur proprius finis coctionis, ibi eſt diminutio caloris. Sed in fœminæ generatione non attingitur finis; ergo. Maior patet ex Ariſto. quarto meteor. Minor oſtenditur. quodcunq;

eſt imperfectum; non attingit proprium finem. Sed fœmina eſt imperfecta in natura humana. Maior eſt per ſe manifeſta. Minor probatur ex operationibus; quia fœmina nulla bona. necnon alia eſt alia peior; dicebat Poeta. Sunt leues, non bene diſcurrunt circa operationes uitales; ſunt malitioſæ, ſuſpicioſæ; quia ſunt frigidi cordis. Circa etiam operationes naturales; quia abundant excrementis; malè concoquunt. In motum ſunt etiam imbecilles; unde uidetis, quòd cadunt facilè retro. Iocoſe autem hoc dictum ſit.

Calor diminutus patet; quia non attingit ſuũ proprium finem. Tertiò uerò eſt cauſa formalis. Intelligo autem formam; figuram membrorum genitalium, quæ diſtinguunt fœminam à uiro. Nam fœmina habet & ipſa ſuos teſtes, & penem, & ſcrotum; ſed ſunt in fœmina laxiora, & imbecilliora, & ad intra. Oportet autem imaginari uterum fœminæ inuerſum (ut rem melius intelligatis) eſt enim uterus tanquã ſcrotum, collum uteri eſt tanquàm penis, orificium eſt tanquàm præputium. & ita quæcunq; ſunt in fœmina; ſunt etiam in uiro. Sed ſunt laxiora in fœmina; quia ex diminuto calore non potuerunt eſſe ita compacta, ſicut ſunt in uiro. Præterea à conſequentibus formã patet etiam; nam pallidior, & albior; eſt fœmina, mollior eſt, & habet pilos molliores; quæ arguunt, frigiditatem, & humiditatem; ut ait Gal. ſecundo artis paruæ. Præterea redundant multa pinguedine; quæ eſt à frigiditate ſecundùm Gal. Quibus ita poſtis eſt concludendum ex authoritate tantorum uirorum

rum (quia rationes ipſorum hoc dictãt) fœminam eſſe frigidiorem uiro. Ad rationes autem in oppoſitum eſt facile reſpondere. & primò ad primum; Vbi plus eſt de ſanguine; ibi plus eſt de calore. In muliere eſt plus ſanguinis; ergo. Negatur minor. & Ariſt. ad hoc reſpondens in quarto de gener. animal. dicit; Iſti uiri credunt eſſe ſanguinem quidquid eſt rubrum, & fluidum; & non uident eſſe excrementum. & eſt ſimiliter (inquit Ariſt.) ac, ſiquis dicat, aliquem; propterea, quòd multum egerit; eſſe ualdè calidum, & optime concoquere. Cùm tamen ſit potiùs contrarium. Nam, quia iſte malè concoquit; ideo multa egerit excrementa. Ita etiam dicimus de ſanguine menſtruo fœminæ. Non eſt enim bonus ſanguis; ſed eſt aliquomodò præter naturam. Vnde dixit Plin. eſſe uenenum, & interficere ſata. Vnde etiam quo tempore menſtruantur fœminæ; inficiunt ſpecula, & quæcunque aſpiciunt; propter uapores aſcendentes. Sunt enim tanquàm uenæ natæ in oculis. Minor igitur illa, quod plus ſit ſanguinis in fœmina; eſt falſa, & ſtat à nobis; quia hoc excrementum eſt uerum indicium frigiditatis in fœmina. Ad ſecundum argumentum, quod erat; Fœminæ citiùs creſcunt; ergo calidiores. Nam (ſicut tu dicis inquiunt) quòd ideo fœtus maſculus citiſsimè generatur, quia calidior; Ita ego dico, fœminam citiùs augeri, quia calidior eſt. hoc enim argumentum nullum eſt; & arguit iſtud frigiditatem. Bene uerum eſt; quòd in utero, quando uirtus formatiua generat; citiùs generat; ubi ſit fortior calor, et for-

tior uirtus. Sed non ita modò eſt, cùm extra productus eſt fœtus. Immo totum eſt oppoſitum; ut notat Ariſt.quarto de gen.animal.& Gal.etiam. Nam mas tardiùs creſcit; quia humidum maris eſt tenacius, & uiſcoſius; quod non facilè poteſt ita extendi. At humidum fœminæ eſt magis aquoſum, fluidum, tenue, extenſibile. Cuius ſignum eſt; quòd, ſicut citiùs creſcunt fœminæ, ita citiùs ſeneſcunt; quia humidũ,non ita reſiſtit. hæc eſt ergo ratio,cur fœminæ citiùs quã mares creſcunt; non,quòd ſint calidiores. Videatis hoc in externis rebus. Accipiatis aquam feruentem, & oleum feruens. Vtrunq; profectò eſt humidum; Alia tamen eſt humiditas aquæ, & alia olei. nam humiditas aquæ eſt tenuis,& fluida; olei tenax,& lenta. ſic eſt etiam de calore utriusq;.ſit utrunq; feruẽs; aqua citiùs decreſcit, oleum tardiùs; Quia calor in oleo non poteſt ita facilè reſolui propter reſiſtẽtiam humidi, tenacis,& uiſcoſi, in oleo. hæc eſt ergo ratio, cur fœmina citiùs, quàm mas; creſcat. Nõ enim, id eſt ratione caloris; ſed ſubiecti. & hæc omnia fundantur in ueris philoſophiæ fundamentis. Ad tertium; Sunt procaciores,et maximè appetunt coitum; ergo ſalaciores, ergo calidiores; Errant. Nõ enim ualet conſequentia; Appetunt; ergo ſalaciores. Bene autem maximè appetunt; Quia, cùm fœmina ſit imperfecta; appetit uirum, tanquàm ſuam perfectionem, ut perficiatur (& hic eſt appetitus naturalis) non propter calorem. Vnde dixit Ariſt.primo phyſ. quòd appetitus materiæ primæ ad formã eſt,ſicut fœminæ

minæ ad uirum. Viri autem appetunt propter caliditatem, ut expellant excrementum. Hinc igitur eſt; quòd uiri poſt coitum abominantur fœminas, quia nihil perfectionis conſequuntur ex ipſis. At fœminæ magis amant; quia ſemper, & continenter quærũt perfectionem,quam non poſſunt aſſequi. Vnde dixit Heſiodus; Emineo magis eſt uſura Venus. At in uiris (inquit) Venus ſæpè accita relanguet. Quò enim magis agitantur fœminæ, eò ardentiùs, & plus appetunt; tum,ut aſſequantur perfectionem; tum, quia membra agitata caleſcunt. hinc eſt;quòd uiri ſunt ſalaciores hyeme, quàm æſtate. Contrà fœminæ æſtate magis quàm hyeme; nam hyeme appetunt uiri; Quia plus eſt caloris in humido,et excrementa accumulantur. Appetunt igitur; ut deponant excrementorum pondus. Aeſtate autẽ excrementa à calore nimio reſoluuntur. Fœminæ cõtra; Quia enim ſunt in ſua temperatura frigidæ; ideo magis appetũt in æſtate,quàm in hyeme. Calor enim internus fouetur,& adiuuatur; à calore externo. Vnde uidemus etiam, quòd flatuoſa,magis quàm calida,incitant uenerem in uiris. Calida autem magis quàm flatuoſa, in fœminis. Calida abſumunt ſemen, (ut agnus caſtus, & ruta) in uiris. In mulieribus contrà,excitant,et augent. Vnde bene dictum eſt in illo uerſiculo à modernis; Ruta uiris minuit uenerem,mulieribus addit. Præterea uir in coitu eſt tanquàm agens; fœmina autem tanquàm materia. hinc eſt;quòd iure petunt à fœminis,quia hoc eſt proprium agentis. materiæ autem eſt proprium, cùm eſt diſpoſita,

diſpoſita,recipere actionem agentis.Sic igitur faciunt fœminæ;habent enim omnes rationem materiæ. Præ=
tereà; non eſt omnino uerum, quòd fœminæ ſint libi=
dinoſiores uiris. Nam,*ſi exeunt ſingulis mẽſibus men=*
ſtrua in debitâ quantitate; non ſunt ualdè libidinoſæ.
Quòd,*ſi non exeant menſtrua,aut non exeunt quan=*
tùm oportet; tũc uerè furunt ut ſcribit Verg.*ſecun=*
do Georg. *de furore equarum. Cuius quidem furoris*
affert rationem Ariſt. *hoc dicens eſſe, quia emittunt*
parum ſeminis menſtrui; & aggregant multa excre=
menta,quæ faciunt poſtea, ut furore citentur. Atqúe
hæc ſatis pro hac quæſtione.In qua fui diffuſus(ut in=
genue fatear) in explicatione morum dedita opera;
Quia fui occupatus cum Excellentiſſimo Vrbini Du=
ce propter ſeria quædam negocia,et ideo ſtudere ne=
quiui. Reſtat modo; *ut ueniamus ad alia.* Dicit Auic.
in textu.

LECTIO. XXVII.

Et ſubſtantia carnium eſt rarior;licet vi-
ri caro fœmina ſit rarioris habitus, licet po-
ſtea vir ſit rarior reſpectu, venarum, & arte-
riarum,& neruorum *hoc dicit* Auicen.*ſenſus eſt.*
Si comparetur caro uiri cum carne ſœminæ; certum
eſt, quòd caro fœminæ eſt rarior. & hic non oportet
facere tot diſtinctiones,rari,et denſi.et ratio eſt;quo=
niam caro fœminæ eſt, humidior,magis laxa, et diſſo=
luta; at caro uiri eſt magis compacta. hoc uoluit di=
cere. At,ſi cõſideremus ipſam in comparatione,ut eſt

quoddam

quoddam compoſitum; eſt longè rarior caro in uiro;
quia in uiro ſunt uenæ, & arteriæ magnæ, & nerui
magni; quæ ſeparant carnem.et ideo caro eſt rarior,
quia eſt perforata ab iſtis uaſis magnis. hoc uoluit di=
cere. Non *autem dicatis; in mulieribus. non eſſe ue=*
nas, & arterias, & neruos; quia habent & ipſæ ſi=
cut & uiri;ſed ſunt in fœminis hæc omnia exilia. Vn=
de etiam muſculi ſunt magis exiles. Vnde, *ſi mulieres*
creſcunt; ſunt tanquàm nihil.Quòd non ita accidit in
uiris. hoc modo dixit Ariſtot. *primo de generatione*
animalium,capit. 19.Fœminas *autem non eſſe, ueno=*
ſas, nec neruoſas; Sano modo intelligatis. Moderno=
rum enim error id fuit; propter malam interpreta=
tionem. Verſio *autem hæc, quã habemus; eſt clarior,*
quia Andreas *ille* Bellunenſis *emandauit ipſam.* Qui
uerò terras inhabitant Septentrionales; *quoniã tem=*
peratura etiã uariat ex locorum uarietate, quæ ha=
bitamus; ideo iure Auicenna *de hoc etiam agit.Studẽs*
autem breuitati;poſuit unam duntaxat Regionem,*ex*
qua cæterarum temperatura declaratur.Non eſt du=
bium; quòd illud,quod alterat temperaturam; eſt,ca=
lidum,& frigidum; Ideo *accepit Septẽtrionem.*Nam,
ſi ſeptentrio,quia eſt frigidius facit humiditatem; Re=
gio auſtralis, quæ eſt calida; faciet ſiccitatem. Muta=
tio autem aeris regionis eſt ratione,altitudinis, et la=
titudinis; non ratione longitudinis; Ideo *unam tantùm*
poſuit,ex qua cæteræ partes poſſunt innoteſcere.At
dicet quis; Cùm *ſeptentrio ſit regio,frigida, & ſicca;*
quomodò igitur facit humiditatem.Sciuiſtis autẽ hæc.

Quia,

Quia, cùm regio ſit frigida; indiget plurimo alimento, quia habent plurimum caloris abſumentis. Vnde dixit Hippocr. Ventres hyeme calidiores; ideo multo egent alimento. Ideo, cùm multum comedant; manet in corpore multa humiditas, quæ non difflatur propter regionem frigidiorem. et ſecus eſt de his, qui habitant regiones oppoſitas, ideſt auſtrales. Nàm, cùm hæ regiones ſint calidæ; homines minus comedunt, quia minus habent caloris innati; unde minus acquirunt de humiditate. & id, quod acquiritur; difflatur propter calorem externum aeris; Itaq; fiunt homines tẽperaturæ ſiccioris. At contra dixerit quiſpiam. Dicebat Hippoc. tertia part. Aphoriſ. 17, & Gale. in com. quòd à ſeptentrionali uento ſiccantur corpora, quomodò igitur corpora humectantur? Non ſunt autem hæc oppoſita; Quia aliud eſt regio frigida, et ſicca. Aliud autem eſt conſtitutio aeris talis. Nam, ubi in regionibus noſtris temperatis ſpirat Boreas; reperit poros apertos, & exprimit humores, & exprimẽdo exiccat. &, ſi inuenerit multitudinem materiæ; colliquat, & facit catarrhum. Idem dicimus de Auſtro ratione oppoſita.

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN primæ, Doctrinæ quartæ.

De Humoribus. Cap. primum.

LECTIO. XXVIII.

HVMOR EST corpus, &c. *Pro intellectione dicendorum de humoribus, ut omnia ſint clara; primò ſciendũ, quòd elementa ſunt corporis humores. Præterea (ſicut dicit Gal. in principio ſecundi de elementis) elemẽta rerum generabilium ſunt triplicia. Prima ſunt communia omnibus miſtis; & ſunt hæc quatuor corpora ſimplicia. Secunda ſunt elementa, quæ & ipſa communia quidem ſunt; non tamen communiſſima, ſed communia omnibus animalibus tantùm. & ſunt quatuor humores, qui reſpondent quatuor elementis illis. Hoc eſt ſanguis aeri, pituita aquæ, bilis rufa igni, bilis nigra terræ. Hi quatuor humores ſunt in omnibus animalibus; uel ſunt quid proportionale his humoribus. Tertia elementa conueniunt tantùm animalibus perfectis (ſicut, homini, Tauro, & c.); & ſunt membra ſimilaria. neq; omnia auimalia habent, carnes, & oſſa. Cùm ſint igitur hæc tria elementa; primum remotiſſimum, Secundum medium, Tertium propinquiſſimum; omnia tria ſunt in homine. De elementis remotiſſimis; uiſum eſt in ſecunda doctrina. et conſequenter de miſtione ipſorum, quo modo faciant temperaturam; In tertia. Modo; quia intentio erat tractare de ſubiectis omnibus artis medicæ; reliqua*

ſunt

ſunt illa duo, uidelicet, humores, & membra ſimilaria. De humoribus igitur agit in hac quarta doctrina. In quinta autem; aget de membris ſimilaribus. Ergo nos tractabimus in hac doctrina quarta de elementis ſecundis, ideſt de humoribus. De his igitur humoribus (ut ſciatis, quò tendamus) debetis ſcire (ſicut dicit Gal. in ſecundo de facul. nat. cõtra Eraſiſt.) quòd omnium, quæ tractantur in arte medica; pulcherrima ſpeculatio, & utiliſsima, eſt ſpeculatio de humoribus. Quòd autem ita ſit; patet. Nam ſine hac cognitione non poteſtis cognoſcere fabricam humani corporis; quia ſunt elementa proxima, ex quibus conſtat eſſentia membrorum. &, quando loquimur de membris ſine cognitione humorum; loquimur in aere (ut dicũt.) Non poſſumus igitur ſcire fabricam noſtri corporis ſine cognitione humorum. Secundò; nõ poſſumus ſcire, quo modo, nutriatur, augeatur, conſeruetur; corpus in ſuo eſſe; Quia non tantùm ex his humoribus generatur homo; ſed etiam eiſdem nutritur, et primò ſeruatur in uita. Tertiò; ſine cognitione horum humorum non poſſumus cognoſcere ſanitatem; quia ſanitas conſiſtit in bona proportione horum quatuor humorum. At, ſi non cognoſcetis ſanitatem; non cognoſcetis etiam ægritudines. Quia fiunt diuerſæ ægritudines ex diuerſitate humorum; & omnia genera morborum oriuntur ex his humoribus. Nõ poteſtis etiam ſcire occultos affectus corporis; quia affectus indicantur per excrementa, excrementa autẽ diſcernuntur per humores. Præterea; operationes omnes gubernantur

per dominium morum. Si enim dominatur pituita; fiunt obtuſæ. Si autẽ bilis rufa, uel atra; corrũpũtur. Præterea; mores ipſi tales ſunt; quales ſunt humores. nã, ſi dominatur ſanguis; ſunt homines εὐήθεις; ideſt, candidorũ, et bonorũ; morũ. Vbi aũt dominatur ſuccus melãcholicus; ſunt, ſapientes, et ſtabiles in rebus gerendis (30. part. prob. prob. 4.) Quia ſuccus eiuſmodi firmat. Vbi autem abundat bilis rufa; facit promptos ad operationem. Ex pituita non fiunt mores (inquit Gal.) quia pituita non eſt aliud, quàm ſanguis crudus. Vbi autem hi humores ſunt proportionales inter ſe; ſunt homines bonorum morũ, quia habent ſanguinem purum. Sunt prompti; quia habent bilem rufam. Sunt etiam ſapientes; quia habẽt atram bilem proportionalem. At, ſi excedant, & non ſint proportionales pro uarietate mutationis humorũ uariant mores. Præterea; ſine cognitione horum humorum non poteſtis ſcire prognoſticationes. Quia enim bilis eſt uelociſsimi motus, & ſuccus melancholicus contrarium habet; Ideo morbi ex bile rufa, facilè, & citò; terminantur; At ex ſucco melancholico contrà. Sic etiam de pituita dicendum eſt. & ita uidetis totam ferè artem fundari in cognitione humorum; oportet igitur, ut diſcatis totum tractatum de humoribus. Audiatis igitur modò, quo modo ſit dicendum de humoribus. Primò oportet diſtinguere; et determinare, quid intelligamus per humorem. In ſecundo autem de gener. & cor. & alibi; nihil eſt aliud humor, quàm corpus fluuidum, malè terminabile ſuo termino

termino,bene terminabile termino alieno. Ex quo.n. fluit; & non sistitur, nisi à termino alieno; hæc est descriptio humoris. Hoc itaq; conceptu habito; ueniamus modò ad distinctiones humoris; quoniam multiplex est. In secundo enim de parti.anim.cap.3. humidum multipliciter capitur. Quãdoq; enim pro corpore simplici, quòd quidem aliquando per se tale est, aliquando autem per participationem in complexione, non, quòd sit tale per suam essentiam. Primo modo dicimus humida;aerem,& aquam,& humores. Secundo modo autem; quia in temperatura sua plus est de humido,quàm de alijs; ut oleum dicimus humorem. In quo tamen etiam sunt partes siccæ; sed ibi est plus de humido, quàm de sicco. Secundò dicimus, humores quosdam; actu tantùm esse quosdam potentia tantùm; alios actu,& potentia. Primo modo sunt illa, quæ sua natura sunt consistentia. Vt nitrum à calore colliquante fit humidum actu; cùm tamen in propria natura consistat in seipso,& non fluat. Alia autem; potentia sunt humores, actu autem non sunt. Vt aqua congelata actu quidem consistit, & non fluit; at potentia est fluida. Tertio modo; sunt humores,actu,et potentia. Vt sanguis, & oleum. De quo igitur humore sumus hic pertractaturi? Non quidem de simplicibus humoribus; sed de compositis, qui sunt tales per participationem. Vnde in principio de natura humana dicit Galenus; quòd,quando dicimus, succũ melancholicum esse frigidum, aut bilem calidam; non ita dicimus,quòd hæc adeò sint simpliciter talia, quin habeant,

beant & partes aliquas contrarias. Vtrùm uerò; quando loquimur de humoribus; intelligamus de humoribus fluidis, actu, uel potentia. De his profectò loquimur; qui sunt fluidi actu. Nunquid autem,in potentia, & in propria temperatura; sint ita fluidi; de hoc uidebimus inferiùs, ubi loquemur de naturis particularibus singulorum. Humores igitur, de quibus facturi sumus uerba; sunt humores; qui sunt per participationem; &,qui actu fluidi sunt. nam hoc colligimus. His ita uisis; oportet considerare, quòd humores omnes huiusmodi (secundo de part. animal. cap. primo,usq; ad septimum) sunt in duplici differentia. Quidam enim dicuntur congeniti, quidam post geniti. Congeniti; sunt illi, ex quibus constat corpus humanum, & sunt consubstantiales. Sunt autem hi;primò sanguis, cum suis ichoribus. (Ichores autem appellant Græci; quod aliqui tabem, aliqui saniem; ut transtulit Theodorus gaza. Sed illi fœliciùs loquuntur, quàm nos) Est autem ichor; quicquid est in sanguine,quòd effugit concoctionem; uel, quòd corrumpitur. & est pituita; & bilis utraq;. Alius humor congenitus est adeps; Tertius est medulla; Quartus est ipsum cerebrum, de quo disputat Gal. in secundo de temperaturis clàm. Sed non apertè audet contra Arist.clam tamen mordet. Post genitos autem humores; dicit Arist.esse excrementa omnia;sicut,urinam, lac,semen. Quia non sunt hæc de essentia corporis. Differunt autem hæc excrementa; quia, lac, & semen; sunt excrementa utilia. Vrina autem, & ege-

ſtiones; ſunt excrementa inutilia. De quibus igitur humoribus hic ſumus locuturi? Sanè de his, qui ſunt congeniti. Sed, quia inter humores congenitos ſunt humores quidam, qui ſunt mẽbra ſimilaria, ut adeps, medulla, & cerebrum; ſed hæc ſunt tertia illa elementa, quæ dicuntur tractari in doctrina quinta; Ideo hæc in præſenti tractatu omittemus. humor igitur congenitus, de quo hic ſumus dicturi; erit ſanguis cũ ſuis ichoribus. Qui quidem ſanguis eſt ita congenitus; ut ex ipſo conſtet totum corpus, & tota hæc fabrica. Quo etiam poſtea nutritur; & exaugetur. Vbi enim eſt optimè confectus; & bene proportionalis in quanto, & in quali; primò fœliciſſimè generatur corpus humanum, & nutritur poſtea. Hi igitur ſunt illi humores; quos ego priùs extollebam, ideſt ſanguis. De ſanguine igitur eſt dicendum. Sed eſt uidendũ; Vtrùm ſufficiat dicere; ex ſanguine generari corpus humanum, & nutriri; & ſtare in ſanguine, uitam, & ſanitatem. Vel ſit neceſſarium intelligere ſimul, & pituitam, & utranque bilem. At; utrùm neceſſaria et ipſa ſint, unà cum ſanguine, ad eſſentiam, & nutritionẽ; corporis; an ſint tantùm excrementa; hoc eſt uidendum. Quia multùm refert; nè offendamus in limine, & in principijs. Quandoquidem & paruus error in principio fit maximus in fine. Præſertim, cùm ſit diſcordia inter maximos Viros; ut inter, Hipp. & Ariſtot. Nam Ariſt. primò tenet, ſolùm ſanguinem ſufficere. & reliquos humores, quos ipſe ichores appellat; eſſe uera excrementa. Hipp. autem, & Galen.

oppoſitum tenent. Ariſt. uerò ſententia eſt, tũ in quarto de part. anim. cap. quarto, tum primo de gene. animal. cap. 18. tum quarto de part. animal. cap. ſecũdo; In quo loco dicit ad cor non accedere, niſi purum ſanguinem ſine ichoribus; quia cor non poteſt pati aliquod impurum, & excrementoſum. & hinc eſſe utilitatem hepatis; quia ſanguis non debet accedere ad regem, ideſt ad cor; niſi defæcatus; à quo corde accipit ſanguis formam propriam. Per calorẽ enim cordis fit uerus ſanguis. Hæc ſententia uidetur probabilis; quia uidetur ſuperuacaneum ponere tot humores, ad generationem pertinentes. Quia ſanguis in ſe eſt, ſubtilis, & humidus; ex quo poſſunt generari, & nutriri; membra ſubtilia. Sunt etiam in ſanguine partes craſſiores; quibus poſſunt nutriri, & generari; membra ſolidiora. Fatetur autem Galenus, oſſa generari ex ſanguine; quia & rubra apparent in recenti generatione. Quid igitur oportet introducere bilem, rufam, & atram. Quòd autem ſit utraq; bilis excrementum uerum; etiam per fundamenta Galeni poteſt probari. Quia humor qui nutrit animal; eſt dulcis, et potabilis. Sed ſuccus melancholicus eſt, craſſus, fæculentus, inſuauis. Bilis etiam rufa eſt amariſſima, et ſticciſſima. Quare, cùm ſufficiat ſanguis ad generationem, & nutritionem; concludebant, magni illi Viri, et Ariſt. alios humores non eſſe neceſſarios. Sed contra hanc ſententiam grauiſſimus Hipp. inſurgit, et Vir ille medicis utitur medijs (non tranſcendens limites proprios) quibus probat bilem, & rufam, & atram,

& pituitam; esse necessarias, una cum sanguine, ad uitam hominis. In lib. enim primo de natura humana, ita grauiter discurrit. In omni statu, & in omni temperatura; hominis (etiam, quòd sit temperatißimus homo) & in omni etiam ætate florentißima, & in regione quacunq;, & in quocunq; statu aeris; Ita semper uidebitis in sanguine illo esse quatuor humores. Quòd, si sanguis sufficeret; esset aliqua ætas, aut aliqua temperatura; in qua solus sanguis appareret. Quòd autem sint semper quatuor humores; probat per sensum. Primò enim (inquit) si mittas sanguinem; uidebis actu separari quatuor humores. Præterea experiere & hoc modo. habeas corpus quantùmuis sanum; & des illi pharmacum, attrahens aliquē humorem (uerbi gratia; pituitam) uidebis extrahi pituitam. Sic etiam; si dederis pharmacum, attrahēs alium humorem; uidebis educi illum humorem. Et ita uidetis argumenta Hippocratis, quàm sint grauia. Quid igitur faciendum est: utrùm accedendum ad Hipp. deserto Arist? esset quidem et hoc faciendum, si opus esset; cùm fuerit Hipp. non solùm maximus Medicus, sed etiam maximus philosophus; A quo, & Plato, & Arist. plurima acceperunt in naturali philosophia. Verùm possumus stare cum Hipp. non deserto Arist. quia uidetur mihi esse solùm differentia in uerbis, & non in re.

Et ita reuera est. Quia, quando Arist. dicebat, bilem, pituitam, & succum melancholicum; esse pura excrementa; intellexit, quādo hæc sint extra uenas.

At, quando sunt simul cum sanguine; tunc sunt et ipsa humores congeniti. hoc autem planius fiet inferiùs. Cùm igitur ponamus esse quatuor humores, ex quibus constat corpus humanum, & nutritur; Ideo (ut ordine procedamus) sunt hunc in modum nominandi, & sunt ita ordinandi. Primus est pituita, Secundus sanguis, Tertius bilis rufa, Quartus bilis atra. et loquimur de his, ut naturales sunt. et ita dicimus ex his humoribus constare corpus, siue massam sanguinis. Et primò est pituita, quæ est quò ad substantiam crassæ substantiæ. Duo enim humores sunt crassi; pituita, et melancholia. Vnus autem subtilis; bilis. Vnus uerò temperatus; sanguis. Quantùm igitur ad substātiam; est crassa pituita; non tamen tantùm, quantùm succus melancholicus. Quantùm autem ad qualitatem primam; frigida est, & humida, & proportionalis est aquæ. Quantùm ad saporem; est insipida. & proprius ac naturalis eius sapor (ut dixit Gal.) est insipiditas; licet Auic. dicat ipsam declinare ad dulcedinē. Quantùm ad colorem; est alba. Proprietatem etiam habet, ut non congeletur sicut sanguis; quia solus extra uenas congelatur. Quinq; igitur hic sunt considerandā, crassities substantiæ, frigiditas, & humiditas; Quò ad qualitates primas; Insipiditas in sapore; albedo in colore, & quòd non congeletur. Quantùm ad proprietates; generatio ipsius non est (sicut aliqui putant ascribentes etiā hoc Gal.) à frigiditate; sed à tēperie caloris. et nō ex parte ipsius caloris; sed ex parte alimenti. de naturali aūt loquimur. Generatur

igitur ex calore naturali, naturaliter disposito; propter naturã alimenti. Quia semp̃ est aliquid, quod effugit concoctionem; sicut etiam uidetur in destillationibus extrinsecis per elembicũ. Apparet enim in qualibet destillatione aliquid aqueum album; quod nõ potuit à calore concoqui propter materiam rebellem. Calor enim innatus sublimat (ut ego ostendam in meis libris de sublimatione) natura enim est magna Alchymica; & facit omnia per elixationem, quæ fit per calidum, & humidum; quia trahit æqualiter omnes succos. Habet igitur aliquid, qđ proportionale est aquæ; & hoc dicitur pituita. Non generatur igitur pituita propter diminutionẽ caloris; sed propter partes alimenti, quæ effugiunt coctionem. Locus generationis pituitæ uidetur esse iecur. Videtur.n. quòd cũ fiat sanguis in hepate, ibi etiam generetur pituita, & reuera ita est. Est tamen authoritas Galeni, & secundo de facul.nat. & alibi; quòd pituita generatur in uentriculo. Non autem negauerim ego generari etiam in uentriculo; quia cibus ibi sublimatur per destillationem; & pars aquea rebellis coctioni educitur. & quoniam primum, quod extrahitur in destillatione (sicut apparet in elembico) est substantiæ aqueæ; Ideo dicitur, quòd pituita generatur principaliter in uentriculo; quia prima destillatio fit in uentriculo. Quia enim plurima aqua ibi extrahitur; ideo plurima pituita generatur. Tamen postea in altera cõcoctione; quæ fit in, hepate, & uenis; generatur etiam pituita. & hæc de primo humore. Veniamus modò ad secundum,

dum, qui est sanguis. Sanguis igitur (& ipse enim habet suam naturam distinctam) quantùm ad substãtiam est temperatus, neq; ita subtilis, sicut bilis; neque ita crassus; sicut, pituita, aut melancholia. In qualitatibus est, calidus, & humidus; & proportionalis est aeri. In sapore est dulcis. In colore est ruber, & floridus. In proprietate habet, ut facilè congeletur, ubi fuerit extra uenas. locus generationis est in, hepate, & in uenis. Causa efficiens; calor temperatus est. Materia; succus oleaginosus, et pinguis; ut oleum extractum in elembico. Aßimilatur autem sanguini; sicut aqua pituitæ. Dicamus iam de tertio humore. Tertius est bilis, quæ habet & ipsa quinque illas naturas. Primò enim quò ad substantiam, est tenuißima omnium humorum. Quò autem ad qualitates; est, calida, & sicca, simillima igni. Quantùm ad saporẽ; est amara, Quantùm ad colorem; est rufa. Sed huiusmodi color, qui rufus apud Latinos dicitur; apud Græcos ξανθὸς. Qualis autem est color in auripigmento; Talis est uerus color bilis. Proprietas est, ut non congeletur. locus generationis est hepar. & quando dico in hepate; intelligatis etiam in toto ambitu uenarũ. Quia Galen. facit unam solam coctionem, in hepate, & in uenis. Causa efficiens generationis; est calor naturalis, sicut dixi de, pituita, & sanguine. Loquor autem de bile naturali. Causa materialis; est, quia generatur in destillatione illa, quam facit natura. Extrahitur enim una pars quædam subtilior ignea, quæ facilè fugit. Sicut est in destillatione per elembicum;

Videtis enim partem igneam euaporare per fumum. Quarto loco est succus melancholicus; Qui quidem & ipse habet quinq; conditiones separatas. Primo; enim eius substantia est, crassa, & terrestris maximè omnium humorum. Secundò; qualitas prima est, frigida, & sicca; terræ proportionalis est. Tertiò; sapor est astringēs, qui quidem dicitur à latinis ponticus, & acerbus; à Græcis ςρυφνὸς. Color est niger; unde dicitur succus melancholicus à nigredine, et dicitur etiam à Græcis uno nomine μέλαινα. Habet proprietatem hanc; quòd non concrescit extra uenas. locus; est hepar. Causa efficiens; est calor naturalis. Materia; est pars alimenti, crassior, & magis terrestris. & assimilatur in destillationibus elembici fæci, quæ effugit coctionem propter terrestreitatem. & appellauit quandoq; eum Galenus propter hoc τρύξα, idest fæcem. & ita habetis etiam de eiusmodi succo melancholico, quæ nam sit propria eius substantia. Idest, quare sit terrestris, & crassus. &, quæ sint primæ qualitates; quòd est, frigidus, & siccus; & saporis astringentis; & coloris nigri. et proprietas est, ut non concrescat. locus est hepar. Causa efficiēs calor naturalis. Materialis causa est fæx sanguinis. Itaq; hæc est natura omnium humorum; et potestis hic uobis pingere tabellam omnium humorum. His ita uisis; uenio ad alia pulcherrima. Dum humores sunt in uenis, & sunt naturales; faciunt unū mistum; quæ est massa sanguinis, et apparet sanguis ad sensum. Vt uidetis tunc, cùm sanguis ducitur ex uena.

Sicut

Sicut accidit in lacte; in quo est una pars, quæ est lac; & alia, quæ caseus; & alia, quæ serum; & tamē omnes appellant hoc totum lac. Sicut etiam in musto; in quo est; & fæx quæ residet in fundo; & pars aquea. Vnde mustum omne frigidius est, quàm uinum antiquum; & tamē totum appellatur uinum. Eodē etiam modo dicitur de sanguine. Nam, si permittatis sanguinem postquàm eductus sit, per aliquod tempus immorari; uidebitis in fundo cyathi fæcem, in summo autem spumam leuissimam; post hanc substantiam aqueam, quæ est pituita; in medio autem humorem quendam, rubrum, floridūq;; qui est sanguis. Tamen illud totum, quando ducitur; apparet sanguis, et uocatur sanguis. Modò non debemus manere hic; sed progredi ad alia. Debetis modò scire; quòd huiusmodi humores, quandoq; sunt naturales, quandoq; non sunt naturales. & utrorumq; istorum est alia diuisio. Quia uel sunt intra uasa, uel extra uasa. Incipiamus ergo à cōsideratione illorum, qui sunt naturales, & sunt in uasis. Secundò ueniamus ad illos, qui sunt non naturales, sed in uenis. Demum dicemus de eis, qui sunt extra uasa. Humores igitur naturales, qui fiunt in uenis; sunt illi ijdem quatuor. Sed, quando sunt naturales? Tūc quidem sunt naturales; quando proportionales sunt, in quali, et in quanto; ut possint omnes operationes bonæ prodire, ut bene nutriant. Nam, si peccarent, aut in quali, aut in quanto; læderentur operationes naturales. Iam scitis, quare dicantur naturales; habent enim, calorem proportionalem, & materiā proportionalem.

tionalem. Sed, quando non ſunt naturales; in uaſis tamen habent & cauſas nõ naturales propter aliquam inæqualitatem. Huiuſmodi autem inæqualitas; uel eſt tãtùm in uno humore, uel in pluribus, uel in omnibus. Inæqualitas, unius, uel plurium; fit; uel, quando in quantitate accedit diſproportio ita; ut ſit plus de uno humore, quàm de alio; uel peccat in quali tantùm; uel in quali, & quanto ſimul. Quando peccat in quanto tantùm humor; quæ nam eſt cauſa, ut mutentur hi humores in quãto tantùm? Videamus in ſingulis. et primò in pituita. Hæc quidem mutatur in quanto plerunq; tãtùm; unde igitur euenit? Vel planè ab intrinſeco, uel ab extrinſeco. Intrinſeca cauſa eſt calor diminutus; quia non eſt ampliùs calor æqualis, ſed eſt aucta frigiditas in corpore humano. &, ut priùs fiebat tantùm pituitæ, quantum erat neceſſarium propter materiam; Ita generatur plus, quia accedit caloris diminutio, ſicut in deſtillatione. Vbi enim calor ignis ſit diminutus; fit inquinatio; & plus humidi remanet, quàm deberet; à diminutione igitur caloris prouenit peccatũ pituitæ in quanto. Oportet tamen; ut non ſit ita diminutus, ut ſit ualdè intensè diminutus. Quia tunc; non ſolùm peccaret pituita in quanto, ſed etiam peccaret in quali. Fit igitur multitudo pituitæ, quæ peccat in quanto tantùm; à calore diminuto moderatè. Vbi autem frigiditas ſit ualdè intenſa; mutatur qualitas; quia fit, acida, uel gypſea. Sed primum, quod facit frigiditas; eſt, quòd mutat quantitatẽ. Poſtea, ſi intendatur, mutat etiam qualitatem. Videamus

modò

modò de ſecundo humore. i. de ſanguine. Sanguis; quidem nunquàm, augetur, aut minuitur; propter caloris exceſſum, uel defectum. Quia, ſi minuitur calor; augetur pituita in quanto. Si intenditur calor, augetur bilis. Videamus igitur de bile. Bilis autem; quãdo creſcit in quanto tantùm; fit ab exceſſu caloris. Quia, ſicut in deſtillatione, ubi eſt plus de calido; minus generatur de aqua, & plus de fumo euaporat. Immo aqua, quæ extrahitur; habet nidorem etiam offendentem nares, quia eſt inflammata. Ita eſt in generatione bilis. Nam, ſi ſit intenſior caliditas; tunc loco ſanguinis, qui eſt ſuccus unctuoſus; fit bilis, quia abſumitur humidum. Non tamen eſt calor ualdè intensè auctus; quia tunc, non ſolùm mutaretur quantitas; ſed etiam qualitas, ſicut diximus de pituita. Succus etiam melancholicus peccat in quanto utroq; modo; &, quando excedit calor; &, quando diminuitur. Nam uidetis ſanguinem craſſefieri, & per ignem; & etiã per frigiditatem, quia congelatur. Ideo etiam in ulcera, ſi multùm refrigerentur; tranſeunt in ſcyrrhos, ut dixit Gal. de eryſipelate. A calido igitur excedente fit ſuccus melancholicus; quia calidum ſiccat euaporando. Nec non à frigido; quia frigidum ſiccat exprimendo. Et ita, quantùm ad cauſas intrinſecas; uidiſtis quomodò omnes humores poſſunt peccare etiã in quanto. Accedunt poſtea cauſæ extrinſecæ; Sed de his nũc non loquemur, quia hic ſumus in cauſis eſſentialibus. Vbi igitur augetur humor ab iſtis cauſis, uel in quali, uel in quanto; ſequitur cacochymia, id eſt deprauatio

humorum.

humorum. & hi dicuntur cacochymi; qui, quanto magis nutriuntur; tanto magis læduntur. & appellatur etiam multitudo quò ad uirtutem à Gal. propter duas rationes. Primò; quia uirtus agit, uel corruptè, uel diminutè. Secunda causa est; quia uirtus grauatur ita, ut etiam expellat symptomaticè. et dicitur repletio quò ad uirtutem; quia non sunt propterea uasa repleta. Nam, quantò magis abundant hi humores; tantò erit minus de sanguine. & iam uidetis, quo modo hinc nascatur tota ars medica. Sed, quando augentur omnes humores in uenis æqualiter ita, ut tota massa sanguinis augeatur; quandoq; moriuntur subitò, quia suffocãtur. Vnde dixit Hippocr. Habitus athletarum, &c.

LECTIO. XXIX.

QVANDO *igitur peccant, in quali, et in quanto; excessus est magnus. Vt (uerbi.g.) sciuistis, quòd pituita generatur ab excessu frigiditatis. Quando igitur excesserit modicè frigiditas; peccabit pituita tantùm in quanto, quia stat adhuc pituita in suis qualitatibus. Quando autem intenditur frigiditas; & immutantur etiam qualitates; fit pituita crassior. Si uerò per oppositum excedat caliditas, sed modicè; augetur bilis, & in quantitate peccat. Quòd, si magis intẽdatur caliditas; tunc bilis mutatur, non solùm in quanto, sed etiã in quali. Fit enim, crassior, & uitellina bilis. Iam scitis igitur (ut applicetis uniuersalia particularibus) quæ nam sit causa generationis, pituitæ, & bilis; in uenis. Si nõ augetur, nisi quantitas, fiunt ægritudines sed,*

sed mites. Vt, si pituita peccet hoc modo, et decumbat extra uenas; facit mitem morbum. At, ubi peccet, in quanto, & in quali; facit febres sæuissimas, ut lipyriam, & huiusmodi morbos. Ita etiam de bile. Itaque hoc semper erit uerum; quòd, ubi humor peccet in quanto tantùm; facit quidem ægritudines, sed non malignas. At, ubi peccet, & in quali, & in quanto, tunc fiunt ægritudines malignæ. & hæc sat sint de humoribus; quando, unus, uel plures; peccant in uenis. Veniamus igitur ad aliud membrum; in quo quærimus de humoribus, quando in uenis peccant æqualiter in tota massa sanguinis. Et tunc hoc dicimus; quando omnes humores æqualiter peccant ita; ut non sit plus de pituita, quàm de bile. Data scilicet proportione; quia hic non est æqualitas, ad pondus, sed iustitiæ. Dicimus inquã; quòd hæc mutatio non potest esse, nisi in quanto. Sed dicetis; quomodo est hoc? Quando humores æqualiter augentur in uenis; si mutarentur in quali; oporteret plus esse de frigiditate, quàm de caliditate; uel econtrà. Sed, si hoc; generabitur plus de pituita, quàm de bile. At nos supponimus humores omnes æqualiter auctos esse in tota massa sanguinis. & ita patet; quòd non potest fieri mutatio, nisi in quanto. et hæc mutatio, non proportionalis naturæ, ita est periculosa; ut sequantur inde etiã citissimæ mortes propter suffocationem (sicut dicit Hippocr. primo Aph. secundo) & deueniunt etiã ad febres synochas, quando in massa sanguinis fit putredo. Qua in re nondum uidi aliquem, qui declarauerit; quo nam modo fiat putredo

tredo in tota massa sanguinis, et quomodo non putrescit sanguis. Sed hæc in alium locũ seruanda reor. Dicamus igitur; quòd, quando humores æqualiter augentur in uenis secundùm proportionẽ; uocatur plethora à Græcis, uel plenitudo quo ad uasa; sicut alia mutatio dicebatur, cacochymia, uel plenitudo quo ad uirtutem. & ita dicitur; quia propter multitudinem constringuntur, uenæ, & arteriæ; & non possunt euentari. Causa uerò huius multitudinis (ut notauit Gal. 9. Therap. ubi loquitur de synochis) nõ prouenit nisi à plurimo calore. Nec nõ ab optimo; ubi homo nutriatur, et sit bonæ tẽperaturæ, et non exerceatur, & non euacuatur. Ita. n. aggregantur excrementa etiam bona; ut fiat eiusmodi plethora. & ita habetis sufficienter de humoribus omnibus, contentis intra uenas; siue sint naturales, siue sint non naturales; &, quando sint naturales; &, quando non; &, quomodò peccent. Modò erat aliud membrum; Quando ipsi humores, extra uenas existentes, reperiuntur; Hi humores extra uenas similiter, uel sunt naturaliter se habentes, uel non naturaliter. Si naturaliter se habeant; debent præfectò habere tres conditiones. Primò; ut sint in, propria, & debita; quantitate. Secundò; ut sint in propria qualitate. Tertiò; ut in proprio loco sint. Hoc enim modo erunt naturales; quia non impedient actiones corporis. Quòd, si non sint in propria quantitate, aut in propria qualitate; tunc non erunt naturales. Similiter, si fuerint extra propria loca; nõ erũt naturales; ut uidere possumus, discurrẽdo per singu-

los.

los. Pituita, quãdo est extra uenas; habet sua loca naturalia, ordinata sibi à natura. Et primò uidetis; quòd pituita semper inuenitur in ore; & facit humidum illud saliuale, quod confert ad coficiendum cibum, et ad leniẽdum. &, qui propter sitim magnam, uel laborem aliquem; amisit hoc humidum; ille non potest rectè conficere cibum in ore. Præterea; dicitur esse in uentriculo; & induere ipsam superficiem, uentriculi, & intestinorum; propter plurimas utilitates. Hoc est, nè fiat mordicatio in illis partibus à cibis, durioribus, uel acrioribus ita; ut sit tanquàm lorica ipsorum. Præterea; ut faciat ad lubricationem. Præterea; ut tempore indigentiæ sit tãquàm thesaurus pro alimẽto. Trahitur enim à uenis; & uertitur in sanguinem. Præterea; ut in iuncturis, & humectet iunctures; ut possint melius inuerti. Quia, ubi non sint partes humectatæ, sed siccæ; tunc sunt difficiles ad motum. Sic enim bilis est in felle, deinde in intestinis, præsertim in ieiuno; uidelicet, ut abluat intestina, et irritet expulsionem. Sic succus melancholicus habet lienem, Præterea habet & uentriculum (si Galeno credimus) ut stimulet uirtutem appetendi, et faciat affectum illum, quem appellamus famem. Donec igitur seruabunt propriam, quantitatem, & qualitatem; & proprium locum naturalem; sunt naturales. Sed, si non seruauerint, uel propriam quantitatem, uel qualitatem, uel locũ; Tunc erunt non naturaliter se habentes. Quæ autẽ sit causa, quæ faciat hos augeri, uel in quãto, uel in quali; dictum est superiùs. Sunt enim eædem causæ (ubicunq;

locorum

locorum ſint) ut de pituita; ſiue peccet in uenis, ſiue extra uenas, in ore, uel in uentriculo, & inteſtinis, uel in iuncturis. Similiter de bile; & humore melancholico. Ratione autem loci; ſi pituita decumberet ad pectus; eſſet præter naturã; licet non peccaret, in quali, uel in quanto; & faceret tuſſim. Similiter; ſi bilis; quæ debet accedere ad inteſtina; aſcenderet ad uentriculum; eſſet præter naturam, quia excitaret uomitum. & hoc ratione loci; etiam, quòd non peccaret, neq; in quali, neq; in quanto. Quæ autem ægritudines hinc oriantur; patet. Quia à pituita quidem ueniunt ægritudines frigidæ; à bile autẽ calidæ. A` loco etiam fiunt diuerſæ ægritudines ab una, & eadem materia. Vt, ſi bilis ueniat ad membranam, ſuccingẽtem coſtas; fit pleuritis. Si ad caput; fit phrenitis. Factis his diuiſionibus hoc modo; reſtat una tantùm diuiſio breuis. Humores, ita conſiderati; ſunt quidem uel ſecundùm naturam, uel præter naturam. Si præter naturam; uel ſunt propter cauſam intrinſecam, ſine miſtione alicuius extrinſeci; uel propter miſtionem alicuius ab extrinſeco. Quam differentiam quia non aduertit Auic. ideo diſcordat à Galeno. Exempli gratia; pituita acida dicitur non naturalis; quia aduenit ab intrinſeco tanta frigiditas, ut fecerit ſaporem acidum; non, quòd acceſſerit ulla miſcella extrinſecùs. Alio modo fit acida pituita; propter miſtionem alicuius extrinſeci. Vt, ſi aduenerit ſeroſitas ſalſæ; fit pituita ſalſa ex extrinſeco. & ſic fit; non, quòd mutetur pituita de ſe in ſua natura; ſed, quia aduenit aliquid extrinſecùs, quod eſt

ſalſum.

ſalſum. Sicut uinum, ſi admiſceatur aquæ; uariatur, non propter ſe, ſed propter miſtionem rei extrinſecæ. Si autem corrumpatur; ex ſe uariat. His ita notatis (remota æquiuocatione, & multiplicitate humoris; & ſuppoſito, quòd Auic. ſit locuturus de humoribus per participationem, & non ſimpliciter; & de his, qui ſunt fluidi actu, & non in potentia; & de his, qui ſunt congeniti) Iam ipſe Auic. incipit agere de humoribus ita intellectis. Et facit duo capitula. In primò quidem; enumerat omnes humores, & facit omnes diuiſiones. In ſecundo; uerò enumerat cauſas omnes humorum. Quantùm ad primum caput; tria facit. Primò definit; quia nõ poteſt aliquid diſtingui, niſi habeatur definitio rei. Nam diuiſio fit habito rei fine, & ſcopo. & hinc eſt; quòd una, & eadem res, diuerſimodè à diuerſis diuiditur ꝓpter uarios ſcopos. Oportet igitur dirigere priùs rem diuidẽdam ad proprium finem. Poſtea, concepta eſſentia, & communitate; rei; diuidemus. Cùm uelit igitur Auic. facere diuiſionẽ humorum congenitorum; primò definit humorem, Secundò diuidit, Tertiò remouet quædam dubia. Quantùm igitur attinet ad primam partem, id eſt ad definitionem; dicit Auic. Humor eſt corpus humidum. Circa declarationem huius definitionis; nõ incipiam ab hoc, ut afferam omnes horum expoſitiones & confundam omnia; ſed ita faciam, ut ex recta expoſitione ſoluatis quicquid dicitur ab his. Quia rectum eſt iudex, ſui, & obliqui. Primò igitur ſumit genus Auic. & dicit, quòd eſt corpus, quia eſt res com-

posita. Postea dicit, quòd est humidum. & clarum est, quòd humor sit corpus humidũ. &, quia sunt quædam humida actu fluentia, quædam potentia; Hi autem humores congeniti sunt actu fluentes; propterea, ut distinguat hos humores ab alijs; addit fluidum. Sed, quia etiam sunt multa in corpore humano; quæ sunt, humida, & fluida (ut, urina, lac, & semen) & tamen non sunt humores congeniti; Ideo addit ultimam differentiam. In quod in primis nutriens conuertitur. *Circa hanc partem conflictantur moderni ita; ut non magis laborauerit Hercules contra hydram. Primò enim dicunt; Chylus in uentriculo habet omnes conditiones istas; ergo ista definitio conuenit chylo. Immo soli chylo (dicunt) non sanguini; quia non conuenit sanguini ista differentia ultima. Non enim nutriens cõuertitur primò in sanguinem; sed in chylum. Dimißis omnibus his, quæ dicuntur ab ipsis; dicamus ueram sentẽtiam Auic. Debetis scire (ut notauit Gal. secundo de facul. nat.) quòd nutrimentum tripliciter dicitur. Quoddam enim appellatur nutrimentum Verum; et hic est humor ultimè coctus; qui iam, actu nutrit, & aßimilatur. Alterum dicitur quasi alimẽtum; & est illa pars, quæ proximè accedit ad uerũ nutrimentum; & est illa, quæ est; in membro, sed nondum aßimilatur. Tertium dicitur futurum nutrimentum; & est sanguis, qui cõtinetur in uenis. Reliqua omnia sunt ualdè remota; neq; digna sunt, ut nutrimentum dicantur. Itaq; cibus non dicitur alimentum; sed materia alimẽti; sicut dicit Gal. de, cibo, et medicina. nam*

& medicina extra corpus; est materia potiùs medicinæ, quàm medicina. His ita statibus; appellauit Aui. nutriens ipsum cibum, ex quo conficitur alimentum. & dicit; quòd humor est id, in quod nutriens (idest cibus, qui est in potentia ad nutriendum) primò cõuertitur. Cibus certè primò conuertitur in humorem, id est in sanguinem; ex his, supra quæ nutrimentum dicuntur. nam quando cõuertitur in chylum; chylus est rudimentum tantùm sanguinis; & est in potentia sanguis, et non uerum alimentum. Sed sanguis primus est, quod alimẽtum poßit appellari. Primum igitur, quod dicitur habere formam alimenti; est sanguis; Ideo dicit, quod humor est ille, in quem primum ex his, supra quæ dicuntur alimenta; nutriens conuertitur. Primũ igitur appellatur respectu ad illa tria, quæ dicuntur alimenta; & hæc est uera sententia Auic. Reliqua omnia ita sunt distracta; ut semper habeant plus dubij, quàm priùs. Eius verò est humor bonus. *Facit unam primam diuisionem humoris ab essentia. Quia ex his humoribus; quidam sunt boni, quidam mali. Bonus humor; dicitur; qui potest attingere finem, ad quem ordinatur; sicut etiam dicitur de alijs omnibus rebus. Vnde gladij, & alia instrumenta; dicuntur bona, quæ sunt apta ad finem suum obeundum. Mala autem; quæ non possunt attingere finem suum. Finis autẽ humoris est nutrire corpus; bonus igitur humor est, qui potest nutrire corpus.*

Hæc prima diuisio est sumpta ab ultima differentia actu; scilicet à fine, qui est nutrire. Si enim asse-

quatur finem; bonus est humor. Si non assequitur; dicitur malus humor; sicut dicebam de instrumẽtis. hinc igitur sumit Auic. primam diuisionem; dum inquit. Eius verò est humor bonus; & est solus, vel cum alio. *Quoniam primò erat magna disceptatio inter Arist. & medicos (quam nos etiam tractauimus) Vtrùm solus sanguis sufficiat ad essentiam membrorum; an sint etiam necessarij ichores. Secundò; si teneremus etiam sententiam Hippocr. quædam membra sunt, quæ non æqualiter nutriuntur sanguine. nam lien nutritur sanguine; abundante plurima bile atra, Vesica autem fellea; sanguine, et bile. Quædam uerò alia nutriuntur æqualiter omnibus; & non uno plus, quàm alio; & propterea locutus est distunctiuè. Cuius proprietas* est, vt fiat pars substantiæ. *Hic sufficit unum; & non sunt necessaria multa, ut uoluit Gentilis; Quia ad unum sequuntur alia. Tamen Auic. ut meliùs declararet se; ut sufficeret unum, apposuit & alia; Sicut solemus omnes facere, quando uolumus clarißime intelligi. Si fiat pars substantiæ nutriti; sequitur necessariò, quòd aßimiletur; &, quòd fiat restauratio deperditi.* Et eius est superfluitas, & humor malus; & est, &c. *Postquàm definiuit, quid sit humor bonus; definit modò humorem malũ per opposita, quia oppositorum opposita est ratio. humor igitur malus est, qui non potest esse pars substantiæ; erit itaq; superfluitas humoris boni. ista sunt, quæ sentit Auic. Vtrùm autem bene, uel malè; dixerit; uidebimus postea. Nunc autem declaremus*

declaremus reliqua. Vnde antea expelli à corpore; dubium est, quòd vertantur in bonum, & certum est; quòd uertantur in malum; quare prestat ipsos expellere, quàm primum. Dicemus igitur; quòd humiditatum corporis quædam sunt. *Hæc uidetur esse continuatio peßima. Definiuit enim primò humorem; deinde distinxit in, bonum, & malum. Postea dicit.* (Dico aũt) *et facit subdiuisionẽ. Sed nos, qui uolumus tueri Auic. quantùm possumus; dicimus, quòd bene continuauit, quoniam dixit in definitione;* In quod primò conuertitur. Illud enim (primo) est reductiuum, *ad secundum; apparet igitur, quòd est alia humiditas præter primam. Deinde dixit; quòd quidam humor est bonus, quidam malus; Ideo optimè continuans dixit* dicemus ergo; quòd humiditatum corporis, quædam sunt primæ, quędam secundæ. *Quasi diceret. Cùm sint duæ humiditates; rectè dictum est in definitione; quòd humor est id, in quod primò conuertitur nutriens. Humiditates primæ; sunt illi humores, quos nos appellauimus congenitos. Qui; quidem uel sunt secũdùm naturam; & tunc sunt illi humores proportionales, et in quanto, & in quali; et in loco proprio existentes. Vel sunt præter naturam; quando aliqua harum conditionum deest.* Secundarum uerò humiditatum; sunt duæ diuisiones. *Nunc accipit secundum mẽbrum secundarum humiditatum. & hic definit primò in generali. & bene facit; quia definitio debet præcedere diuisionem.*

diuisionē. Inquit igitur; &, quæ sunt non superfluitates; sunt. *Primo dicit quòd sunt humores, à principali dispositione conuersi. Sed, quoniam urina, & stercus (ut ita loquar) sunt humores à naturali dispositione uersi; Ideo addit differentiam distinguentem hos humores utiles à superfluitatibus. Ideo addit* Delegati membris. *Et quoniam est etiā alia humiditas, quæ est conuersa à propria dispositione, & delegata membris; quæ est iam facta pars mēbri; propterea bene addidit.* Sed nondū alicuius membrorum. *Habita hac definitione; diuidit Auic. & ponit quatuor humiditates, conuersas, & alteratas; à propria dispositione humoris.* Prima est in venis capillaribus. Secunda exiuit extra venas, & est sparsa per membra; sicut ros. Tertia agglutinata quidem est membro, & habet quidem complexionem membri; sed nondum habuit perfectam formam; quā tertiam humiditatem appellant isti cambium. *Sed ego credo; quòd, neq; ipsi, neq; suus author Auic. rem intelligant; sed, quòd sint in errore omnes.* Quarta est (*inquit Auic.*) humiditas, quæ à principio natiuitatis est in membris simplicibus, continuans partes ipsorum. *Hoc quidē est mirum; quod hic dicit Auic. Hæc enim est series uerborū Aui. fideliter recitata; & hæc est sententia ipsius. Sed uideamus in his, quantùm errauerit. Et primò circa illam diuisionem* humor quidam est bonus, quidam est malus. *Hæc diuisio primò deficit, quia non*

non accipit oēs partes suas. Primò enim in illo membro, ubi habet humor bonus; est illud. (Cuius proprietas est, ut fiat pars substantiæ nutriti *hic deficit; quia sunt multi humores boni in corpore; qui tamē non sunt apti, ut fiant pars mēbri. Primò enim est bilis; delegata à natura ad instrumēta, ut fiāt excreationes. Si.n. fuerit obstructus porus felleus ita, ut nō trāseat ad intestina; uidetis, quot mala pueniāt. Secūdò; est atra bilis, quæ prouenit ad os uētriculi; ad excitandam famem ordinata à natura; & tamen non est apta, ut fiat pars membri. Præterea lac nonne est humor, bonus, & intentus à natura? Semen etiam; nonne est humor bonus, intentus à natura? Sub quo igitur membro continebūtur ista, quæ sunt excrementa? nam, quæ excernuntur extra; non sunt propter nutrimentū corporis, sed sunt excrementa utilia propter alios usus. & ita diuisio mala est; Neq; potest excusari. & uiderunt, Gentilis, & alij; has difficultates, sed ita admirabantur Auic. ut non auderēt carpere. Verùmtamen amicus Plato, & amicus Socrates; magis tamen amica ueritas. Volo igitur equidem; non studio carpendi Auicen. sed, ut dicam sententiam meam; & studio ueritatis; dicere, quid sentio. Melior igitur fuisset diuisio; si ita diuisisset. Humorum; quidam boni, quidam mali. Bonorum humorum; quidam sunt in uenis, quidam extra uenas. Boni, existentes in uenis; sunt quatuor. scilicet hi humores (de quibus loquitur) delegati ad nutritionem corporis. Boni autem, existentes extra uenas; sunt delegati ad aliquem*

quem usum. Iste usus; uel est pro conseruatione indiuidui, in quo est; uel pro conseruatione alterius indiuidui. Si pro usu indiuidui, in quo est; uel faciunt nutritionem, uel adiuuant ad nutritionem. Si primo modo; erunt quatuor humiditates secundæ. Vel, si non conferunt ad essentiam nutriti; conferunt saltem ad hoc, ut fiat bona nutritio. Boni uerò, existentes extra uenas, pro conseruatione alterius indiuidui, et non pro conseruatione indiuidui proprij; sunt quidem boni; uel quia efficiunt aliud simile; uel, quia nutriunt. Siquidem efficiunt aliud simile; est semen. Si autē nutriunt; est lac. & ita possent subdiuidi humores boni. Humorum modò malorum; quidam sunt similiter in uenis, quidam extra uenas. In uenis quidem; sunt omnes illi humores; qui peccant, uel in quanto, uel in quali; qui faciunt, uel cacochymiam, uel plethorā. Extra uenas autem; sunt omnia illa excrementa. & ita sumpta est hæc diuisio ex, bono, & malo. & credo; quòd hæc sit longè melior, quàm illa Auic. tamen ista neq; in omnibus satisfacit. Nam in secundo membro non possunt collocari, neq; urina, neque egestio; Quia, neq; urina, neq; egestio; est mala. Bene autem pituita acida semp mala est. At, neq; sub primo membro boni possunt collocari. Si igitur diuidatis, sicut nos diuisimus in principio; habebitis perfectam diuisionē, & remouebuntur multæ ambiguitates. Diuidebamus autem hoc modo. Humorum; quidam congeniti sunt, quidam post geniti. Humorum cōgenitorum; quidam sunt in uenis, quidam extra uenas. Humorum, congenitorum

nitorum in uenis; quidam sunt naturales; quidam non naturales. Naturales sunt sanguis cum suis ichoribus; quando, neq; in quali, neq; in quanto; peccant. Non naturales sunt illi ijdem; quando peccant, aut in quali, aut in quanto. Extra uenas; uel sunt naturales, similiter & boni; uel non naturales. Boni, & naturales; sunt; pituita, & bilis utraq;; in proprijs locis, et in propria quantitate, & qualitate. Non naturales; sunt illi ijdem; quando non sunt, uel in propria qualitate, uel in propria quantitate, uel & proprio loco. Humorū, post genitorum; quidā utiles, quidam non utiles. (Non aūt dicatis, boni, uel mali.) Si utiles; uel sibi, uel alijs. Si sibi; sunt quidem apti ad nutriendum, &c. Si alijs; uel generant simile aliud indiuiduū, ut est semen, uel nutriunt; ut lac. Si inutiles; uel absq; malitia, uel cum malitia. Si absq; malitia; sunt excrementa omnia naturalia. Cum malitia; sunt illi humores; qui, non tantùm sunt excrementa inutilia; sed etiam nocent; ut bilis æruginosa. Videatis modò diuisionem Auic. & uidebitis, in quot, & quātis; deficiat. Videatis & nostram; & (si placet) accipiatis. Hoc unum dico; quòd ex nostra diuisione tolluntur infinitæ difficultates, quæ sunt apud modernos. & hoc, quantùm ad diuisionem. Videamus modò; quantū peccauerit Auicen. ubi loquitur de humiditatibus. Dicit quòd humiditatum corporis; quædam sunt primæ, quædam sunt secundæ. Postea accipit secundum membrum; & dicit, quòd humiditates secundæ; aut sunt superfluitates, aut non superfluitates.

perfluitates. *Postea accipit duas humiditates non, superfluitates. & definiens primò illas; dicit, quòd* humiditates istæ sunt humores, conuersi à propria dispositione,& membris delegati;sed nondum pars membri alicuius perfectè effecti. *Aduertatis bene. humiditates secundæ,quæ non sunt superfluitates; secundùm Auicen.sunt illæ; quæ sunt alteratæ à propria dispositione,et delegatæ membris. Sed ita tamen; ut non sint effectæ pars membri alicuius perfectè. Notate,quòd dicit in ultimo definitionis; quòd postea diuidit has humiditates in quatuor species; & primam speciem dicit esse humiditatem, contẽtam in uenis capillaribus. Hic enim errat Auic. quia sanguis in uenis capillaribus nõ est dißimilis à sanguine, qui est in uenis magnis. Quorsum igitur distinguere hunc ab illo. Gentilis (ut defenderet Auic.) dixit mendacium pro Auic. Dicit enim; quòd sanguis in uenis capillaribus; non est idẽ cum sanguine,qui est in uenis magnis; & non est uerus sanguis. Ita enim sanguis est uerus in uenis capillaribus, sicut in, primis, & magnis. quòd patet experientia. Dicentes enim sanguinem è uenis capillaribus; uidetis eum habere omnes conditiones; quas habet sanguis,qui ducitur ex uenis magnis. De secũda autem humiditate bene sentit Auicen. De tertia uerò humiditate; totũ est falsum, & contra ipsum. Sicut etiam quando dicit de quarta humiditate; quòd est humiditas existens extra membra simplicia à principio natiuitatis, per quam continuantur partes membrorum; hoc est contra ipsius*

ipsius definitionem;quia in definitione dicit; quòd humiditates istæ secundæ,licet sint membris delegatæ; non sunt tamen pars membri effectæ. hic autẽ dicit,quartam humiditatem esse essentialẽ partem membri. hoc enim non dicebat Gal. pater ueritatis, & medicinæ. Nam, & ipse Gal. posuit quatuor humiditates; & fortasse Auicen. uoluit ipsum imitari. Sed, an intellexerit ipsum,nec nè; nescio.Bene autẽ scio; quòd Auic. sentit hoc ipsum, sicut nos exposuimus. Nam prima quarti,tractatu tertio, ubi loquitur de febribus hecticis; idem scribit de his quatuor humiditatibus.

Sed in hoc debetis primò notare definitionẽ ipsius Auic.(Nam cũ ipso agimus.) Humiditatũ harum secundarum. *Dicit enim; quòd humiditates hæ secundæ sunt humores; à propria dispositione,& principali; humoris alterati; & delegati membris. Ita tamen; ut nondum sint effecti pars illius membri. Vbi igitur non habebunt huiusmodi conditiones;non poterunt esse humiditates secundæ.Vt autem meliùs haberetis sententiã Auic.dixi uobis; ut adiretis ad tertium tractatum primæ quarti, cap. primo; ubi loquitur de febribus hecticis. Ibi enim ponit has quatuor humiditates; sed duas ponit simul pro una. Primam enim; ponit illam, quæ continetur in uenis capillaribus. Secundam; autem quæ est sparsa per membra sicut ros, quemadmodùm hic dicit.& dicit ibi; quòd hæ duæ humiditates sunt, sicut oleum in lucerna. Tertia humiditas dicit; quòd est quoddam coagulatũ, non tamẽ perfecta coagulatione ita; ut iam habeat perfectam formam*

mam membri. & comparat hanc tertiam; oleo, imbibito in ellychnio, non ampliùs existenti in lucerna. Postea ponit quartam humiditatem. & dicit, quòd quarta humiditas est essentialis in ipso membro, sicut est humiditas in ellychnio ipso propria ipsius, & substantifica, & naturalis; per quam continuatur; non accepta ab oleo; sed, quia adest in propria essentia ellychnij. hæc est opinio ipsius Auic. & non oportet ipsam aliò torquere; quia etiam se declarat allatis exemplis. Vt igitur uideatis quantùm discedat Auic. & à Gal. & à ueritate ipsius rei; oportet, ut uideatis quatuor humiditates, positas à Gal. Nam, et Gal. & Græci; posuerunt & ipsi quatuor humiditates; sed alio modo, quàm posuerit Auic. Gal. enim in secundo de fac, Nat. cap. xi; ponens has quatuor humiditates, non ponit historicè; sed per methodum, quam seruat in alijs omnibus. Vnde in lib. An ars tuend. sani. pertineat ad medicum, an ad gymnasticum; dicit, se nihil unquàm docuisse sine methodo. Audiatis igitur, quomodò Gal. per resolutionem doceat nos inuenire quatuor humiditates, incipiẽs à notione finis. Necessariũ est. (Inquit Gal.) ut si homo debet uiuere; nutriatur. At, si debet nutriri; debet nutriri alimento; alimentum autem non potest nutrire, nisi aßimiletur. Quod declaratur ex definitione nutrimenti. Nutritio enim est aßimilatio nutriẽtis ad nutritum. At, si debet aßimilare; oportet, ut agglutinetur, et adhæreat firmiter. Sed, quo modò agglutinabitur, nisi priùs apponatur? Sed, quo modò potest apponi; nisi priùs spargatur aliquid ad eum locum,

cum, cui apponitur? & ita ad nutritionem quatuor requiruntur, aßimilatio, agglutinatio, appositio, sparsio. Sed, si ita sit, & necessariæ sint hæ actiones; oportet, ut sit materia, quæ primò suscipiat has actiones. Hoc igitur modo facit resolutionem ex notione finis; postea componit. Oportet itaq; ; ut materia primò spargatur ad locum. Postea; quòd apponatur loco, Tertiò; quòd agglutinetur. Idest, quòd fiat, solida, dura, & tenax; sicut est membrum. Quartò; ut aßimiletur membro; accipiendo, integram, et perfectam; formam membri. Quando spargitur; est tanquã ros, & sapit naturam sanguinis. Postea incipit densari, & apponitur membro; non tamen densatur ita, ut agglutinari poßit. Tertiò; adhuc magis densatur, & unitur; & fit solida sicut est membrum; sed non ita tamen, ut habeat perfectam formam membri. Et hæc est agglutinatio. Agglutinatio enim est concoctio illius humoris ita, ut redditur crassus sicut membrum; sed ita tamen, ut nondum habeat perfectam formam membri. Quartò, & ultimò; accedit aßimilatio, & efficitur iam humidum nutrimentale, & fit par ipsius membri. & ita habetis; quatuor esse humiditates; &, quid sint singulæ; &, quomodò fiant; &, quomodò distinguantur. Galenus autem nunquàm satur bene docendi; dicit; Aduerte, Volo, ut cognoscas, quomodò istæ humiditates inter se differunt. Cognosces autem hoc (inquit) in ægritudinibus. Quandò enim humor non potest aßimilari propter morbum; quid contingit? Quando (inquàm) adhæret, & agglutinatur;

tur; sed non potest assimilari; contingunt, impetigines, (λεύκη dicuntur à Græcis) & uitiligines. Ex quibus etiam cadunt pili, quia humor ibi agglutinatus, corrumpitur, & non potest assimilari, & in hoc apparet differentia inter agglutinationem, & assimilationem. Quando humiditas apposita equidem est, sed nondum potuit acquirere formã agglutinationis; consequitur anasarca. Quia humor bene apponitur, sed non agglutinatur; quia non attingit soliditatem, & duritiẽ mẽbri nutriendi. Hæc ægritudo ostendit quomodò differant, appositio, et agglutinatio. Notetis modò, quid differat appositio à sparsione. Quãdo nõ apponitur, sed spargitur tantùm; consequuntur primò pustulæ in tota superficie cutis. Quia, ex quo non potuit apponi, & est sparsus; necessarium est, ut corrumpatur. & ita corruptus; facit uarias; pustulas, & abscessus, & reliqua huiusmodi. & ita planum est; quo modo differunt, sparsio, & appositio. Notetis modò quid differat sparsio ab ipsis humiditatibus. Quando humores non possunt spargi; fit ille affectus, qui dicitur à Græcis ἀτροφία. hoc modo docet Gal. cognoscere quatuor humiditates. & sic cognoscitis has quatuor humiditates, non tantùm ex Galeno, sed ex natura rei. Videamus modò, an Auic. fuerit rem, & Galen. assecutus. Ponit primò unam humiditatem, quæ est contenta in uenis capillaribus. hæc autem non est humiditas secunda; quia, quandiu humor est in uenis; est sanguis, non humiditas secunda. Nam humiditas secunda (ut ipse definit) erat humor alteratus

alteratus à propria dispositione, & delegatus mẽbris Huiusmodi antem humor in uenis capillaribus est merus sanguis, neq; alteratus à propria dispositione sanguinis, neq; delegatus membris. Quantùm ad secundam humiditatem, quam dicit esse rorem sparsum per membra; illa quidem est humiditas uera; sed est prima, posita à Gal. nõ autem est secunda (ut dicit Auic.) quia Auic. posuit primam humiditatem, quæ non erat humiditas; & posuit secundam, quæ erat prima; postea ponit tertiam humiditatem. Hic bonus uir accipit quidem tertiam humiditatem Gal. idest agglutinationem; sed dimisit appositionem. Vbi igitur relinquis ò Auic. appositionem? Non enim potest agglutinari priùs, quàm apponatur. Vnam igitur posuit; quæ non erat ponenda. Equidem non dixerim, Auic. non intelligere Gal. Sed potiùs loqui ex propria intentione contra Gal. Sicut etiam de forma, & complexione; de qua aliàs sufficientissimè dixi. Hanc tertiã humiditatem. quæ etiam est tertia Galeni, definit Auic. suo modo, ut uult; ponens etiam differentiam inter, complexionem, & formam; quæ differentia uana est, ut alibi diximus. Ponit ultimò quartam humiditatem. & in hoc magis peccat, quàm in alijs, quia hæc humiditas nihil habet commune cum alijs. Nec enim hoc dixit Gal. neq; potest dici. Sed Gal. quartam posuit humiditatem illam, quæ est, et nutrimentalis, & habens perfectam formam nutritionis, Iste autem loquitur de substantifica. Præterea hæc quarta humiditas nõ potest contineri sub definitione ipsius Auicennæ; quam posuit

posuit ipse superiùs, & assignauit. His humiditatibus secundis; primò non conuenit genus, quia non est humor aliquis alteratus. Deinde, neq; ultima differentia; quia ibi dicit, quòd hæ secundæ humiditates non sunt pars membri perfectè. Hæc autem quarta humiditas est pars membri essentialis. Hic Gentilis cognouit hanc difficultatem; & dicit aliquo modo hanc humiditatem quartam posse cõtineri sub definitione (saltèm obliq;) quia generatur ex spermate, sperma aũt ex humore alterato à propria dispositione. Sed hæc defensio nihil est; quia non est hæc humiditas eiusdem ordinis cum alijs. Quia hic loquimur de humiditatibus, quæ generantur in nobis; Illa autem humiditas est in semine, quod uenit aliunde. Præterea hæ secundæ humiditates possunt restaurari. Hæc autem quarta humiditas Auic. non potest restaurari. & utinã posset restaurari. & ita habetis diuisionem, & sententiam Galeni; quæ est uerissima. & illã, quæ est Auic. quæ, quantùm peccet; uidistis. &, si quis uelit postea magis uesci glandibus, quàm pane; eligat, quod uult. habet enim panem; & habet glandes. Accedamus ad alia. Et dicemus etiam, quòd humiditates humorosæ. Postquàm egit de humoribus secundis; redit modò ad id, quod intendebat. primò ad tractandum de primis humoribus. & primò ponit unũ uniuersale, quòd siue humor sit bonus, siue malus; sunt quatuor genera. Nõ dicit quatuor species; sed quatuor genera. & bene dicit. Circa hanc partem exponemus primò textum ipsius fideliter; deinde

deinde examinabimus, utrùm recte senserit Auicen. nec nè. Intelligit humores humorosos; humores, qui sunt uerè humores; &, qui sunt definiti in principio. Boni, & superflui. Non apparet, quid intelligat per superfluum. utrùm id, quod superiùs dixit malum? nunquid superfluum dicitur de eodem? Reuera superfluum dicitur de quanto, non de quali. & potest esse aliquid superfluum; & tamen non erit malum. Sed quoniam ipse non dixit; oportet hic ariolari. Tamen dicimus; quòd, siue intelligat de humiditate, peccante in quali, siue in quanto; semper erunt quatuor genera humorum (sicut et nos superiùs diximus) semper enim appellabuntur, uno, & eodem, nomine. Sunt igitur quatuor; & nominat illa. Primum; est sanguis, quem appellat omnium optimum. Hæc sententia est, secundo de temp. etiam ipsius Galeni. Appellat enim sanguinem syncerum. Sed (ut dicit Gal. in quinto de usu partium, cap. 16.) non est intelligendus sanguis syncerus, quò ad rationẽ, sed quo ad sensum; & est sanguis optimus omnium. Ratio autem est; tum ex parte materiæ, quia fit ex materia meliori. ex parte. s. unctuosa, et dulci. tũ ex parte causæ efficientis. Quia alij humores fiunt à calore excedente; Sanguis autem solus à calore temperato. tum etiam ex parte formæ; quia est, calidus, & humidus; in calido autem, & humido; stat uita. tum etiam ex parte finis; quia sanguine nutriuntur membra nobilia, ut cor, & hepar. Vilia autem alijs. De cerebro autem, utrùm sanguine nutriatur, an non; &, utrum

ſit tam nobile, ut dicunt; uidebimus in quæſtione. Sanguis uerò exiſtit natura, calidus, & humidus. *Nunc uult diſtinguere ipſum ſanguinem; ſed proponit primò conditionem unam communem, tam bono, quàm malo, quòd ſcilicet dominatur in eo, caliditas, & humiditas. &, quòd niſi ſit, calidus, & humidus; non erit ſanguis. optimè igitur, antequàm fecerit diuiſionem in, bonum, & malum, ſanguinem; poſuit hanc conditionem, quæ eſt communis utriq;. Tacuit autem ſecundam conditionem, quam nouit Galenus (et hæc differentia eſt maximè eſſentialis. & non poteſt dignoſci ſanguis à ſucco melancholico meliùs, quàm per hanc differentiam.)* Videlicet *per, congelari, & non congelari.* Nam, *& ſanguis, & ſuccus melãcholicus; eſt niger; diſtinguuntur autem, quia ſanguis congelatur, ſuccus autem melancholicus non congelatur. Poſtea diuidit Auic.* ſanguinem in duas ſpecies; in naturalem, & non naturalem. Naturalis autem; eſt, cuius color ponit conditiones ſanguinis naturalis tres. Prima eſt, quòd eſt valde dulcis. *& addit illud* valde. *Quia uult, quòd etiam pituita naturalis ſit dulcis. Vtrùm autem ſit hoc uerum, uel non; quòd pituita ſit dulcis aliquo modo, & ſanguis ualde dulcis; declarabimus inferiùs.* Dicit *ſecundò; quòd* nihil olet. *Nõ aũt intelligatis, qd̃ careat prorſus odore; ſed, quòd caret ingrato odore. Vnde bene dixit ille; ille bene olet; qui nihil olet. Tertiò dicit, quòd eſt coloris rubei. Quòd autem ſanguis non fœteat; ratio eſt, quia fœtor eſt ex*

eſt ex putredine. putredo autem conſequitur, quando calor non perfectè dominatur in humidum. At *in ſanguine calor optimè regit humidum.* Dicit *etiam; quòd eſt ualdè dulcis. Cauſa autem huius rei; eſt, quia ſapor dulcis efficitur, quando humidum eſt bene cõcoctum à calore. & ſolus hic ſapor eſt naturalis; quia in hoc ſolùm, & humidum, & calidum; eſt temperatum. Alij autem ſapores non ſunt naturales.* Eſt rubeus etiam. Dicit *Galen. in octauo de placitis; quòd Plato ex Hipp. colligit etiam cauſam rubedinis in ſanguine.* Nam, *licet non dixerit Hippocr. apertè, quare ſanguis ſit rubeus, quia hoc non pertinebat ad ipſum; tamẽ ex temperatura ſanguinis, quam docuit Hip. colligit Plato cauſam rubedinis. Eſt enim, calidus, & humidus; at calor; ſi ſit in materia, humida, et craſſa; facit rubedinem. &, ſi materia adhuc ſit magis craſſa, & ſicca; facit nigredinem. Sicut cõtrà, ſi ſit calor in materia ſubtili; facit ipſam lutei coloris. Vt patet de igne; Qui, ſi ſit in re, ſubtili, et tenui; facit colorẽ luteũ; ut, ſi ſit in palea. At; ſi ſit in re craſſa moderatè; tamen facit rubedinẽ. In ſubſtantia aũt ualdè craſſa, et ſicca; facit nigredinem; ut, quando facit carbonem. Calor igitur; ſi agat in materiam bilioſam; quia materia iſta eſt ualdè ſubtilis, facit illam eſſe lutei coloris. At, ſi materia ſit craſſa, qualis eſt materia ſanguinis; recedit color à luteo, et fit rubedo. Quòd, ſi magis adhuc ſit craſſa, ut eſt materia ſucci melancholici; adhuc fit maior receſſus à colore luteo, & fit nigredo.*

LECTIO. XXX.

REPETAMVS adhuc; ut meliùs intelligatis. Dixi igitur ex Gal.octauo de plac.Hippocratem quidem non dixisse expreßè causam rubedinis in sanguine; sed ea tamen dixisse; ex quibus poterat haberi causa; dum ponit sanguinem esse temperatum temperatura;calida,et humida; et mediocris substantiæ inter,tenuem,& crassam. Rubedinem enim in sanguine clarum est effici ex humiditate media inter, craßitudinem,et tenuitatem. et dixi ex Platone in Timæo; quòd,quando ignis agit in subiectum crassum ualdè,et terreum; redditur flāma nigra. Sicut uidemus, quando,pix,aut aliquid huiusmodi; ardet. Vbi autem materia sit admodùm tenuis; facit flammam,fuluam, & claram. Vbi autem materia sit media; facit flammam medi am iter, nigram, et claram. Color autem talis medius; est color rubeus; sicut etiam dicit Gal.secundo de crisi, ubi loquitur de coloribus urinæ. Proportionaliter igitur sumens Plato colores in ipsis humoribus; dicit, quòd,ubi calor complexionalis sit in subiecto crasso; facit colorē nigrum. Vbi autem sit subiectum tenue ualdè; facit colorem fuluum. Vbi ueró sit medium subiectum, fit color rubeus. Ideo bene dixit Gal.octauo de plac.quòd Hipp.non expreßit causam rubedinis in sanguine; dedit tamen ansam inueniendi causam huiusmodi. Hæ igitur erant tres conditiones, positæ ab Auic.de sanguine naturali. Galenus tamen duas alias ponit differentias in tertio de alim.

alim. Prima est,quòd sit mediæ substantiæ inter tenuitatem, & craßitudinem; & hic sanguis est maxime naturalis. Secunda conditio (Quam posuit Gal.in libro Quòd animi mor.seq.tēp.corp. et Arist.in secundo de part.animal.cap.secundo) est, quòd habeat, uel multas fibras,uel paucas fibras. Quia (sicut determinat Gal.ibi in lib.Quòd animi mores seq.temp. corp. Quòd tamen accipit ab Aristot.loco allegato.) Illi, in quibus sunt multæ fibræ in sanguine; sunt ualdè robusti. & apparet hoc in tauris, & in animalibus robustis. Sed iste sanguis fibrosus non facit ad ingenium; licet faciat ad motum,& ad robur. Cùm igitur corpora hominum sint uarijs modis temperata in fibris sanguinis; ideo etiam dicetur sanguis, magis, & minùs,naturalis; prout,plures,aut pauciores; fibras habuerit. Si uolumus excusare Auicennam; possumus dicere, quòd complexus sit has duas conditiones sub colore. Quia non potest esse sanguis rubeus; nisi sit medius inter,craßitudinem,& tenuitatem. & eadem est ratio de fibris; quia nunquàm erit sanguis fibrosus ualdè, nisi sit crassus. Crassus autem est niger; non rubeus. neq; carebit prorsus fibris,nisi sit tenuis; tenuis autem est fuluus. At sanguis naturalis est rubeus; erit igitur sanguis naturalis moderatè fibrosus. Est etiam sciendum de causa efficiente sanguinis naturalis (ut perfectam cognitionem habeatis) quòd factus est sanguis à calore temperato. Quia, si sit calor diminutus, erit incoctus; & ita aquosus, & non dulcis,& non rubeus. Si autem sit calor excedens;

erit ſanguis, tenuior, fuluus, non dulcis. Secundò fit ex materia optima alimenti; quia (ut dicit Gal. ſecundo de facul. nat.) fit ex pingui, & unctuoſo alimento. Vnde in lib. de plenitu. dicit Gal. quòd ſanguis fit præter naturam propter alimenta craſſa. Vbi igitur ſit calor moderatus; & cibi ſint boni ſucci, ex quibus poſſit elici à calore temperato plurimum ſucci. Tunc fit multus ſanguis bonus. Vnde poteſtis elicere (Contra opinionẽ omniũ modernorũ; qui dicunt à tẽperatura, calida, & humida; plus ſanguinis generari; quàm à temperatura æquali) quòd, ubi cibi adſint boni; iſti generant plurimum de ſanguine bono. Vnde qui eo nutriuntur, fiunt quadrati. Poſtea habet aliam conditionem; quòd continuè nutrit. & annotauit eam Auicenna in definitione. & ratio eſt; quia eſt humidus, & optimus omnium humorum. hinc ſequitur, quòd, optimè nutrit. Vnde ſequitur; quòd qui habent plurimum de optimo ſanguine; optimè nutriuntur, & fiunt quadrati. Ex quo ſequitur; quòd hi poſſunt in tempore fieri humidi conſecutiuè, et efficientur plethorici; & quòd incidunt in abundantiam carnis, & ſuffocationem, niſi exerceantur, & temperato utantur uictu. et hinc uidetis, quo modo totum fundamentum artis medicæ ſtat in cognitione humorum. Satis igitur hæc de ſanguine naturali. Poſtquàm igitur Auic. dixit conditiones ſanguinis naturalis; dicit modò. Non naturalis verò; ſunt duæ diuiſiones. Nunc agit de ſanguine non naturali; & inquit, quòd ſanguis non naturalis primò dupliciter diuiditur.

Aut, quòd in propria ſua natura aliquid contingit ei, à quo mutatur ad præter naturam. ut, ſi fit, uel calidior, uel frigidior. Ex quo ſequuntur operationes, tantò deteriores, quantò maior fuerit alteratio. & hic bene notetis; quòd non intelligimus de alia alteratione facta, quàm à qualitatibus primis. et, quoniam ad hanc alterationem ſolet ſequi alteratio aliarum qualitatum; hic eſt intelligendum, quòd alteratio hæc ſit in primis qualitatibus tantùm ita; ut temperata; non poſſit fieri alteratio, neq; in ſubſtantia, neq; in ſecundis qualitatibus ita; ut, neq; ſapor, neq; color, mutetur. & bene notetis hunc punctum; quòd & Auic. notauit. Vnde Galenus optimè dicit in ſecundo de differentijs febrium, ubi loquitur de putredine ſanguinis; Quòd, ubi ſanguis plurimùm alteratur. Addit (plurimũ) Quòd tenue eſt; uertitur in bilem. quòd craſſum eſt; in ſuccum melancholicum. Quantũ igitur ad hoc primum membrum; non fit immutatio, niſi in primis qualitatibus; non in ſubſtantia, neq; in alia qualitate. Secundum membrum eſt; quòd immutatur ſanguis propter miſtionem alterius ſubſtantiæ. Et hoc dupliciter. Vel, quia aduenit alia ſubſtantia ab extrinſeco; uel quia propter plurimum exceſſum in complexione abſq; eo, quòd extrinſecùs aliquid aduenìat; generatur, aut putredo, aut bilis, aut ſuccus melancholicus. & hoc membrum coincideret cum membro primo principali diuiſionis; niſi ita intelligeretur illud primum membrum, ſicut nos diximus. Prima diuiſio; eſt Gal. in lib. de plenitudine. Quantùm uerò ad diuiſionem

ſionem ſecundi membri; eſt quidem hæc Galeni in ſecundo de differentijs febrium, ubi agit de putredine ſanguinis. Diuiſio modò tota Auic. eſt facilis; Et huius etiam diuiſionis partes. Secundùm illud; dicit; quòd, ubi ſanguis ſit præter naturam ex admiſtione ſecundùm naturam illius, quòd admiſcetur, uariatur ſanguis in ſuis conditionibus. primò in colore; quia, ſi admiſcetur bilis; fit fuluus. Si ſuccus melancholicus; niger. Secundò in odore; quia, ſi bilis; fit nidoroſus, Tertiò in ſubſtantia; quia, ſi admiſcetur bilis; fit tenuior. Si ſuccus melancholicus, craſſior. Phlegmatis autem. *Tranſit modò ad naturam phlegmatis. hactenus declarauimus mentem Auic. ut pro ipſius intellectione ferè nihil poſſit deſiderari; Sed modò; quoniam quidem, & deſidero, ut habeatis ſcientiam integram; et naſcuntur hic multæ quæſtiones, non de lana caprina; ſed, quæ attinent ad artem; Ideo eſt hic immorandum. Circa igitur hoc, cùm ſanguis dicatur bifariam (ut dicit Galenus in lib. de natura humana) Primò, exquiſitus, & purus; ex quo, neqúe generatur homo, neqúe nutritur. Alio modo commiſtus alijs humoribus. Hic quæritur, de quo ſanguine intelligat Auicenna. Dicimus igitur; quòd loquitur de ſanguine, puro, & exquiſito. Et, quòd hoc ſit uerũ; apparet, quia ponit ipſum contra diſtinctũ tribus alijs humoribus. Sed hic modò oritur quæſtio; utrùm detur actu iſte ſanguis purus. & uidetur, quòd non; quia hoc uidetur contra ſententiam Hipp. qui dicit ſanguinem purum nunquàm inueniri in cor-*

pore

pore humano. Dicebat etiam Gal. in lib. de plenitudine; quòd nunquàm in uenis reperitur ſanguis purus. Quòd, ſi non in uenis; ubi nam itaq; reperietur. Hoc eſt; Contrarium tamen uidetur dicere Hippocr. quòd in uenis purus reperitur. & probat experimento. Quia, ſi demus pharmacũ; euacuans, pituitam, aut bilem rufam, aut atram. &, ſi ſit pharmacum uehementius, quàm cõueniant homini; educet primò humorem conuenientem, ultimò educet ſanguinem. Ergo datur ſanguis purus; actu exiſtẽs in uenis. Præterea; quando dicit Galenus in libro de plenitudine; quòd ſanguis poteſt uitiari, aut ex ſe, aut ex miſtione aliorum humorum; ergo & ipſe uidetur concedere ſanguinem purum. Quid igitur dicemus? Dicimus; quòd inuenitur purus in uenis, et exquiſitus. Quod utiq; probatur, ratione, & ſenſu. Ratione quidem; quia, ſi ſint in uenis alij humores, puri, & exquiſiti; ergo et ſanguis etiam erit in uenis, purus, & exquiſitus; quia par ratio eſt, unius, et alterius. Senſu apparet etiam; quia dum exit ſanguis; eſt aſſignare aliquam partem, quæ ſit pura, et ex colore, & ex dulcedine, & alijs proprietatibus. Hic tamen ſanguis, licet ibi ſit purus actu; actu tamen nũquàm ſeparatur. Vnde aliud eſt dicere, quòd in uenis ſit pars aliqua ſanguinis pura; et dicere, quòd actu ſeparetur ſanguis purus, ſicut in lacte. licet enim ſit lac actu purum; nunquàm tamen poteſt actu ſeparari à ſero. Sic igitur etiam de maſſa ſanguinis eſt dicendum. Quòd autem nunquàm inueniatur eiuſmodi ſanguis purus ſeparatus; primò probatur ex prima eius

generatione,

generatione, quia nunquàm generatur ſanguis purus ſeparatus. Præterea ex uſu ipſius ſanguinis; quia, ſi eſſet ſeparatus, eſſet inutilis naturæ. Quia ex ſanguine puro, ſeparato, non fit generatio; quare, neq; nutritio. Quia ex quibus conſtamus; eiſdem etiam nutrimur. Nullum enim eſt membrum in corpore; quòd non habeat quatuor elementa proxima. Etiam enim ſpiritus ipſe habet quatuor elementa proxima, quæ ſunt humores. Immo, ſi ſanguis purus eſſet ſeparatus; omnino uitiaret humores hominis. Quia, ubi ſanguis plurimus ſimplex abundat (ut dicit Galen. in lib. Quòd animi mor. ſeq. tem. corp. & in lib. de natura humana, circa finem) ſunt illi, ſimplices, pigri, & inepti ad operationes. Immo dicebat etiam Gal. in lib. de natura humana; quòd ſanguis temperatus non dicitur temperatus, niſi ex temperata miſtione quatuor humorum. Datur igitur ſanguis purus, actu exiſtens in uenis; ſed non tamen ſeparatus. Sed accipiamus hũc ſanguinem purum, licet non ſit ſeparatus actu; accipiamus tamen per intellectum, ſeparatum, & ſequeſtratum; ab omnibus alijs humoribus. Hic quæro; utrùm ſit homogeneum quiddam talis iſte ſanguis, purus, & ſeparatus ita; ut habeat diuerſam ſubſtantiam? Notetis; quòd hæc interrogatio uidetur habere multas anſas; & ex optima reſponſione ſoluentur multæ difficultates. Dicimus; quòd nunquàm inuenietis ſanguinẽ iſtum purum homogeneum. Sed habet adhuc diuerſas partes; quia eſt in eo pars quædam ſubtilior, & ſeroſa; et ille humor dicitur ichor ſanguinis, et, non ſolũ ſanguis

habet

habet iſtũ ichorem; ſed etiã pituita habet ſuũ ichorem, & bilis, & ſuccus melancholicus. Hoc autem non eſt meũ; ſed eſt Galeni inuẽtum ſexto epidem. commentatione ſua ſecunda, ſuper illa ſententia. (Sanguis ichorides in uigilãtibus, ſiue bonus, ſiue malus.) Ibi enim ponit Gal. quatuor ichores in quatuor humoribus; qui ſunt contradiſtincti ſinguli ſingulis ſuis humoribus. & bene notetis hanc partem; quia ex hoc patet, quid ſit dicendum ad quæſtionem de febre ſanguinis. hoc nomen (ichor) propriè apud Græcos tabes quædam eſt, quæ ſolet uiolenter elici ex aliqua re ſuccoſa; ut, quando carnes aßãtur ueru; uidetis ex carnibus colliquari ſuccum quendam. Eiuſmodi enim ſuccus, ſiue tabes; appellatur ichor à Græcis. Apparet hoc idem, in febre peſtilenti, in fluxibus liquefactiuis, & in febribus tabidis; In his enim omnibus apparet liquor quidam colliquatus in excrementis. Etiã in ulceribus extrinſecis; quia ex carne ulcerata manat quædam tabes; quæ nõ eſt, neq; ſanies, neq; ſanguis; ſed quidam ichor emanans ex ſubſtantia. hoc propriè ſignificat ichor apud Græcos metaphoricè. Poſtea dicimus ichores; quicunq; exeunt ex aliqua ſubſtantia humores. Vnde Ariſt. ſecundo de generatione animalium appellauit per ſimilitudinem, pituitam, & utranq; bilem; ichores ſanguinis, ſicut diximus ſuperiùs. Tertio dicũtur ichores (ſicut appellauit Galenus in loco allegato ſexto epidem. commen. ſecunda) partes illæ ſubtiliores, quæ emanant ex humoribus ſingulis.

Dicimus igitur, propriè ichorem eſſe nihil aliud,

quàm

quàm succum quendam subtiliorem, per uim exprès=
sum ex aliqua substantia, quem tabem uocant Latini;
ut apparet in carnibus assatis; ex quibus, dũ assantur;
emanat quidã succus, ui caloris ignei expressus. Etiam
in ulceribus malignis idem apparet; ex quibus humor
quidam expressus emanat; qui, neq; est sanies, neque
sanguis. Postea per metaphoram dicitur ichor quili=
bet humor, ex substantia aliqua emanans solida. et ita
habetis; quòd singuli humores habent suos ichores; et,
quid sit ichor. & scire hoc maximè pertinet ad intel=
ligendam quæstionem de febre sanguinis. Postea erat
aliud dubium de sanguine. Dicitur ab omnibus, quòd
sanguis sit, calidus, & humidus (hoc dicunt Gal. Hip.
Auic.) Sed uidetur esse dubium. Vtrùm reuera sanguis
sit, calidus, & humidus. &, si sit; quomodò sit, calidus,
& humidus. Nam Gal. uidetur negare; sanguinem es=
se, calidum, et humidum. In primo enim de natura hu=
mana (ubi Hippocr. dicit in tex. sanguinem esse, calì=
dum, & humidum; ita, ut proportionalis sit ueri; sicut
alij humores correspondent alijs temporibus anni)
Gal. ibi in commento ait; Aduerte, quòd sanguis non
est, calidus, & humidus; sicut, neq; uer est, calidum, et
humidum. Alibi tamen fatetur; sang. esse. calidum, &
humidum. Dicimus igitur cum Hippocr. sang. esse, ca=
lidum, & humidum; sed dicitur, cal. & humidus; non
per excessum, sed hoc nomẽ est nomen temperamentì
in sanguine. Vnde sanguinem potestis dupliciter con=
siderare, sicut et alia omnia. Vel in sua naturali tem=
peratura absolutè sine respectu ad aliud; & hoc mo=
do

do certè est, calidus, & humidus; per excessum. Alio
modo potestis cõsiderare per respectum ad aliquem;
ut distinguit Galenus in primo de tempe. ubi loquitur
de temperatura ueris; & ad hunc sensum dicitur, ca=
lidus, & humidus; non per excessum; sed, ut tempera=
tus; quia, tantum habet de caliditate, & humiditate;
quantum sufficit, et conuenit pro natura animalis. Sic
etiam dicimus; uer esse, calidum, & humidum; nõ, quia
excedat; sed effectiuè; quia facit, caliditatem, & hu=
miditatem. Generat enim sanguinem; qui, cùm sit, ca=
lidus, & humidus; est tamen temperatus. Quia tale
temperamentum, calidum, & humidum; in sanguine;
tantum est, quantum conuenit naturæ animalis. Alij
uerò humores, non dicuntur tales per temperamen=
tum, sed per excessum. & ita uidetis secundùm quem
sensum dicatur sanguis, calidus, & humidus. et ita sal=
uantur, Gal. & Hippocr. & omnes; quare dixerint
sanguinem, calidum, & humidum; & uer, calidum, &
humidum. & breuiter, quicquid dixit Galen. de uere;
idem dicatis de sanguine. Differunt tamen; quia san=
guis talis est sua essentia, & formaliter. Ver autem;
effectiuè. His ita declaratis; modò quæritur, an hic
sanguis purus contra distinctus alijs humoribus, possit
putrescere. & loquimur de putredine intra uenas;
quia extra uenas putrescit facillimè omniũ, & de hoc
nulla est dubitatio. Et breuiter dicimus; quòd potest
putrescere. Quod, nõ solùm authoritas attestatur; sed
etiam ratio. Nam, si potest, calefieri, & frigefieri, &
alterari in se ipso (sicut ait Auicen. in superioribus, et
Galen.

Galen.in lib.de plenitudine) cur etiam non poteſt putreſcere? Cùm putrefactio,(ut dicit Ariſt.quarto meteor.) fiat, quando calidum non poteſt, dominari, & regere;humidum, propter nimiũ exceſſum. Sed quæritur,cùm putreſcat ſanguis; quam febrem faciat. Neceſſarium eſt, ut faciat febrem; ſicut & alij humores putreſcentes faciunt. Quæritur igitur, ex quo poteſt putreſcere ſanguis in uenis, utrùm faciat febrem diſtinctam. &, ſi diſtinctam; quo nomine ſit appellanda. Breuiter omnes Græci recentiores conſpirant in hoc; quòd facit quartum genus febris, et uocant ſynocham febrem. hoc declarabo primùm quo modo ſit intelligendum; deinde,utrùm Auic.iure, & præter ſuũ morem immodeſtè, inuehatur contra Gal. Primò igitur afferam rationes eorum; qui dicunt,febrem ſanguinis eſſe ſynocham febrem. Deinde uidebimus; utrùm iſti rectè ſentiant. Primò itaq; dicunt, quòd ſynocha fit à putredine ſanguinis, moti authoritate Galen. 9. Therap.cap.tertio; Quia dicit; ſynocham non fieri,niſi in corporibus abundantibus ſanguine plurimo. Quod interpretati poſtea omnes recentiores Græci; uno ore dixerunt, ſynocham fieri ex putredine ſanguinis; & Paul.& Aetius,et Trallianus.et alij & poſtea; Arabes, Auic.& alij. Præterea ſigna manifeſtãt hoc;quia (ut dicit Gal. 9.Therap. cap.tertio, ſecundo, et quarto) Primo pulſus ſunt,uehemẽtiſſimi,maximi,frequentiſſimi,et uelociſſimi. Quantùm ad frequentiam,et uelocitatem; poteſt etiam contingere in putredine bilis. Sed,uehementia,& magnitudo; non poteſt eſſe in cacochymia,

cochymia, ſed à ſanguinis multitudine, putreſcentis; Ideo ab hoc ſigno iudicatur, ſynocham eſſe febrem à putredine ſanguinis. Addit aliud ſignum; dicens,quòd calor febris ſynochæ eſt, mitis; & ſuauis; quod indicat putredinem ſanguinis, ut dicit in ſecundo de diff. febr. & non poſſumus aliter gloſſare. Tertiò indicat ipſa curatio. Gal. enim docet curare febrẽ ſynocham miſſione ſanguinis uſq; ad lipothymiam. & hoc fit in ſola ſynocha. &, quibus non fuerit hoc modo miſſus ſanguis (inquit Gal.) ij moriuntur. & hoc ſignũ magnum; eſt etiam Hippocr. proprium. Quartò eſt ratio. Nam febres continuæ ardentes non ſunt, niſi duæ; ſynochus,& cauſus;ſicut dicit Gal.in ſecundo de criſi,cap.tertio.Sed certum eſt,quòd cauſus fit à bile;ergo ſynochus fit à ſanguine,quia aliter non poſſent diſtingui. Nam certum eſt, quòd non fit à pituita,neq; à melancholia; ergo,uel à bile, uel à ſanguine. Nõ à bile; quia ab ipſa fit cauſus;ergo fit à ſanguine.Hæc igitur ſunt argumenta; quibus probãt, febrem ex putredine ſanguinis eſſe ſynocham. In contrarium apertiſſimè eſt Galenus alibi;qui uult,quòd fiat ſynochus à bile. & eſt in ſecundo de diff. febrium; ubi loquitur de febribus continuis, faciens diſtinctionem continuarum à bile. Quarum dicit duo eſſe genera; unum appellat ſynocham, alterum cauſum. Quid igitur dicemus hoc loco? Habemus authoritatem hanc magnam quidem; ſed nudam, & diſtinctam. Si uolumus bene intelligere hanc materiam; oportet ſeruare; quæ præcipit Gal. in quæſtione illa; An ars tuend.ual.pertineat ad gym.

Dicit

Dicit autem ibi; considerandos esse terminos, qui sunt in quæstione ita; ut bene distinguamus, prædicatum, et subiectum. Quoniam igitur hic quæritur, utrùm synocha fiat à putredine sanguinis; oportet uidere, quid sit synocha, quod est subiectum. & postea; quid sit putredo sanguinis, quod est prædicatum, Incipiamus itaque primò à declaratione subiecti. Synochus igitur. (Vt exponit Gal. 9. Therap. cap. secundo, & tertio) dicitur febris, nõ ab humore peccante; sed hic est suus characterismus, ut nullum habeat paroxysmum diuersum, sed unum tantum. Reliquæ uerò omnes habent paraxysmos. Nam ardens; licet sit continua, habet tamen exacerbationes de tertio in tertium. sic et aliæ omnes. Febris autem synocha; semper, uel uno tenore; à principio ad finem augetur, uel semper minuitur; uel semper stat; Sed unus semper est paroxysmus. hæc est propria differentia; & hic etiam characterismus, distinguens synocham ab alijs febribus. Ideo dicit Gal. quòd dicuntur synochi, quasi conclusæ. & dicit esse nomen barbarum; Sed acceptum tamen istud nomen; ut distingueretur hæc ab alijs febribus continuis, quæ συνεχοὺς ab ipsis dicuntur. A' quo uerò humore fiat synochus; nunquàm explicuit Galenus, nisi in uno tantùm loco, hoc est, in fine libri de differentijs febrium; Dicens (Citat autem ibi authoritatem Praxagoræ) quòd fiunt febres synochæ ex putredine humorum, qui sunt in magna uena. Sed non distinguit, qui nam sint isti humores. In quodam tamen loco. 9. Therap. cap. tertio; dicit apertè; quòd fiunt, quando humores

æqua

æqualiter putrescunt in uenis. Iam habetis primò, quid sit synocha; & habetis putredinem ipsius, quænam sit secundum Galenum. Cui nolumus aduersari; quoniam dicit esse febrem synocham, quando humores æqualiter putrescunt in uenis. Videndum est quidem; quo modo hoc sit intelligendum. Si igitur uos intelligatis totã massam sanguinis æqualiter putrescere ad hunc sensum; quòd putredo æqualiter sit in omnibus quatuor humoribus; & sit uerum, quòd ista putredo sit, uel in omnibus uenis totius corporis, uel in magnis uenis; & uenæ magnæ sunt illæ, quæ sunt intra; Nemini dubium est; quòd illa febris non est illa, quæ habet signa illa dicta à Gal. Nam non erunt pulsus uehementissimi, neq; maximi. Nam, si in ephemera concidunt uires; quid dicendum, ubi putrescit sanguis cum sua tota massa? Immo sequitur prostratio totius uirtutis. & propterea nunquàm, stante ista putredine in tota massa sanguinis; poterit stare uirtus; quia, & spiritus, & calor innatus; erit putridus. & si pulsus non potest esse uehemens, quando putrescit bilis; quo modo poterunt constare pulsus, quando putrescit tota massa sanguinis? Non poterit igitur pulsus esse, uehemens, & magnus; nè dum, uehementissimus, & maximus. Præterea calor ille non erit mitis; Immo in extremis partibus apparebit frigidus, & erunt omnia accidentia sæua. Nam, si fiunt accidentia sæua, quando putrescit unus humor; quid credendum est, quando tota massa putrescit? Neq; tamen facilè soluetur hæc febris; propterea hæc non sunt dicenda,

Z quòd

quòd putredo in ſynocho ſit talis, quòd tota maſſa ſanguinis æqualiter putreſcat. Sed quis dicet; bene cõcedo, quòd ſi tota maſſa ſanguinis putreſceret ſimul in oĩbus ſuis partibus; ſequerẽtur iſta, quæ tu dicis; Sed tu decipis, quia res nõ ita eſt. Sed quãdo dicimus putredinẽ eſſe in tota maſſa ſanguinis æqualiter, et in omnibus per indifferentiam; iſtud eſſe intelligimus, quia non magis in una parte, quàm alia; Iſtud nihil eſt, neq; ſtat cum Galeno. Quia Gal. ſecundo de diff. feb. poſtquàm comparauerat putredinem intermittentium putredini continuarum; quia putredo iſta fit per partes; ubi incipit diſcurrere cauſas febrium continuarum; dicit, exemplum de fimo nõ ampliùs eſſe ad propoſitum, quia hic non putreſcunt humiditates per partes. Sed clariùs. 9. Therap. cap. tertio; dicit; quòd non poteſt fieri febris iſta ſynocha in corporibus frigidis, quia nõ poteſt confertim putredo occupare omnes partes propter reſiſtentiam frigiditatis corporis. Ergo ſimul omnes partes occupantur; & non per partes in febre ſynocha. Inde eſt, quòd nunquàm pertranſit hæc febris quartum diem (ſicut dicit Gal. ſecundo de diffe. feb.) quia abſumitur materia ſicut, ſi ignis occuparet ſtipulam totam. At, ſi partem poſt partem occuparet; poſſet durare iſta febris per multos dies. Synocha igitur eſt talis naturæ, & non poſſumus aliter gloſſare. Stat igitur, quòd iſta putredo ſit æquabiliter in toto corpore. & tunc non ſequentur ſigna, quæ dicit Gal. ſequi ad febrem ſynocham; quare non erit illa febris ſynocha. Immo dicit Galen.

quòd

quòd putreſcit æqualiter tota maſſa ſanguinis in ſynocho; quid igitur dicis ad authoritatem Gal? Audiuiſtis, quid dixerim in principio, quòd omnes humores habent ſuos ichores. Cùm igitur ſint iſti ichores, qui poſſint ex uiolenta cauſa exprimi; ubi æquabiliter augentur humores proportionaliter (.ſ. omnes humores in uenis) ubi non poſſit fieri tranſpiratio propter multitudinem, & aduenìat aliquid conſtipãs; incaleſcunt illi humores; & inde eſt, quòd incipiũt ab ephemera. Quia, dum incaleſcit ſanguis; fit ſynocha ſine putredine propter ſolam conſtipationem, quæ eſt media inter, ephemeram, & putridam. Vbi autẽ, magis, atq; magis; augetur conſtipatio; neceſſarium eſt, ut ſanguis putreſcat; & tunc fit ſynochus cum putredine. Sed quid putreſcit? Exprimuntur illi ichores, & fit ſeparatio bonæ partis; quia natura ſemper eſt ſollicita de meliori. Illi igitur ichores; cùm ſunt ſeparati, & non poſſunt exire; neceſſarium eſt, ut putreſcant primò; quia humidi ſunt, & ſunt deſtituti à natura. & illi ichores ita ſeparati, emanantes æqualiter à tota maſſa, & expreſsi; putreſcentes faciunt ſynocham febrem. & inde eſt, quòd febris parum perdurat; quia putredo eſt in illis ichoribus, qui ſunt pars tenuior omnium humorum. Dicitur autem fieri iſta putredo in omnibus humoribus æqualiter putreſcentibus; non, quòd æqualiter tota maſſa putreſcat; ſed, quia æqualiter putreſcunt ichores, emanantes æquabiliter ex tota maſſa ſanguinis, & ex omnibus quatuor humoribus.

Modò audiatis. Quòd massa sanguinis non possit putrescere aliquo modo in synocha; ostendebatur, quia primò in synocha nullum est accidens uerẽdum. Primò enim calor est suauis, ut dicit Galen. Deinde; citò terminatur, non pertrãsiens quartum diem. Deinde resoluitur per sudorem, uel fluxum sanguinis. Deinde; pulsus sunt, uehementissimi, & maximi; quia uirtus est ualida. Virtus autem ualida non potest esse, ubi tota massa sanguinis putrescit. Ostendimus ẽt; quòd non ualet illa fuga, quòd scilicet putredo intelligatur esse per partes. Istam enim glossam refelli à Galeno. Præterea indicat etiam curatio ipsius synochæ. Quia, cùm Gal. iubet, ut mittatur sanguis usq; ad lipothymiam in febre synocha; ostendit manifestè, quòd synocha non sit à putredine massæ. Quia. 11. Therap. ubi docet curare febres putridas; dicit, quòd in qualibet febre putrida; etiam, si sit indicatio, ostendens debere fieri maximam euacuationem; debemus tamen meminisse; quòd, non solùm est euacuandum; sed etiam tollenda putredo, quæ tollitur à uirtute ualida. At hæc diminuitur per copiosam sanguinis missionem. Iubet igitur, in febribus putridis seruari sanguinem; ut possit seruari uirtus, quæ agat in putredinem. Id, quòd transcribens Auic. quarta primi, cap. de phlebotomia sexto. &, cùm phlebotomas (inquit) serua sanguinem, tanquàm Thesaurum. Alludit Auicenna ad uerbum Græcum (ἀναθέσθαι.) Cùm igitur in febribus putridis non liceat mittere sanguinem copiosum, in synocha autem mittendus sit sanguis etiam usq;

usq; ad syncopim; Patet etiam ex ipsa curatione, synocham febrem non esse illam; quæ fit, quando tota massa sanguinis putrescit. & ita, neq; signa, neq; curatio, neq; accidentia; indicant, synocham fieri à putredine massæ sanguinis; & propterea non ita esse intelligendum dictum illud Galeni. Sed, quid dicendum? Facilè est respondere, si quidem aduertatis, quæ dixit Galen. sexto epidem. Comm. secunda. Considerandi sunt singuli humores; &, quòd in singulis ipsorum est proprius ichor qui potest exprimi ui aliqua caloris. Cùm igitur in plethora. Nam in plethoricis tantùm contingit synocha, ut ostendit Galen. Cùm sanguis, peccans in quanto, tam plurimùm sit auctus; licet proportionaliter etiam alij humores sint aucti; tamen multo prædominio præ dominatur sanguis. Quare non apparet alius humor sensu; nisi sanguis, quia sanguis dominatur à prædominio. Cùm igitur sit auctus sanguis, et proportionaliter omnes humores, sed sanguis largo prædominio dominetur; pariter etiam ichor expressus ex tota massa sanguinis apparebit ichor tantùm sanguinis; sicut illa tota massa sanguinis apparet sanguis, licet sit mistus sanguis cum alijs humoribus. & hoc est, quod dicit Galenus; quòd humores omnes æqualiter putrescunt, quia putrescunt ichores, æqualiter ex omnibus humoribus expressi. Sed quomodò fit istud? hoc modo. Quia synocha fit; quando constipantur uenæ, & habitus corporis; & prohibetur transpiratio. Ex quo primò corpus alteratur; incalescit sanguis absq; eo, quòd aliquod putrescat;

trescat; & tunc fit quasi febris ephemera. Quando autem magis intenditur calor; exprimuntur ichores à calore ex tota massa sanguinis; sicut uidetis fieri in carnibus, ut diximus superiùs. & natura conseruat (ut semper solet facere) humores expresso ichore. et hic ichor, cùm sit derelictus a natura; ideo putrescit. & quando subtilis est; facilè resoluitur, & per sudorem. & licet ichor sit ab omnibus humoribus; tamen à prædominio est à sanguine. Ideo est calor suauis. Deinde pulsus fiunt maximi; quia est maxima copia sanguinis, & maxima uirtus, et maxima præterea necessitas. Quia massa est supercalefacta; licet nihil in ipsa putrescat. Quare fit etiam frequentissimus propter maximã necessitatem. Vrinæ apparent splendidæ; sed crassæ, & rubeæ. *Rubeæ propter ichorem peccantẽ expressum ex ipso sanguine, qui prædominatur alijs; ut diximus. Crassæ, splendidæ, propter multitudinem spirituum; qui non exhauriũtur, cùm non sit putredo in humoribus. Si præterea mittatur sanguis; apparebit sanguis crassus; quia sunt expressi ichores, qui sunt pars subtilior. Cùm autem febris hæc synocha fit ex multitudine; quid magis conuenit, quàm mittere sanguinẽ usq; ad lypothymiam; tum, ut tollatur multitudo, & plenitudo; tum, ut refrigeretur? & propterea est remedium præsentaneum maximè omnium missio sanguinis. & post missionem sanguinis; curatur statim. Quod non fieret, si esset putredo in massa sanguinis; quia restaret putredo tollenda diminuta etiam uirtute. Patet igitur; quomodò*

sit

sit intelligendus Galenus, & Græci omnes. Nã, quod hæc febris fiat à putredine humorum; est uerum, quia putrescit ichor existens in massa. &, quoniam dicitur; quod fit à putredine sanguinis; uerum etiam est hoc, quòd fit à putredine ichoris expressi ex sanguine, qui prædominatur alijs ichoribus, simul putrescentibus. Quando igitur quæritur, quomodò differt synochus à causo; dico, quòd ita differt, ut erysipelas ab herpete. Ostendebamus enim in secundo lib. ad Glauconem; erysipelas fieri ex ichore sanguinis, herpetem uerò ex bile. sic causus fit à putredine bilis; synochus autem à putredine ichorum. &, quoniam ubi in erysipelate ichor ille tenuior sanguinis incipit putrescere, uertitur in bilem; ideo Galenus dixit, erysipelas fieri modò ex bile, modò ex sanguine; quia tunc eadem est cura. Eodem modo dicimus de synocho. Quapropter; quando dicebat Galenus in secundo de Diffe. feb. synocham fieri ex putredine bilis; dicimus quidem id propterea dictum esse; quia ichores corrupti sapiunt naturam bilis. Sed modò; quia necessarium est, ut sanguis & ipse putrescat; quando putrescit ipse sanguis, quæ nam febris fit? Dicemus *primò; quòd sanguis potest putrescere, uel intra uenas, uel extra uenas. Si extra uenas; fiunt proportionales febribus tertianis intermittentibus. Si intra uenas; quia putrescit sanguis; in quo stat, uirtus, & uita; necessarium est putrescere etiam alios humores. Quare reuera tunc putredo est in tota massa sanguinis. Tunc autem fiunt febres pestilentiales; ut dicit Galenus in*

Epid. & non fiunt istæ febres à qualitate occulta; sed ab insigni putredine quadam. & ideo nunquàm contingunt, nisi in constitutionibus humidis. & ita uidetis quomodò omnia uero consonant. sed hoc tamẽ non in omnibus corporibus contingit; sed in dispositis tantùm. Vbi autem fit putredo in sanguine, & illi primò exprimuntur, excernunturq; . Vnde fit in illis fluxus ille, dictus uulgò colliquatiuus. Propter maximam autem putredinem sequitur subitus casus uirtutis; quia putredo est in sanguine; in quo stat, uirtus, & spiritus, & calor innatus, & uita. Vnde dixit Poeta; Et uitam cum sanguine fudit. Frigescunt extrema; quia propter uirtutem modicam concentratur calor. Deinde fiunt alieni ab omni ratione, & fiunt stulti; quia spiritus sunt corrupti propter corruptionem sanguinis, qui est fundamentum spirituum. & ita sæuissima fiunt accidentia; & in accidentibus extrinsecùs, & in exeuntibus, & in operationibus. & ferè semper terminatur ad mortem. Curantur autem; quando putredo sanguinis accedit, nisi ad aliquem terminum, & dicit Galenus, quòd putredo in sanguine est, sicut aciditas in uino. Nam, si uinum incipiat acescere, & non sit aciditas confirmata; si mutetur uinum in aliud uas, & transpiret; redibit ad naturam suam. At, ubi fuerit corruptum; nihil prodest diligẽtia ulla. Ita contingit in sanguine putrescẽte. Quòd autem febres pestilentes sint propter maximam putredinem; apparet ex hoc etiam; quòd, si mittatis sanguinem in pestilentibus; uidebitis omnia genera colorum,

rum, & fœtet etiam, & mutatus est in omnibus cõditionibus. & hoc propter maximam putredinem. Ex ipsa etiã curatione apparet; quia, nisi mittatis sanguinem cautè, & initio; interficietis ægrum; quia nõ tollitis putredinem, sed diminuitis uirtutem. Vnde dixit Auicen. Si pertransierit quarta; fortassis non erit ampliùs intentio phlebotomandi. Quia, transacta quarta; uerisimile est, uirtutem esse factam imbecillem ita; ut nõ possis phlebotomare. Quid igitur tunc agendũ? Summa igitur curatio (inquit Auicenna uir diuinus) est exiccatio. Videtis igitur; quàm uanum sit confidere authoritatibus, & ; quòd, si rem ipsam considere tis; ex ipsa rei natura inuenietis febrem à sanguine putrescente longè aliam esse à synocha & de hoc satis. Nunc superest unum; nempe Galenum defendere ab Auicen. quia in hoc non satis fuit gratus Auicenna suo Præceptori. Auic. igitur prima quarti, ubi loquitur de febre sanguinis; nimis temere (ut sic loquar) inuehitur in Galenum. Reprehendit enim primo Galenum; quia non posuerit febrem sanguinis. Hic igitur licet exclamare cõtra Auic. Ipsum scilicet esse maximum calumniatorẽ in hac parte. Nam primò Gal. omni modo affirmat dari febrem sanguinis; immo mouet quæstionem in hunc modum. Ex quo constat fieri febrem ex sanguine; quod nam genus febris ista erit? Quantùm igitur ad hoc; est calumnia mera Auic. Sed quantùm ad illud; quod dicit Auic. Gal. non intellexisse rem; Quia dicit, quãdo putrescit pars tenuior sanguinis; uertitur in bilem, & fit febris biliosa; Quando autem

autē putrescit pars crassa; uertitur in melancholiam, & fit febris de quarto in quartum; Hic dicit Auic. ô bone uir non quæro de fine putredinis; sed quæro; dum putrescit; & non acquisiuit formam, bilis, aut melancholiæ; quæ nā febris ista erit in isto intermedio? Deinde dicit; potest quidem pars sanguinis tenuior uerti in bilem, & tamen bilis illa non erit putrida; quia non est necessarium, quod generatur ex putrido; esse putridum. Quo modo igitur dicis; quòd, quando pars tenuior sanguinis uertitur in bilem; tunc fit febris biliosa, & quando pars crassa uertitur, in melancholiam, fit febris melancholica? Ad hoc dicimus, quòd Aui. non intellexit mentem Galeni; & argumenta sua nil sunt contra Galenum. Ipse etenim Galenus, supponēs sanguinem putrescere, quærit tantummodò, quare sanguis putrescit, utrùm faciat quartum genus febris. Cùm sint enim tres typi febrium, secundùm, quòd sunt tres humores; quærit Galenus, ex quo putrescit sanguis, & ex putredine trium aliorum humorum, fiunt tres typi; utrùm ex putredine sanguinis fiat quartus typus? typū autem intelligimus formam ipsam periodi in febre; ut, quòd fiat febris de die in diem, aut de tertio in tertium, aut de quarto in quartum. Respondet; igitur? quòd non est necessarium fieri quartū typum; quia dū putrescit primò pars tenuior sanguinis; quia sapit naturam bilis, facit typū de tertio in tertium. Et debetis supponere; quòd nō loquitur Galenus id (quod omnino aduertit Auic.) de sanguine, putrescēte intra uenas; sed de putrescente extra uenas. Quia, cùm putrescit

trescit intra uenas; non facit, neq; typum neq; periodum. Dicit igitur; quòd erit typus bilis; & non dicit, quòd erit typus melancholiæ. Bene legatis in secundo de diff. feb. quia; dum putrescit sanguis; primò putrescit pars tenuior, & ideo facit typum bilis. & hoc in tempore ipso putredinis; & in ipso motu. &, quòd sit sub forma sanguinis. Quia, ubi aduenit illi ichori putredo statim; statim uertitur in naturam bilis. & non dicit, quòd sit bilis; sed dicit, quòd sapit naturam bilis. & ideo dicit, quod est mitior febris, quàm biliosa. Videte igitur, quàm malignè Auic. sit interpretatus Galeni sententiam. & propterea concludit Galenus; non oportere ponere quartum typum, licet putrescat sanguis, & hoc ostendit exemplo de pleuritide; in qua sputitur sputum rubeum. Hæc febris (inquit) prouenit ex putredine sanguinis; & tamen fit typus de tertio in tertium. Ibi enim putrescit sanguis tenuior; nam pars crassa non potest penetrare membranam. et hoc, dum putrescit; non post motum putredinis. Quando igitur dicit Auic. se quærere, quando putrescit, & alteratur; quæ nam febris fiat; Respondemus secūdùm Gal. quòd fit typus febris tertianæ. & ita Auicen. non arguit contra Galenum; sed contra uerba, malè intellecta. principio igitur; cùm putrescit sanguis, fit typus de tertio in tertium; quia semper in principio pars sanguinis subtilior uertitur in naturam bilis. Vbi autem partes subtiliores progressu tēporis fuerint resolutæ; fiet typus quartanæ febris. Sed primò putrescit pars tenuior semper sanguinis, sicuti carbunculi fiunt

fiunt post erysipelata. Sed de his satis.

LECTIO. XXXI.

PHLEGMATIS aliud èst naturale *Estote attenti. In hac materia de humoribus opus est diligẽtia; ut lucem eruamus è tenebris in Auic. Optimè seruat suum ordinem Auicen. Nã, cùm primò dixerit de sanguine, tanquàm optimo omniũ humorum, consequenter tractat de phlegmate. Quia phlegma est humor; aptus, ut uertatur in sanguinem. Debetis autem primò scire hoc nomẽ (phlegma) apud antiquos Græcos ante Hippocr. aliter usurpatum fuisse, quàm post tempora Hippocr. Illi enim antiquiores appellabant phlegma humorem, adustum, calidũ, παρὰ τὸ πεφλεγμένον sicut apud Prodicum. Immo etiam ipse Hippocr. usus est nomine phlegmatis in hunc eundem sensum, in secundo progn. com. 66. Sic dicens; Abscessus quidem cõstitit in infernis partibus; ubi circa ilia phlegma infestaret. & hoc notauit Galen. in commento. Sed post Hippocr. aliter fuit usurpatum; scilicet pro humore quidem, frigido, & humido. Qua autem analogia nominis; mihi satis compertum non est; nam prorsus oppositũ sonat. Nisi uelimus dicere per antiphrasim. Sed de hoc non est laborandum, quia uocabulorum usus pendet ex populi arbitrio, sicut usus monetarum. Ad rem igitur uenio.* Phlegma; quoddam naturale, quoddam nõ naturale. *Hic est dubium; cur Auic. priùs non definiuerit phlegma definitione communi, & naturali, & non naturali; sicut fecit in sanguine*

guine. Nam Gal. ipse primò definit; quòd pituita est humor frigidus, & humidus, & colore albo. Sed hoc non sine mysterio fecit Auicen. stans in sua opinione. Quia ipse tenet esse aliquod phlegma; quod non est, frigidum, & humidum; sicut phlegma salsum; nec omne phlegma esse colore album, sicut phlegma cinericium. Propterea noluit proponere definitionẽ communem. Gal. tamen optimè fecit, & secundùm principia rei; Nam pituita salsa non est proprie pituita, sed est pituita putrefacta. Natura autem non consideratur in corruptis; ut dicebat Arist. in secundo ethicorum. Neq; magis pituita salsa est pituita, quàm homo mortuus sit homo. Bene igitur ponit Gal. secũdùm sua principia definitionem illam, communẽ omni pituitæ; quia pituita est, frigida, & humida. Quantùm ad pituitam cineritiam ex melancholia, mista cũ pituita pura; non amittitur essentia rei propter mistionẽ. Nec Gal. unquã ponit tales diuisiones ex his, quæ miscẽtur ex diuersis substantijs. Gal. igitur optimè definiuit ex suis principijs. Auic. similiter non definiuit; cautè stãs in sua opinione, et sibi constans. Naturale est, quod est aptum, ut in aliquo tempore fiat sanguis. Definitio phlegmatis naturalis *est ipsius Galeni in secũdo de facul. nat. cap. 9; ubi dicit, quòd phlegma naturale nihil aliud est, quàm nutrimentum semicoctum (& intellexit nutrimentum semicoctum; quod fit in uentriculo) & ibidem dicit; quòd si intelligatur pituita; non cocta respectu coctionis, quæ fit in uentriculo; malè dicitur. Sed dicitur cruda respectu coctionis, quæ fit in hepa-*

te. Ratio

te. Ratio autem huius rei inferiùs à nobis manifestabitur ex hac definitione. &, Auic. & Gal. uidetur, quòd nihil prorsus differat pituita ab ipso chylo. nam chylus est alimentum semicoctũ in uentriculo; & humor aptus, ut uertatur in sanguinem. Neq; hic solùm hoc dicit Gal. sed etiam in primo de natura humana, & in principio de atra bile, & aliàs sæpè. Immo clariùs in secundo de uictus ratione; in eo aphorismo. Abstinentiam ferunt faciliùs; qui in superioribus partibus pituitosi sunt. Vbi dicit; quòd sanguis fit mediante pituita, quia primò uertitur in pituitam. &, nè quis hoc dicat fieri in frigidioribus; dicit etiã hoc esse de optimis cibis, & facillimæ coctionis. Quid igitur dicendum? Pituita non est idem, quod chylus; sed bene est pars chyli. Dicebat Gal. in fine primi de atra bile; quòd pituita generatur in uentriculo ex parte, frigidiori, & aquosiori; ipsius cibi. chylus autem; ex parte pinguiori. Quæ pars, cùm sit pinguior, & magis unctuosa; ideo, facilè, & in modico tempore; uertitur ab hepate in sanguinem. At pituita, licet uertatur & ipsa in sanguinem; tamen difficiliùs, & indiget longiori tempore. & nos diximus, quando in uniuersali speculabamur de humoribus; quòd humores generantur, sicut apparet in destillationibus apud alchymicos. Extrahũt enim illi unã partem, aquosam, & crudam; quã etiam illi uocant phlegma. Extrahunt etiam illi aliam partem (quam principaliter intendunt) quam quintam essentiam nominant. Imaginemini; quòd quinta illa essentia, quam natura quærit extrahere; sit chylus ipse sanguineus.

sanguineus. Necessitate autem materiæ fit pituita; quia in cibo est pars, frigidior, et aquosior; quæ ab eodem calore est concocta, sed non potuit tamen bene concoqui; sicut pars unctuosa. & hoc, nõ contigit ex defectu caloris; quia calor dedit meliorem formam, quæ potuit haberi in uentriculo; & tantũ egit, quantum conuenit calori uentriculi. Sed accidit uitio materiæ; quæ, cùm sit, frigidior; & aquosior; est rebellis actioni caloris. Ex parte igitur illa unctuosa, et ex pituita; fit sanguis; sed magis apta est illa pars unctuosa, ut transeat in sanguinem. Illa autẽ pars, humidior, & frigidior; apta quidem est, ut uertatur in sanguinem; sed difficiliùs conuertitur. Sicut & Alchimici habent quintam essentiam; quæ proportionalis est sanguini; habent & partem crudam, quam appellant phlegma; quam, non abijciunt; sed ulteriùs decoquũt, et ex eo extrahunt etiam quintam essentiam. In chylo igitur sunt duæ partes. Vna, quæ est magis unctuosa, & pinguis; quæ facilè transit in sanguinem; & hæc est uerè chylus. & altera pars. frigidior, et aquosior; quæ, licet uertatur in sanguinem; tamen difficiliùs; et hæc est pituita. Alimentum igitur semicoctum dicitur pituita per respectum ad partem chyli, quæ proprie chylus dicitur; quæ perfectissimè cõcocta est propter bonam dispositionem ipsius materiæ. Non intelligitur autem pituita semicocta, quia cruda sit (nam hoc non accidit defectu caloris) sed propter rebellionem materiæ. & hoc optimè notauit Auic. in hac parte; quando dicit; quòd est apta, ut in aliquo tempore fiat sanguis.

guis. Quia pituita non est ita prompta, ut fiat statim sanguis, sicut est chylus; sed fit cum aliquo tempore. & hæc satis pro declaratione huius definitionis; ex quibus sequuntur multa utilissima scitu; Et primò; ut cognoscatis, quomodò generetur pituita in uentriculo, & non in hepate. Quia in prima coctione extrahitur chylus, & extrahuntur duæ materiæ, & duæ partes. Quarum altera; quæ est, pinguis, & unctuosa; uertitur facilè in hepate in sanguinem. Altera uerò pars est, frigidior, & aquosior, & hæc dicitur pituita, quæ transit ad hepar unà cum chylo, ut conuertatur in sanguinem; sed non semper conuertitur. & ex hoc etiam sequitur, quare pituita non dicatur cruda respectu actionis uentriculi, sed respectu actionis hepatis; quando hepar non potuit dare perfectionem, quam debebat; & conueniebat calori suo longè ualidiori. et hoc dictum est à Gal. & non assignauit rationem. Videtis tertiò; quare homines, habẽtes frigidum hepar; redundant plurima pituita. Cùm autem pituita non generatur in hepate, sed in uentriculo; quare in his abundat pituita? Ratio est; quia pituita, generata in uentriculo; transmissa ad hepar, non concoquitur, et nõ conuertitur in sanguinem. Ex hoc etiam habetis, quare cõtrà; qui sunt calidi hepatis, nõ abundent pituita; quia calor hepatis uehemens uertit ipsam in sanguinem. & quare, qui habent calorem hepatis temperatum; temperati etiam sunt in pituita. habetis etiam; cur cibi boni alimenti plurimum sanguinem generant, & minimum pituitæ; & cibi frigidiores

diores plurimum pituitæ; quia ex cibo in uentriculo extrahuntur duæ partes; altera, pinguis, et unctuosa; altera, frigidior, et humidior. Hæc autem ex cibis frigidioribus plurima educitur; et ita propter maximam copiam non potest postea conuerti ab hepate etiam, quòd sit calidum. Similiter, si detur etiam cibus boni nutrimenti; plurimus sanguis generatur (etiam, quòd hepar non sit ualdè calidum) quia ex ipso in uentriculo educitur multa pars unctuosa, quæ facilè in hepate uertitur in sanguinem. Et est quidam modus dulcis phlegmatis. Hactenus optimè dixit Auic. Nunc, quod dicit; non credo, quòd sit peccatum mortale. Sed notate (quæso) occasionem erroris Auicen. Ex una quidem parte uidebat Auic. qui erat studiosus Galeni; ipsum Galenum dixisse in secundo de fac. nat. cap. 9. pituitam naturalem esse dulcem, reliquas uero omnes esse præter naturam. Ex aliâ parte legerat contrà apud Galenum in principio de atra bile, quòd sola pituita insipida est naturalis. Dulcis autem, & reliquæ; sunt præter naturam. Dum hæc igitur uidisset Auic. quærens solutionem; aduerte (inquit) quòd pituita naturalis est modus quidã, qui est dulcis; sed pituita dulcis est duplex, quædam est per se, quædam per mistionem sanguinis dulcis. Pituitæ (inquit) genus est, & naturale, & dulce. Quando autem est dulcis, per mistionem sanguinis, non est naturalis. Tanquàm uellet excusare Galen. hunc in modum; uidelicet, Quando dicit Gal. in secundo de facul. nat. pituitam naturalem esse dulcem; intelligit pituitam, per

se dulcem, sine mistione. Quando autem dicit in principio de atra bile, quòd pituita est dulcis; loquitur de pituita præter naturam, & intelligit pituitam ex admistione. hoc quidem uoluit Auic. latẽter dicere. Vnde, siquis modò uellet carpere Auic. nõ intellecta eius sententia; iniquè faceret. Tamen in re ipsa ualde fuit deceptus; quia nõ rectè interpretatur Gal. Quia Gal. initio de atra bile dicit apertè, quòd pituita naturalis illa est, quæ aßimilatur aquæ. Sed, quando est insipida; tunc aßimilatur ueræ aquæ. Nam tũc pituita est, frigida, & humida; &, quantò magis acquisiuit hanc formam; tantò magis est pituita. At, ubi habet saporem aliquem; eum habet ex ulteriori coctione, & actione caloris; ex quo amisit frigiditatem, & humiditatem; per quam est pituita naturalis. &, quando dicit in lib. secundo de facult. nat. pituitam naturalem esse dulcem; alias uerò pituitas, quæ sunt alterius saporis; esse omnes præter naturam, Ipse Auic. interpretatus est dulce pro dulcedine actuali; & non intellexit, quòd apud, Græcos, & Latinos, aquæ dicantur dulces ad differentiam aquarum; quæ sunt, nitrosæ, & salsæ; cùm ipsæ in re ipsa sint insipidæ. hunc sensum, quia non aduertit Auic. facit diuisionem dulcis in, per se dulce, & dulce per admistionem. Quoniam autem in libro de atra bile dixit, pituitã esse insipidam; expreßit magis, quid intelligeret per dulce. id est; quòd intelligit dulce pro carentia omnium saporum. Sed hoc est peccatum ueniale. Veniamus igitur iã ad peccata mortalia. Quod autem existit

stit ualdè frigidum. *Cùm cogitauerit phlegma naturale esse dulce; uiderat autem dulcedinem positam habere aliquid caloris; quia prouenit à calido temperato; agente in, frigidum, & humidum;* Ideo *dixit, consequenter, & necessariò; pituitam naturalẽ non esse ualdè frigidam. Sed, quòd pituita sit frigidißima; primò habetis à Galeno, qui multis in locis id testatur; deinde ab Hipp. in primo de natura humana; dicente; frigidißimam esse, & intemperatam tactui. & hoc notauit Gal. tertio de facul. nat. circa medium.* Ideo *iam posito uno fundamento non uero; necessarium est postea dicere multa, quæ sunt falsa.* Et est etiam phlegma dulce, non naturale. *omnia sunt facilia.* Dulcis verò receptaculum. *Hic affert unã proprietatem ipsius pituitæ; quam non habent, nec bilis atra, neq; flaua.* Dixit *Galenus in principio de atra bile, in secundo de facult. nat. & aliàs sæpè;* Di*cimus autem, quòd hæc indigentia est propter duas res; cùm dixerit,* nullum receptaculum proprium factum esse à natura propriæ ipsi pituitæ. *Dicit, quòd* hoc accidit, & propter necessitatem, & propter utilitatẽ, *& omnia sunt facilia.* Iuuatiua est, ut humectet iuncturas. *Hæc utilitas etiam apparet in curribus. nam aurigæ ungunt suos currus; ut sint aptiores ad motum.* Non naturalis autem phlegmatis; aliud est.

In superioribus egit Auic. de pituita naturali, nunc de pituita non naturali est agendum. Sed, quia multis in locis Auicen. aduersatur Gal. & alicubi ex professo

contradicit Gal. Ideo primò declarabimus sententiam Auic. Postea examinabimus, utrùm rectè sentiat, & utrùm rectè carpat Galenum. Volens igitur Auicen. declarare, quid sit pituita præter naturam, proponit diuisionem. & facit tres diuisiones. Prima sumitur ab ipsa substantia; Secunda à modo substantiæ; Tertia à qualitatibus, id est à sapore. Prima igitur talis est. Quædam pituita est dissimilaris ad sensum; quædam est dissimilaris ad rationem, licet non ad sensum. Prima (inquit) est pituita, quæ dicitur mucilaginosa. Secunda dicitur phlegma crudum ab ipso Auic. & hoc appellauit ipse Gal. uitreum. Hæc diuisio sumpta est ab ipso Gal. tertio de locis affe. cap. quinto; licet longè fœliciùs sit facta à Gal. in primo de facult. natu. Dicit enim ibi Galen. quòd aliquod phlegma est dissimilare ad sensum (sed non appellat Gal. mucilaginosum) aliud est phlegma; quod quidem est dissimilare secundùm rationem, sed non secundùm sensum. & est phlegma crudum tale; quale est illud, quod subsidet in urina. hoc sufficiat; quia de hoc inferiùs dicetur exactiùs. restat; ut uideatis, cur dicatur pituita cruda dissimilaris secundùm rationem; ex quo hoc ã sensu non potest iudicari. Est necessarium, ut pituita omnis sit dissimilaris secundùm rationem. & probat hoc modo; omnis humor crudus habet partes dissimilares suæ substantiæ. pituita est humor crudus; ergo. maior probatur à Gal. secundo prognosticorũ, ubi loquitur Hipp. de egestionibus crudis; necnon in secundo de crisi; neq; differt humor crudus à concocto;

cto; nisi, quòd crudus habet partes inæquales in substantia; & æqualitas est signum potissimum coctionis. & ratio est; quia concoctio fit, quando calor æqualiter dominatur in humido. Probatur igitur à Ga. (ut dixi) propter rationes dictas. Crudus autem humor est, quando calor non æqualiter dominatur in humidum. minor est etiam manifesta; & probatur etiam à Gal. quarto de tuen. sanit. Relinquitnr igitur; quòd sit conclusio uera; uidelicet, Quòd pituita omnis sit inæqualis secundùm rationem, licet non appareat ad sensum. Rectè igitur dixit, Auic. & Gal. quòd quædam pituita sit dissimilaris etiam ad sensum; sicut illa, quæ excernitur per os; quædam autem dissimilaris secundùm rationem. Intelligatis autem hic per phlegma crudum, phlegma uitreũ; ut meliùs ex ipso apparebit. Aliud est ualdè subtile. Hæc est secunda diuisio, sumpta ex modo substantiæ. Modi autem substantiæ dicũtur ab Arist. naturales potentiæ, aut impotentiæ; sicut, subtile, & crassum; molle, & durum; lene, & asperum. Valdè subtile. Auic. sciebat, quòd omnis diuisio generis in species debet diuidi in differentias oppositas; & in differentias simplices immediatè oppositas; & non secundùm quid, & secundùm participationẽ. Posuit igitur (cùm uellet diuidere per, crassum; & subtile) crassum, et subtile absolutè; & non dixit, quoddam subtile, quoddam crassum; sed quoddam ualdè subtile, & quoddam ualdè crassum; quia uoluit ponere differentias, simpliciter oppositas; Inter quas postea sunt sua media. Bene

autem hoc facit Auicen. Phlegma igitur ſubtile eſt phlegma aquoſum; phlegma ualdè craſſum eſt phlegma gypſeum. *Aliqui hic derident Auic. quòd ponat phlegma gypſeũ inter pituitas; Imaginantes, quòd gypſeum intelligatur id, quòd uocatur callus, uel tophus, à noſtris; à Galeno aũt τῶφος. Sed non ita intellexit Auic. ſed pituitã; quæ ſolet inueniri in ſcirrhis, & abſceßibus duris; in quibus pituita eſt ita craſſa, ut iam ſit coagulata, ſed non eſt omnino facta lapis. Quòd autem ſit phlegma; apparet ex curatione. dicit enim Gal. quòd eſt reſoluendum per mediocriter calefacientia. non eſt igitur in hoc reprehendendus Auic.* Et ex phlegmate, quoddam eſt ſalſum. *Nunc facit tertiam diuiſionẽ, quæ ſumitur à qualitatibus, ideſt ex ſaporibus; & dicit, quòd* phlegma aliud eſt ſalſum, aliud acidũ, aliud ponticum, aliud inſipidum. *Primò loquitur de ſalſo. & primò dicit, quid ſit; & affert cauſas ſalſedinis. Dicit igitur, quòd habet tres conditiones. Primò; quòd* eſt acutius, uel calidius; *ut habet alius textus. Secundò; quòd* (leuius) *Tertiò, quòd* (ſiccius,) *Primò igitur, quòd ſit calidius, uel acutius, (nihil enim refert) patet. Nam, quòd calidius; oſtendit Ariſt. in lib. de ſenſ. & ſenſ. & Galen. quarto de ſimpl. med. Sapores enim omnes fiũt ex ablutione, terrei, humidi. Vt, ſi quis decoxerit res ſalſas in aqua inſipida; relinquitur ſapor ſalſus. Si amara; amarus. Si dulcis; dulcis. Cùm igitur ita ſit; ſi ſit ſubſtantia terrea ſicca, et calor agat in ipſam moderatè;*

relinquatur ſapor dulcis. Si magis ita, ut adurat; fit ſapor ſalſus. & hic ſapor ideo arguit caliditatem; quia habet partem illam terream frigidã quidem; ſed, quæ eſt aduſta à calore magno, & ita relictum eſt ueſtigium caliditatis in ipſa. Si etiam legatis acutius, *uerum eſt; non intelligendo acutum pro acri, (ut eſt in, pipere, & cinnamomo) ſed acutius ad hunc ſenſum, quia linguam ſtimulat, & erodit. & hoc modo omnes ſapores dicentur rectè acuti; quia aliquo modo ſtimulant linguam. Quòd autem hoc phlegma ſalſum ſit acutius reliquis; patet; quia pungit, et erodit linguã; quòd non habent reliquæ ſpecies phlegmatis. Dicit ſecundò; quòd* eſt leuius; *ſed hoc non eſt uerum; quia ſalſedo fit ex admiſtione partium terreſtrium cum humidis. Ideo patet, quòd phlegma ſalſum ſit grauius. Præterea in lib. de ſenſ. & ſenſ. dicit, quòd calor extrahit id, quod dulce eſt; quia leuius. Relinquit autem quid ſalſum; quia graue eſt. Præterea etiam ſenſu patet. Si enim ponderetis aqua ſalſa eſt grauior, quàm dulcis. Hæ rationes ſunt ueriſſimæ; & non poſſunt impugnari; tamen, ſi; bene aduertatis dogma ipſius Auicennæ; uerè dicit Auicenna, ſecundùm ſuum dogma, quòd tale phlegma ſit leuius. Vult enim; quòd phlegma ſalſum fiat ex admiſtione choleræ, quæ eſt humor leuiſſimus. Secundùm igitur proprium dogma; rectè loquitur Auic. Quòd autem ſit ſiccus; patet quoquo modo dicatis; ſiue dicatis fieri ex admiſtione choleræ, ſiue ex aduſtione partium terreſtrium.* Omnis ve-

ro ſalſuginis cauſa eſt. Nunc, cùm uelit afferre cauſas ſalſedinis in phlegmate; optimo ordine procedit. Primò enim proponit cauſas ſalſedinis in uniuerſali. & duos ponit modos ſalſedinis; alterũ naturalem, alterum artificioſum. Materialiter (inquit Auic.) fit ſalſedo; quãdo cum humore aquoſo, pauci ſaporis, aut inſipido prorſus; miſcentur partes terreſtres, aduſti, & amari; ſaporis; in, debita, et proportionali portione. Sumpſit autem hoc ex Ariſt. quarto meteororum, circa finem; Vbi uidetur Ariſt. dicere; ſalſedinem fieri ex admiſtione partis, terreæ, ſiccæ, et amaræ, cum humido. Cũ temperie tamen quadam fit hoc (inquit Aui.) quia, ſi plus poneretur de ſubſtantia ſicca amara; fiet ſapor amarus. Bene autem notate; quia uult primò fieri ſaporem ſalſum ex admiſtione tẽperata rei amaræ cum humido inſipido. Poſtea autem; ſi plus admiſceatur de amaro; fieri ſaporem amarum. & hoc habetis ex uerbis Ariſtot. ſuo modo intellectis. Et eſt etiam, cùm ſal fit artificialiter ex cinere, & alchali. In artificialibus dicit, quòd fit ſapor ſalſus per ablutionem rerum ſalſarum, decoctarum, & excolatarum; & appellatur iſtud ſal alchali. Pro ſale alchali; debetis notare; quòd appellant Arabes ſal alchali illud ſal, quòd nũc appellatur alumẽ catile, et eſt frequens Venetijs. Arabes confundunt alchali, et chachile. Chachile. n. eſt herba, quæ datur hydropicis ad euacuationem, et hæc eſt achillea apud Dioſco. et uulgò appellatur Soldanella. Herba autem, ex qua fit ſal alchali; eſt lunaria herba, ſiue ſaponaria. Quia hac utebantur

utebantur antiqui pro ſapone; noſtri autem conficiũt cinerem ex hac herba, ex quo cinere conficiũt poſtea ſaponem. & quidam etiam conficiunt cinerem hũc ex betis. Apud Arabes dicitur, chali, & uſan; apud Dioſcor. ſtruthium. Senſus igitur Auic. eſt; quòd ſalſedo artificioſa eſt, quando aliquid per artem, & decoquitur, & excolatur. Similiter quoq; phlegmati tenui adaptat, quod dixerat in cauſa de ſalſedine; intentioni de phlegmate ſalſo.

Circa quam partem ſaporũ; debetis notare, quòd non ita tractauit hãc diuiſionem, ſicut alias duas. Nam aliæ fuerunt recta arte diuidendi tractatæ, per differentias duas oppoſitas; hic autem facit quadruplicem partem. Et hoc fecit Auic. re ipſa coactus; quæ non poterat uerè diuidi, ſed enumerari. Sicut enim in alijs accepit per duas differentias ualdè oppoſitas duo extrema, inter quæ ſunt ſua media; Ita diuiſit hic; accipiens ſaporem, dulcem, & amarum, ſiue acrem; quæ ſunt duæ ſpecies extremæ ſaporũ, inter quas ſunt alij medij. Sapores autem, amarum, uel acrem, quia quidam ponunt contrarium dulci amarum eſſe quidem acrem, ut dicit Gal. Sed hoc non eſt præſentis ſpeculationis. Non fecit autem hoc; quia non potuit. neqúe enim inuenitur ulla pituita; quæ ſit, amara, aut acris. fecit autem diuiſionem hanc in quatuor partes; dicẽs; phlegma, aliud eſſe ſalſum, aliud acidum, aliud ponticum, & aliud inſipidum. Incepit à primo ſapore. & iam uidiſtis; quo modo pituita illa ſalſa ſit, calidior, & leuior, et ſiccior. & oſtendimus nos; pituitam ſalſam eſſe

esse grauiorem in rei ueritate, & argumenta, quibus hæc probamus; non possunt refelli, secundum tamen Auicen. Dogma. Verum enim ipse dixit; & sibi constat; quia uult pituitã salsam fieri propter mistionem bilis amaræ, quæ est leuissima. Vidistis igitur omnes illas conditiones. Postea, cùm uellet assignare causam salsedinis in pituita; assignauit causam in uniuersam salsedinis. & uult; quòd, quando est, humidum, insipidum, uel dulce, remissum; si admisceatur res adusta amara; fiat salsedo ita; ut fiat salsedo, ex insipido; uel quasi ex, insipido, & amaro. et dicit; quòd, si amarum ponatur in minori quantitate; fiet salsedo. Si autem in maiori; fit amaritudo. & hoc est dogma Auic. quod debetis notare, ut sciatis distinguere dogma ipsius à dogmate Galeni. Post quàm determinauit in uniuersali causas salsedinis; declarat intentum; scilicet, quomodò fiat pituita salsa. Dicit enim; quòd, si pituitæ, insipidæ, uel dulci remissæ; admisceatur humor biliosus certa quadam mensura; fit pituita salsa. Phlegma igitur salsum est cholericum secundùm ipsum. Postea; ubi fundauit suam opinionem; disputat contra Galenum. & dicit primò; Galenum dixisse; duobus modis fieri salsedinem; aut propter putredinem ipsius; aut aquositatem, ei admistam. Sumpsit autem Auicen. hãc sententiam Galeni ex secundo de diff. feb. cap. sexto; ubi loquitur de febre epiala. et dicit primò Auic. contra Galenum; quòd non fit à putredine, nisi per accidens. & dicit, quòd potest quidem fieri salsedo in pituita à putredine; sed hoc est per accidens. Quia partes

tes aduruntur, & postea fiunt amaræ; & ita fit sapor salsus ex putredine. Sed nõ per se; sed eò, quòd phlegma putrescẽs aduritur, & fit amarum. Fit igitur per accidens; id est mediante aliquo alio. Scilicet mediante, adustione, & amaritudine. Verba ipsius modò sunt facilia. Sola autem aquositas. *Quantùm ad aliam partem; omnino negat. & dicit, neqúe per se, neq; per accidens; hoc esse uerum. Si tamen uolumus excusare (inquit Auic.) ipsum Galenum; debemus interprætari particulam disiunctiuã pro copulatiua. Id est (aut) pro (&) hoc autem non est inconueniens apud Arabes interprætari (ita) id est (non) & (quia) id est (propter quid) Sic etiam (aut) id est (&.) Fœlix certè Galenus, qui talem nactus sit expositorem, & excusatorem suorum errorũ. Vos postea uidebitis; ut intellexerit Auic. Gal. &, quantum habeant uirium eius argumenta cõtra Galenum.* Et ex phlegmate est quod est acetosum. *Vbi declarauit, quid sit phlegma salsum; &, ex qua causa fiat; nunc quærit de phlegmate acetoso. & hic sapor talis est; qualis est, in oxalide, & in uua acerba. Appellatur enim acetosum; quod ab alijs dicitur acidum. & dicit; hoc fieri, quãdo calor facit ebullitionẽ quandam in terreo sicco; misto cum, plurimo humido, & pauco calido. Sed notetis, quomodò diuinè Galen. docuerit quarto de simpl. med. quæ nam sit causa aciditatis. Debetis scire; quòd multa sunt mista; quæ ita se habent, ut in temperaturis suis sit multum de parte aquea tenui, & parum caloris; sicut est uinum pauciferum,*

ferum, & ſicut eſt lac. Quædam autem ſunt; quæ habent, plurimum caloris, & paucum humidum; ſicut, mel; & uinum potens, quale maluaticum. Illa igitur, quæ habent paucum calorem, & multum humidum; facilè putrent à calore extrinſeco; ſicuti uidetis modicum ignem, extingui, & ſuffocari; à magno igne extrinſeco. &, non ſolùm à magno igne; ſed etiam à magno motu. nam, ſi ſit multus ignis, & flabelletur, aut agitetur; augetur flamma. At, ſi ſit paucus ignis; extinguitur, flabellatione, & agitatione. et inde eſt; quòd uina hæc paucifera, ſi ponãtur in amphora calida, aut agitentur; putreſcunt. Sic etiã & lac. Sed uina potentia; licet agitentur, & ponãtur in locis calidis; tamen non putreſcunt. his ita habitis; apparet cauſa aciditatis. Propter enim calorem extrinſecum, bullit primò humidũ; deinde exhalat calor ille innatus, qui erat paucus; & ita remanet ſubſtantia, humida, acida, & frigida (et hinc eſt; quòd omnia acida ſunt frigida.) Sed tamen remanet aliquis calor impreſſus; ſed ualdè debilis. Ideo, acetum, & lac; refrigerant quidem, ſed tamẽ habent aliquid caliditatis. Acetum autem, quod fit ex uino potenti; non habet aciditatem, ſed acrimoniam; & ideo non eſt, frigidum, ſed calidum. Ideo cauete, nè fallamini; cùm uultis refrigerare aceto. Bene igitur Auic. reddit rationem huius aciditatis breuiter; obſcurè tamen. Debetis autem ſcire uos de pituita acida (ſicut dicit Gal. quarto Aphor. 12; & tertio Aph. 12.) quòd pituita acida fit à ualidiſſimo frigore; et, quòd ſemper iſta pituita eſt omnium pituitarum frigidiſſima.

Sed notetis; quòd aciditas fit quidem effectiuè à calore extrinſeco; formaliter tamen ab intenſa frigiditate. Sed hic eſt alia difficultas; quia uidetur ſibi Galen. eſſe contrarius. Nam in ſecundo de diff. feb. cap. de Epiala; dicit; quòd phlegma uitreum eſt longè frigidius quàm pituita acida. In duobus autem locis præallegatis; dixit, quòd pituita acida eſt omnium frigidiſſima. Quomodò igitur ſoluemus? Nulla (inquam) eſt contradictio. Dicit ibi, quòd pituita acida eſt frigidior omnibus, & addit (& fortaſſe iſta pituita uitrea eſt acida.) Si igitur ſit acida pituita; & cũ hoc etiam ſit craſſior reddita; certum eſt, quòd erit frigidior, quàm pituita acida abſolutè. Sed ibi dicit (fortaſſe) et nonnulli dicunt, hoc ideo dictum à Galeno; quia ipſe nunquàm guſtauit. nonnulli dicunt (& meliùs) quòd dicit (fortaſſe) quia non ſemper pituita uitrea eſt acida; immo quædam etiam pituita uitrea non eſt acida. &, quia hoc dicit Auic. inferiùs; ideo de hoc ego non ampliùs hoc loco dicam. Cùm dixerit, quare pituita fiat acida in ſe; addit etiam, fieri acidum ex alia cauſa, hoc eſt ex admiſtione rei acidæ. & litera clara eſt.

Eſt aliud ponticum. Tertia differentia pituitæ, ex ſapore ſumpta; eſt pituita pontica. Primò hoc nomen (ponticum) appellatur latinis illud, quòd Græci dixerunt. ſρυφνὸν; quod à noſtris dicitur acerbũ. Qui ſapor ſolet eſſe in meſpilis; & eſt ſapor, ualde aſtringens linguam. Sed nunquàm uidebitis apud alios mentionem factam de pontica pituita; neque credo, quòd unquàm guſtabitis talem ſaporem in pituita. Auicenna tamen

na tamen dicit, pituitam quandam esse ponticam. & dicit, hanc duplici causa fieri posse; uel, quòd admiscetur ei humor quidam ponticus; uel, quòd in se talis fiat propter maximam infrigidationem; ex qua humidum aquosum congeletur; & ad siccitatem, et terrestreitatem; alteretur. Debetis autem scire (sicut optimè notauit Gal. in quarto de simpl. med.) quòd sapor fit, quando humidum insipidum admiscetur cum sicco terreo. Ex uaria enim passione huius sicci terrei; à calore fiunt uarij sapores. Acerbus autē sapor fit; quando calor nō egit in siccum terreum, ut mistum sit perfectè cum humido. Vtrum autem hoc in pituita sit, & utrùm possit esse; uidebimus inferiùs. Hic interpretes Auicen. mouent quæstionem; quomodò fieri potest; ut sit tanta frigiditas in corpore aliquo humano, ut fiat congelatio pituitæ. Meritò quidem dubitauerunt; sed in solutione dixerūt tot nugas; ut melius fuisset, si non dubitassent. Causa autem erroris est; quia non intellexerunt principia rei; neq; animaduerterūt, quomodò fiat pituita in corpore; quæ generatur in uentriculo, nō propter debilitatem caloris; sed, quia semper in cibo est aliquid; quòd non est aptum, ut statim uertatur in sanguinem. hoc igitur primò debebant scire. Secundò debebant etiam scire, quod dicit Galen. in septimo de temp. quòd pituita in corpore est sicuti succus mādragoræ, & hyoscyami. Appellatur enim succus frigidus; quia nō potest dominari à calore innato, dum admouetur humano corpori. Ita etiam pituita; dū est in corpore humano; ita quò ad complexionem

frigida

frigida est; ut non possit alterari à calore innato, & uerti in sanguinem. Quia, ubi conuertitur; non est amplius pituita. &, quanto magis immoratur in corpore, tanto magis fit frigida. Quia partes calidæ, quæ sunt in ipsa; conuertuntur à calore innato, et ita remanent solùm partes frigidæ; quæ etiam sæuissimos dolores excitant. Si igitur hæc cognouissent; nō admirati fuissent, quare pituita in corpore humano sit ita frigida. & inde est; quòd congelatur in corpore humano? Non, quòd congeletur à frigiditate loci (nam hoc est chimera) sed congelatur à frigiditate propria, & ita soluta est quæstio. Dixit igitur pituitam ponticam effici à duobus, uel ex admistione humoris pontici; uel ex se ipsa; dum ita refrigerata est; ut congeletur aquositas, et alteretur ad terrestreitatē. Vtrùm autem hoc possit fieri; postea uidebimus.

Est & species phlegmatis; crassi, & uitrei. Differentiæ pituitæ, quæ sumebantur ex parte saporum; erant quatuor secundùm Auicennam, & iam uidistis de tribus; supererat quarta. Auicenna igitur uolens ostendere, quæ sit pituita insipida; proponit esse genus quoddam phlegmatis crassi, quod dicit esse uitro simile liquefacto; & ideo appellauit uitreum. hoc plegma; quandoq; inuenitur acidum, quandoque insipidum. Quando est acidum; loquutus est, supra; quia reponitur sub specie secunda, de qua superiùs locutus est. loquitur autem nūc de eo; quando inuenitur, insipidum, & dulce. & in hoc non est multa differentia; quia nos aquam, & insipidam appellamus, & dulcem;

& dulcem; ad differentiam, aluminosarum aquarum, uel salsarum. Non igitur faciatis multam uim in hoc nomine; si pituita hæc, modò insipida, modò dulcis; appelletur. & huius insipiditatis affert causam; uel, quia fuit crudum semper; uel; quia si non fuit crudũ semper; accessit postea tanta frigiditas, ut uersum sit in crudum. & ita uult; quòd; uel frigiditas sit causa insipiditatis; uel à principio nec putruerit, sicut accidit in acido; uel, licet à principio habuerit aliquẽ gradum caliditatis; postea, accedente nimia frigiditate, euanuerit ita, ut phlegma sit factum crudũ. Sed semper insipiditas erit ex frigiditate; & hæc est sententia ipsius Auicennæ. Hic interpretes nugãtur super hoc uerbo (crudo) ut faciant Auicennam ineptum; et faciant ipsum in Doctrina necessaria usum, æquiuocatione, & metaphoris. Quod, quàm sit uitiosum; didicistis ex, Arist. & Auerr. Sed iam declaraui uobis, quid intelligat Auicenna per crudum. Iam igitur declaratum est; Vbi declarauit tres illas differentias; primam, quæ sumitur ex substantia. Secundam, quæ sumitur ex modo substantiæ; tertiam, quæ sumitur ex parte saporum. Epilogat, & connumerat omnes species. Iam uidistis omnes differentias pituitæ, quæ docentur ab Auicenna; & audiuistis eas, à nobis fideliter declaratas, sed non arbitror quemquàm ex uobis esse tam diuini ingenij; ut possit dicere se ab Auicenna aliquid didicisse. Audiatis modò (ut discatis ueras diuisiones pituitæ) in quibus errauerit Auicenna. Quantùm ad primam differentiã, quæ sumebatur ex ipsa

ipsa substantia; dicit; quod, quoddam phlegma est dissimilare secundum rationem, & sensum; & hoc dicit esse phlegma mucilaginosum. Quoddam est; quòd est, similare secundùm sensum, & dissimilare secundùm rationem; & hoc appellauit crudum. Quid hic docetur; si mucilaginosum phlegma (ut de primo mẽbro primo loquar) idem sit, quòd phlegma uitreum; sicut dicit Galen. in quarto de tuen. ual. ante medium? Nam, cùm multa dixisset de pituitis; postea addit. Pituita vulgaris, non est mucilaginosa; quia tunc esset vitrea. *Ita, quòd pituita mucilaginosa est idem, quod pituita uitrea. Cuius postea sunt multæ species secundùm maiorem, uel minorem; crassitiem. Sed, si phlegma mucilaginosum est idem, quod uitreũ; hic sunt multa peccata. Primò enim non est dissimilare secundùm sensum; Nam hoc uidetis in uitro liquefacto, in quo apparent omnes partes liquefactæ similares sensu. Præterea Galen. tertio de loc. Aff. cap. quinto; hoc ipsum habet. & ita Auicenna docet falsum. Aliud membrum huius diuisionis secũdùm Auic. est de phlegmate crudo, de quo dicit; quòd est similare secũdùm sensum, dissimilare autem secundùm rationem tantùm. Vellem autem scire, quid intelligat hic per phlegma crudum. Galen. primo de alim. cap. De tritico; distinguit pituitam crudam à succo crudo. & dicit, quòd pituita cruda est tenuior succo crudo; quia habet, multum humorem, & multum serum; admistum. Quare, si hoc est; distinguuntur partes secundùm sensum. &, quòd sit dissimilaris ad sensum pituita;*

tuita; paulo ſuperiùs cauſam affert Galen. Hoc eſt, quòd ſit cum multo flatu. Quare Auicenna non poteſt dicere hæc de pituita cruda. Si uerò intelligat de humore crudo; id eſt de ſucco crudo, qui generatur ex cibarijs craßis; nec hoc poteſt dici; quia in eodem libro primo de alim.cap.de tritico; dicit Galen. quòd humor crudus eſt quidem craſſus, ſed non uiſcoſus. et ita non poteſt intelligi de humore crudo. Præterea; eſt alia ratio contra Auicennam ex ipſomet. Nam dicit in epilogo Auicenna, quòd ipſum phlegma crudum continetur in mucilaginoſo; quomodò igitur poteſt crudum contradiſtingui cum mucilaginoſo, ſi continetur crudum ſub mucilaginoſo? & ita nullo modo poteſt ſtare hæc diuiſio. At dicet quis; Intelligit de uitreo; quia humor uitreus dicitur crudus. Non poteſt hoc ſtare, quia (ut aduertiſtis ex Galeno ipſo, ſecundo de diff.febr.cap.ſexto) phlegma uitreum eſt idẽ, quod mucilaginoſum. & ita Auicenna non poteſt hoc dicere aliquo modo; quia uidetis, ipſum dicere ſunt quatuor ſpecies phlegmatis ex parte ſubſtantiæ; mucilaginoſum; crudum, ſiue uitreum; aquoſum, & gypſeum. Præterea oſtendimus, quòd uitreum eſt ſimilare ſecundùm ſenſum. & ideo uidetis, quàm multipliciter peccet Auicenna in hac diuiſione. Vnde autem ſit ortus hic error, tam craſſus in Auic. dixi aliàs; eum fuiſſe, & nobiliſſimum uirum, & Principẽ, non autem medicum; ideo eſt ueriſimile hæc omnia, quæ ſcripſit; ex aliis eum collegiſſe; & multa collecta, quæ non intellexit, ſcriptis mandaſſe. Id, quod hac in re

re accidit. Rem uerò ſic ſe habere; declaro. Vera pituita non generatur; niſi in uentriculo; & generatur ex parte crudiore cibi propter naturam ipſius alimenti; etiam, ſi calor naturalis fuerit ſecundũ naturam. Nam in quolibet alimento, eſt pars quædã, pinguior, calidioruè; quæ uertitur in ſuccum ptiſanariũ, & chylum. eſt & alia pars; frigidior, & crudior; ex qua fit pituita. & ita generatur pituita ex neceßitate materiæ. Verum autem eſt; quòd uel plus, uel minùs; generatur ex proportione actionis caloris. Appellatur igitur pituita propriè illa, quæ generatur in uentriculo hoc modo. Sed improprié generatur etiam alibi, & maximè in cerebro; quæ à Græcis dicitur βλένα; ſeu à Latinis mucus; quæ deſcendit ad uaria loca, ad palatum, nares, iuncturas, & alia membra. hæc autem pituita fit ex uaporibus qui aſcendunt ad cerebrum, & ibi congelantur. & dicitur pituita mucilaginoſa; eò quòd eſt ſemper uiſcoſa; quia generatur in loco; frigido, & humido. & huiuſmodi pituita ſemper eſt diſſimilaris ſecundùm ſenſum; quia ſemper habet flatum admiſtum, & ſemper eſt flatuoſa. Quod cognoſcens Gal. tertio de loc.aff.cap. quinto; optimè fecit diſtinctionem. Ex quo loco ſumpſit Auic. et non intellexit. Pituita (inquit) quædam eſt diſſimilaris ſecundùm ſenſum; quæ eſt ſicut mucus (& iſte tranſtulit phlegma mucilaginoſum) & hæc illa eſt, quæ generatur in cerebro; quæ non eſt propriè pituita, ſed improprié. Quædam rurſus eſt diſſimilaris ſecũdùm rationem tantùm, & hæc eſt phlegma, uitreum, & mucilaginoſum.

mucilaginosum. & hæc est uerum phlegma, & generatur in uentriculo. Aliud autem est muccus; aliud pituita mucilaginosa. Phlegma mucilaginosum intelligitur pro phlegmate, proprie dicto; quod dicitur mucilaginosum propter similitudinẽ succi; & fit mucilaginosum propter multam moram. & mucus appellatur aquositas uiscosa, quæ apud Græcos dicitur βλένα; sicut est illa, quæ exit ex choclea. Aliud igitur est mucus; & aliud phlegma mucosum. nam mucus est species phlegmatis, improprie dicta; & hoc est dissimilare secundùm sensum. Sed phlegma mucilaginosum est phlegma similare secundùm sensum; & hoc continetur sub phlegmate uitreo. & uidetis unde erroris causam habuerit Auic. Nam, quod Gal. dixit de muco; idem Auic. dixit de phlegmate mucilaginoso. habeatis diuisionem Galeni quantùm ad substantiam. Quantùm igitur attinet ad diuisionẽ hanc Auicennæ, sumptam ex substantia, uidetis quàm turpiter erret Auic. Pro secunda, ubi dicit aliud est valdè subtile; & hoc est aquosum; aliud valdè crassum, & hoc est phlegma gypseum. *Quãtùm ad hoc; distinctio hæc est optima; & uerum fuisset hoc totum; nisi ipse addidisset unum, quod facit diuisionẽ falsam. Addit enim (ideo, quod in iuncturis fuit retentum diu)* Nam, *quando pituita contraxit nodum in iuncturis, & facta est tophus; non est ampliùs pituita, sed lapis. nec potest resolui; quia lapidescit iã. Vnde dixit ille; Soluere nodosam nescit medicina podagram. Etiam uersa est in aliam substantiam. Sed, si dixisset de illa pituita, quæ cõcreuit in scyrrhis; uerum dixisset, quia hæc potest resolui moderatè resoluentibus. & illa est uerè pituita. Sed, si intelligitur de illa pituita, quæ lapidescit in iuncturis; iam non est ampliùs pituita.* Et est pituita alia salsa. *Iam affert tertiam differentiam ex parte saporum; & hic est magnum negotium. Audiuistis enim ex sententia Auicennæ; salsedinem fieri in uniuersali; qmando, amara substantia, & terrestris; admiscetur cum humido. Vnde dicit postea consequenter; quòd pituita salsa fit, quando admiscetur bilis pituitæ insipidæ. Sed, ut meliùs rem intelligatis; audiatis me, de saporibus altiùs edisserentem; quia id erit, & necessarium rei, & ualdè iocundum. Scire igitur uos oportet (ut Aristot. ait in lib. de sens. & sen. circa medium) quòd sapor est passio facta in gustu ab, humido, & sicco; terreo secundùm potentiam alteratiuam.* Notetis hoc (*secundùm potentiam alteratiuam*) Hoc *enim non est intelligendum secundùm caliditatem alterantem; quia sapores etiam fiunt secũdùm frigiditatem.* Ideo Arist. *locutus est cautè; & Gal. rectè intellexit Arist. Cùm igitur ad saporem necessesit concurrere siccum terreum, cum humido; & potentiam alteratiuam; quæ est, uel caliditas, uel frigiditas; fient uariæ differentiæ saporum ex uaria horum proportione. Cùm igitur fiant sapores propter proportionem humidi, aquei, et frigidi, terrei, una cum potentia alteratiua; uel plus erit de sicco terreo, uel plus de humido aqueo; uel tantùm de uno; quantum de alio. Et potentia alteratiua;*

uel erit, frigiditas, uel caliditas. Vbi igitur dominatur siccum terreum, et potentia alteratiua sit frigiditas; fient duo sapores, austerus, et acerbus. Vbi autem plus de sicco terreo; fit acerbus sapor. Vbi uero minus; fit austerus. et inde est, quòd hi duo sapores, constipant, et stringunt; superficiem tantùm, quia hic dominatur terra; et non est caliditas, quæ aperiat; sicut uidetis in, Mespilo, et Sorbo; immaturis. Si uerò dominetur aquea substantia; et frigiditas sit illa, quæ alteret; efficitur acidus sapor. Frigiditas autem hic alterat formaliter, non affectiuè (sicut supra diximus) nam aciditas fit, facta ebullitione à calore extrinseco, in qua ebullitione exhalauit quicquid erat calidi. Sapor acidus non astringit linguam; sed pungit, et penetrat in profundum; quia non dominatur siccum terreum, sed humidum aqueum subtile. et ita habetis tres sapores ex frigiditate, dominante, et alterante. Quartus sapor insipidus est. Quando igitur tantum est de humido, quantum de sicco; et frigiditas est illa, quæ alterat; tunc fit sapor insipidus; sicut est in, gramine; cucurbita, et cannis. Quòd, si caliditas sit alteratiua; & tantum sit de aqueo, quantum de terreo; fit dulcis sapor, sicut est in melopeponibus. Ideo uidetis hæc esse insipida, deinde dulcia; ubi accedit calor concoquens. Si autem dominetur paululum terreum, cum caliditate alterante; fit alia dulcedinis species magis temperata; sicut uidetis in castaneis. Si autem siccum terreum dominans habuerit caliditatem dominantem magis; fiunt tres sapores. Primò enim fit sapor salsus.

sus. et quoniam salsa multum habent de terra, ideo astringunt, et non penetrãt nimium. Quòd, si hoc siccum terreum aduratur; iam non apparet salsedo, sed nitrositas. et nitrosum magis penetrat. Baurachius autẽ dicitur à Barbaris. Si uerò caliditas magis, atq; magis; excesserit, et adusserit; fit sapor amarus. et ita habetis tres sapores post dulcem in substantia terrestri. Amara autem sunt ualdè aperiẽtia; quia substantia terrestris est magis excocta. Salsa autem magis abstergunt, et astringunt in superficie; quia plus est de terreo sicco, non ita excocto. Vbi autem dominatur humidum cum plurimo calore; fit sapor (acutus) appellatus à multis, et à bonis Latinis (acris) qui est in origano, et in cepis δριμὺς dicitur à Græcis. Quibus ita stantibus; apparet, quàm ineptè dixerit Auic. salsedinem fieri ex admistione rei amaræ cum humido insipido.

Audiuistis igitur; quòd, ubi siccum terreum dominatum fuerit à calore, sed non adurente; ultimò fit sapor salsus. Si ulteriùs aduratur; fit nitrosus. Si adhuc ulteriùs aduratur; fit amarus sapor. & ita differunt hi tres sapores secundùm, magis, et minus. Differt tamen etiam subiectum; quia, licet in his omnibus idem sit subiectum siccum terreum, tamen est uariè dispositum. & se habet ad saporẽ amarum salsus; sicut crudum ad coctum. Ex quo sequitur; quòd ex salso sapore potest fieri amarus per ulteriorẽ adustionem. Sed ex amaro non potest fieri salsus; quia ex crudò potest quidem fieri coctum, sed non è diuerso. At coctum non

potest recrudescere. Sicut ex pituita potest fieri sanguis; at ex sanguine non potest fieri pituita. Hic modò aliquis dubitauerit. Dixisti; quòd ubi fit salsedo; ibi dominatur siccum terreum; sed hoc non uidetur esse uerum. Immo plura sunt, in quibus dominatur aqua; & tamen fit salsedo in illis. Serosa enim humiditas, sicut est urina; est salsa. Non dicimus differentiam siccum terreum ad hũc sensum; quòd in ea sit maximè necessarium dominari siccum terreum ita; ut sit plus de sicco terreo, quàm de humido aqueo; sed actio, & adustio; caloris dominatur in parte sicca terrea. & ita tollitur ista obiectio. his ita positis; facile est modò uidere, quæ nam sit salsedinis causa, non solùm in pituita, sed etiam in omnibus alijs. Vbi enim in aliqua re sit siccum terreum, & in hoc sicco terreo fiat adustio certa quadam mensura; fit salsedo. hoc dicit Arist. in lib. de sens. & sens. circa medium; & quarto meteor; & Gal. Tũ in lib. primo de simpl. med. per multa cap. tum in quarto; Necnon Theophrastus in secundo de causis plantarum, si recte memini; et Plato in Timæo. Gal. tamen omnia collegit; & ex sententia Arist. omnia pertractat. Cùm igitur hoc ita sit; uidetis quãtum erret Auic. qui uult ex, amaro, & insipido; fieri salsum, ex certa quadam mensura. Est igitur hoc contra rationem. Est etiam contra experientiam; quia, quacunq; mensura miscueritis amarum cum insipido; semper amarum percipietis, quia amarum nunquàm potest fieri salsum. Bene autẽ salsum potest fieri amarum; quia salsum est quidam gradus remissus, et uia in

amarum;

amarum; sicut uidetis in carnibus, ualdè salitis. Percipitis enim ex ipsis quandam amaritudinem. Decepit autem Auic. primò similitudo horum trium saporum. & sæpe à Poetis, & Oratoribus etiam; qui non ita propriè imponunt nomina, amarum ponitur pro salso propter affinitatem horum saporum. Dicunt enim amaros fluctus pro salsos. & fortè etiam (ut excusemus Auicen. uel propter inopiam, linguæ suæ, & uocabulorum; uel propter malam translationem) hic in textu positum est amarum pro salso; sicut etiam apparet infra, ubi choleram appellauit rubeam pro citrina. Bene uerum est; quòd, ubi dicit pituitam fieri ex bile, admista cum pituita; tollit ipse hãc excusationem; quia ostendit, se tenuisse hoc dogma; & non factũ hoc esse uitio uocabulorum. Quando postea Auic. reprehẽdit Galenum; dicens; quòd Gal. dicit; fieri pituitam salsam (& est locus in secundo de diff. feb. cap. sexto) uel ex putredine, uel ex humiditate aquosa, admista; Quantùm ad primam causam; dicit Auic. se admittere, quòd salsedo fiat à putredine; sed non immediatè, sed mediante adustione; & uerè interpretatur Auic. Neq; enim potest aliter fieri salsa pituita; quàm, ut partes terreæ in pituita aduruntur à calore extraneo, & putredinali ita; ut fiat cinis ex partibus suis terreis. Non autem dicatis, quòd fiat cinis propriè; quia tunc fieret amarũ. Sed aduritur usq; ad aliquem terminum; hoc est uerum. Sed, quando postea arguitur (non ab ipso Auic. quia ipse non uidetur hoc dicere; sed à suis sequacibus) ergo putredo est causa per

accidens

accidens ipsius salsedinis; nescio, quid sibi uelint per causam per accidens. Causa enim per accidens dupliciter dicitur, uel remota, & non propinqua; alio modo causa per accidens; sicut; quæ reducitur ad, casum, & fortunam. Quantum igitur ad modum hunc secundum; putredo non est causa per accidens. Sed secundùm primum modum; erit uerè putredo causa per accidens, quia non est causa congenita. & hoc concedet etiam Gal. quia per adustionem facit salsedinem. Sed, quid refert; modò putredo sit causa adustionis in partibus terreis, ex qua fit salsedo? Sed, quando inferũt; ergo sequeretur, quòd salsedo fieret ex qualibet putredine, & semper esset eodem modo; Hoc quidem est uanissimum quia sunt diuersi modi, & diuersæ species putredinis. Quantùm autem ad alteram causam salsedinis pituitæ, quòd fiat salsedinis natura ex aquosa humiditate cum pituita, nisi prima (dicit Auic.) hoc totum falsum est. Causa erroris Auic. est, quia non concipit serosam humiditatem, sicut concepit Gal. Quia Auic. intellexit serosam humiditatem pro humiditate insipida; Sed Gal. accipit pro humiditate salsa. & dicit hoc expressè Galen. in principio lib. de atra bile. Quid igitur mirum, si fiat salsedo ex serosa humiditate, & pituita insipida; cùm serosa humiditas sit salsa semper. Ex malo igitur intellectu uerborum reprehendit Auic. Gal. Tunc ultra. Dicit Auic. pituitã esse quandam ponticam, idest acerbam. Si bene intellexistis, quæ hactenus dicta sunt; uidetis, quòd non potest fieri pituita acerba ex se ipsa. Bene tamẽ poterit fieri, si

admisceatur humor acerbus. Quòd autem in se ipsa non possit fieri pituita acerba; patet, quia acerbitas fit à frigiditate; & fit; quando tantum est de sicco terreo, ut superet humidum. Neq; enim est sicut; quando causa alteratiua est caliditas etiam, si sit minus de terreo sicco; tamen agit in ipsum. At in frigiditate non potest hoc contingere; quia actio frigiditatis est tantùm, quod constringit. In pituita autem semper humidum superat siccum terreum. Præterea est contra ipsum Auicennam; ubi loquitur de phlegmate insipido. Dicit autem; insipiditatẽ accidere propter maximum frigus, adueniẽs pituitæ frigidæ aquosæ. Acerbus autem sapor; differt, materia, & forma; à sapore insipido. Materia quidem; quia in acerbo dominatur siccum terreum, in insipido autem humidum aqueum. De forma etiam patet; ergo, quoties pituita aquosa per se uehemẽti infrigidatione fuit refrigerata; neq; adueniat putredo, neq; calor excoquens; fiet etiam secundùm ipsum Auic. pituita insipida, nõ pontica. Præterea est maximè manifestè cõtra experientiam. Vnde uidemus; quòd, neq; Gal. neq; Hippoc. neque alius Græcus; aliquid dixerunt de hoc. Vnum autem restat tantùm. In eo loco, ubi epilogat species pituitæ; colligit uitreum phlegma. Vbi autem huiusmodi phlegma uitreum? Certè in nullo membro apparet istud. At dicet aliquis. Intelligit uitreum pro crudo. Videte, quid dicat ipse statim. Crudũ uerò in collectione mucilaginosi continetur. Audiatis modò ueras diuisiones phlegmatis ex Galeno. Ita erat diuidendum

quantùm

quantùm ad ſubſtantiam. Pituita; aut eſt diſſimilaris ſecundùm ſenſum, (& hoc uolebat dicere Auicen.) et talis eſt mucus, deſcendens ex capite. et talis etiam eſt pituita; quam appellauit Galenus crudã, in quarto de tuen. ſan. circa medium. Aut eſt diſſimilaris ſecundùm rationem tantùm; & talis eſt pituita mucilaginoſa (non mucus) & pituita uitrea, quæ eſt proxima mucilaginoſæ; et humor crudus, reſidens in urina; tertio de loc. aff. cap. quinto. Secunda diuiſio ex modo ſubſtantiæ. Pituita, aut eſt tenax, aut non tenax. Tenacem; appellamus, mucilaginoſam, & uiſcoſam; non tenacem, diuulſam. Friabilem fortaſſe dicerent Latini. Tenax autem; eſt ſicut pituita, quæ dicitur, mucilaginoſa, & uitrea. Non tenax; uerò eſt pituita uitrea. Tertia diuiſio eſt per, craſſum, & tenue. Tenuis pituita eſt; mucus, deſcẽdens ex capite; et pituita cruda, quam aqueam nonnulli appellant. Craſſa autẽ pituita; eſt uitrea. Mucus autem; eſt, tenuis, & tenax. Poſtea ſunt quatuor differentiæ ex parte ſaporum. Primò; enim eſt inſipida. Secundò; autem dulcis. Tertiò; ſalſa. Quartò; uerò acida. & hæc ſumpta ſunt ex Galeno in principio primi de tuend. ualetu. Pituita naturaliter proportionalis eſt aquæ; et ideo eſt inſipida. Quicunq; ſapor accedit; fit à calore, conuertente pituitam naturalem in præter naturam. nam. Si enim calor accedat moderatus; fit dulcis. Si autem fiat putredo, & ebulliat, et ex ebullitione euaporet calor; fit acida. Si uerò ex putredine fiat maior aduſtio; fit pituita ſalſa. & hæc de, formis, & ſpeciebus; pituitæ

ſimplicibus.

ſimplicibus. Quantùm ad cõpoſitionem; Quando miſcetur cum diuerſis humoribus; non eſt de hac hic tractandum, ubi ſimplices eſſentias quærimus. & ita habetis totum locum de pituita. Audiatis modò pauca; ut præparetis uos ad conſequentia de bile.

LECTIO. XXXII.

CHOLERA rubea. Poſtquàm Auicenna egit de pituita; conſequenter agit de bile. & ſeruat ordinem propoſitum (ut diximus) ſicut dixit in principio. &, ſicut diuiſit alios humores in, naturales, & non naturales; Ita facit hoc loco. Dicit igitur; quòd cholera, alia eſt naturalis, alia non naturalis. Naturalem dicit eſſe ſpumam ſanguinis; rubei coloris, & clari; leuem; acutam; & calidam. Sed bene aduertatis. Primò enim eſt falſum, quòd ſit ſpuma ſanguinis; & falſum, quòd ſit rubea; & falſum, quòd ſit acuti ſaporis. Ita fere; ut ſint tot errata, quot uerba. Sed tamen non eſt credendum, Auicennam ita craſſum fuiſſe; ut hæc ſenſerit, quæ ex ipſa experientia poſſunt facilè cognoſci. Error igitur eſt in uerbis; non in ipſo Auicenna. Vult enim per rubeum clarum intelligere colorem citrinum; & per acutum intelligere amarum. Quia non eſt ueriſimile; quòd Auicenna non cognouerit; bilem eſſe, & amaram, et citrini coloris. Sed, ut optimè noſcatis naturam bilis naturalis; debetis ſcire, quòd bilis naturalis primò, quantùm ad ſubſtantiam ſuam; eſt quidem omnium humorum, qui ſunt in corpore; tenuiſſimæ ſubſtantiæ, & fluidiſſima; ut notauit

Galen.

Galen. multis in locis; præsertim, autem in secundo de facult. nat. & in lib. de inæquali intemperie. Circa hoc tamen debetis animaduertere; non esse tenuissimam omnium humorum, qui sunt in corpore; si quidem omnes intelligatis; Sed, solùm si comparetis suis humoribus contradistinctis, quos humorosos Auicenna appellauit. Non enim est tenuior, quàm serosa humiditas, id est urina; qui humor est & ipse in corpore, secundo de facul. nat. cap. 8. Quantùm autem ad qualitates primas; est calidissima omnium humorum, qui sunt in corpore. et, licet in primo de temperamentis dicat, sanguinem esse omnium humorum calidissimum, in secundo autem dicat bilem esse omnium calidissimam; Alibi tamen nos diximus non esse contradictionem in Galeno. Nã quò ad caliditatem actualem; calidissimus omnium est sanguis; quia calor actualis est à, sanguine, & spiritibus. Quò uerò ad complexionem, & effectiuè; bilis est calidior. Sanguis autem effectiuè non ita calefacit. & hic soluitur ista dubitatio. Bilis igitur est substantia, tenuissima, et calidissima; sapore est amaro; & colore pallido. Pallorem intelligimus, quẽ Græci ὠχρὸν uocarunt; sicut est color in citro subalbescente. Si etiam citrinum dicatis; idem est. & est, ubi luteus color sit ad modùm remissus, & tendens ad album; sicut solet esse in facie icterici, qui habet colorem citrinum, cum quadam albedine. Sicut etiam est color auri. Vnde etiam pallescere aurum dicitur. Vnde est illud dicterium; aurum ideo pallescere, quia habet multos insidiatores. hoc dicit Gal. in 5.

comm. 6. epidim. in lib. de tumoribus præter naturam, cap. 10; & alibi sæpè.

Quoniam autem (sicut uidistis etiam in præcedenti capite de pituita) Auicenna fuit confusus; propterea in hoc tractatu de bile satius ego duxi ꝓponere priùs; quæ nam sit uera sententia, Galeni, & antiquorum; et simul explicare mentem Auicen. Propterea audiatis. Incipiamus igitur, sicut etiam incepit ipse Auic. et dicamus bilem, quandam esse naturalem, quandam non esse naturalem. Bilis naturalis; dicitur illa, quæ non excedit ordinem naturæ. Sed, quando erit intra ordinem naturæ? Quando scilicet seruabit necessitatem, & materiæ, & finis. Seruare autem necessitatem, & materiæ, & finis; ita intelligitur. Conditor ita constituit res omnes; ut proposito fine priùs; semper materia sit talis, qualem requirit finis ille. & hoc probat Arist. primo de partibus animalium, cap. primo. & hic ostenditur maximus ordo naturæ; & maxima prudentia opificis. & ita est connexa necessitas materiæ fini; ut, altero proposito, & habito; sequatur alterũ necessariò; ut probat Gal. decimo de usu partium; disputans contra, Mosem, & Epicurum. Contra Mosem; quia, posito fine; non ponit materiam conuenientem. Deridet etiam Epicurum; qui necessitatem solius materiæ ponebat, non finis. Ideo ait, rectiùs, & prudentiùs; Mosem direxisse mentem suam; licet & ipse fuerit diminutus. Necessitas autem materiæ in bile generanda; est; quia (ut scribit Galenus tertio de simpl. med. cap. quinto; & quarto eiusdem, cap. 23.)

In omnibus succis semper opus est necessitate materiæ, ut fiant quatuor diuersa in quolibet succo extracto. Vt, si ex herba, uel ex aliquo solidiori corpore extrahatur succus; necessariũ est esse quatuor. Vnum quidem purum; tria autem excrementa. et dicit, quòd in aliquibus deprehenditur sensu; in alijs ratione. Sensu quidem; deprehenditur in uino. Est enim sanè uinum purum. est fæx in fundo. est aquositas. est & quoddam supernatans, quod Gal. uocat florem uini. Sicut autem apparet in uino; ita etiam in alijs omnibus succis; & etiam idem in sanguine contingit. Est enim quoddam purissimum; quòd appellatur sanguis cõtra distinctus alijs. Præter sanguinem; sunt etiã tria excrementa. Quorum unum dicitur fæx; qui quidem est succus melancholicus. Aliud excrementum aquosum; quæ pituita dicitur. Aliud quoddam supernatãs ueluti flos, leuissimus, & tenuissimus; & dicitur bilis, siue cholera. et ita habetis, in hoc succo, sicut in alijs, quatuor ex necessitate materiæ. Quoties igitur bilis non excedat hanc necessitatem materiæ; erit naturalis quãtùm ad materiã. Est necessitas finis. hæc (inquam) est duplex; altera absolutè essendi, altera bene essendi. Necessitas essendi; est, quia, (sicut aiunt Hippoc. et Gal. in primo lib. de natura hum.) unus quisq; homo constituitur ex quatuor humoribus. Præterea sunt quædam membra, quæ nutriuntur bilioso sanguine; Quinto de usu partiũ, cap. sexto, De pulmone. Quando igitur, tantum generatur, quantum requirit finis iste ratione essendi, hæc bilis dicitur naturalis, quia seruat

seruat necessitatem finis. Necessitas finis bene essendi, erat, quia necessarium est, ut expurgentur, & lauentur, intestina. propterea, quando porus felleus sit obstructus; malè se habent intestina in excretione excrementorum. Quando igitur ita se habebit bilis, ut sit intra ordinem naturæ; neq;, aut plus, aut minus; de ea generetur; quàm requirit necessitas, & materiæ, & finis; erit naturalis. Erit autem hoc; quando tria aderunt. Primò; ut materia sit conueniens. Tertiò, ut seruetur locus naturalis. Secundò; ut calor sit conueniens. Tunc enim omnia bene se habebunt; & bilis consistet intra terminos naturæ. Materia autẽ, conueniens bilis, quæ nam est? In lib. de facul. nat. cap. 8. dicit Gal. quòd ex tenuissima, & pinguissima; parte alimenti generatur bilis, & inde est; quòd, quæ sunt unctuosa, & admodùm dulcia; illa omnia generãt plurimum bilis; sicut sunt mel, & saccharum; quantùm ad unctuosa, & dulcia omnia. Vnde hæc prohibẽtur febricitantibus febre biliosa. Quando igitur alimenta, neq; fuerint admodùm dulcia, neq; unctuosa, sed temperata omnia; generabunt bilem naturalem ratione materiæ. & ita bilis erit naturalis ratione materiæ conuenientis. Calor etiam, qui est causa agens; dicitur esse conueniens, & temperatus. & non credatis, quòd ex superfluo calore generetur bilis naturalis; nam ex superfluo calore generatur bilis nõ naturalis. Ad generationem igitur bilis naturalis; hæc duo simul requiruntur. Quòd; &, si sit calor temperatissimus; & utatur cibis, dulcibus, & unctuosis;

Iste abundabit plurima bile, tantùm refert alimẽtum. Materia igitur cõueniens necessaria est et ipsa; præter calorem conuenientem. Tertiò oportet, ut seruetur locus, in quo loco generatur bilis, in quo sanguis generatur. Nam, si bilis sit excrementum sanguinis; est necessarium; ut ubi generatur sanguis, ibidem sit suum excrementum. Sed sanguis generatur in hepate; ergo & bilis generabitur in, hepate, & uenis. Nam secundùm antiquos est tantùm una concoctio, in hepate, & in uenis. At dicet quis; Ex quo ista bilis est naturalis; quare habet istas concoctiones? Quomodo ego cognoscam bilem naturalem, et habere has conditiones? Sunt planè multa signa; quæ, & consequuntur, & accidunt corpori. Primò; nihil redundabit, & erit corpus bene coloratum. Sed sunt alia signa potiora, sumpta ab excrementis. Quando enim bilis excernetur; erit, tenuißima, & fluida, ita; ut non poßit esse ex humoribus subtilior secundùm urinam, idest post urinam, & sudorem; sicut ostendit Gal. & in libro de atra bile, & de inæquali intemp. & in secundo de fac.nat. et In lib.de tum.præter naturam, et in secundo progn. Hic utiq; sunt ferè omnia, quæ diximus, et dicemus. Est igitur bilis maximè fluida, et tenuißima. Sapor est amarus; sed amaritudo non est, simplex, neq; syncera, sed habet acrimoniam adiunctam. At dicet quis; Non percipitur. Non est mirũ; nam absynthium habet, acerbitatẽ; & amaritudinem; et acerbitas est longè intensior; quàm amaritudo, et tamen non percipitur acerbitas, sed amaritudo. et ratio

tio est; quia sunt duo sapores extremi, dulce, et amarum. Cæteri autem sunt medij. Extremi autem maximè mouent sensum; sicut etiam in coloribus. Albus enim, et niger color; illi sunt, qui maximè mouent uisum; cæteri uerò omnes sunt obtusi. Inde est; quòd in bile percipitis amaritudinem, non acrimoniam. et, si percipitur acrimonia; ratione potiùs, quàm sensu; percipitur. et inde est; quòd bilis; stimulat, pungit, et rodit; quia acris est. et ita habetis, quæ sit substantia bilis; et, qui sapor. Color naturalis (in lib.de tum.præter naturam) est pallidus. et iam declaraui, quis sit color pallidus. Dixi enim; quòd est ille, qui est luteus in albo. Id est, quando luteus est clarus, declinans ad albedinem; dicitur pallidus, à Latinis, & ὠχρὸς à Græcis. et habetis terram talis coloris; et dicitur ὠχρὰ. Habetis etiam auripigmentũ. Palea etiam hordei; quandoq; habet talem colorem. Citrinus autem communiter dicitur à modernis; quia sunt quædam citra, quæ habent huiusmodi colorem. Est igitur bilis naturalis talis coloris pallidi. Vnde, si flaua fuerit; illa erit calidior. (Appello autem flauam; quando color est uere luteus, sicut est in herba calendula) nõ est autem tunc naturalis; quia calor egit in ipsam plus quàm oportet, et præußit. et hic color est proprius color synceræ bilis. Bilis pallida habet aliquid admistum ex serositate sanguinis; et ideo color luteus intenditur, et fit pallidus. Proprius autem color, ut modò dixi, synceræ bilis; est flauus color. et est magis syncera bilis flaua, quàm pallida; ideo tota syncera

est, quæ flaua est. Sed, quantò syncerior est, tanto magis recedit à natura; ideo dicebat in secundo progn. 47. quòd omnis humor syncerus malus est. Bilis ergo naturalis est colore pallido. Et ita habuistis tres proprietates, siue conditiones; bilis naturalis, cuius sit substantiæ, cuius coloris, et cuius saporis. Quartò est leuissima, et semper supernatat; primo de natura humana. Quantùm ad primas qualitates; patet etiam ex leuitate, quòd sit calida, et sicca. Iam igitur habetis signa bilis naturalis; et, quo modò generetur, et, ubi generetur. et sic habetis quæcunq; possunt dici de bile naturali. Quæ modò est bilis præter naturam? Est illa, quæ habet, aliqua, uel multa; ex contrarijs harum conditionum signa, quæ diximus competere bili naturali primò; quæ peccat in materia, et non habet materiam conuenientem. Quando enim contingit; ut in ipsa materia, uel sanguine, plus sit de succo bilioso, tunc bilis non est secundùm naturam. Quando excedit etiam finem naturalem, est non naturalis. et, quia finis est duplex (ut dixi) et essendi, et bene essendi; ideo contingit, bilem non naturalem excedere finem dupliciter. Hæc omnia fiunt, quando causæ bilis non erunt secundùm naturam. Causæ autem sunt (ut audiuistis) primò, ut materia habeat tantum de succo, pingui, et dulci; quantum oporteat, et sufficiat ad generationem biils, Ideo cibi temperati, sicut panis, caro pullorum gallinaceorum, et huiusmodi, non plus bilis generant, quàm oporteat. Ideo bilis erit naturalis quantum ad materiam. At, si sint cibi, dulces admodùm

modùm et unctuosi; tunc plus bilis generatur, quàm oporteat. et, si fuerint cibi frigidiores; ut, lactuca, & huiusmodi; plus pituitæ, quàm bilis; generatur. Altera causa est calor non naturalis, quæ est causa agẽs. Calor enim; quando fit non naturalis; tunc, uel deficit, uel excedit. Si deficit; generatur bilis, quæ dicitur à Gal. bilis rubea. Quam non distinguit à sanguine subtiliori; nisi quòd hæc bilis non congelatur, neq; crassescit. Quando igitur calor non contingit ultimam concoctionem, sed fecit aliquam coctionem; tunc non facta est conueniens separatio bilis à sanguine. Ideo facta est substantia quædam separata quidem à sanguine in substantia; sed non potuit habere colorem conuenientem; quia calor fuit diminutus, & non potuit attingere ultimã coctionem, siue finem coctionis. & ex ista bile fiunt erysipelata, & febris synocha; ideo dixit Gal. erysipelata fieri ex bile rubea. et ideo isti non intellexerunt, quid sit bilis rubea; &, quid differat à flaua. Vnde, erysipelata, & febris synocha; participant naturam sanguinis; ideo sunt erysipelata rubea; & iuuantur missione sanguinis, sicut & febris synocha. Verùm est; quòd progressu temporis hæc bilis rubea uertitur in bilem flauam; quando calor iam auctus est, & aucta est putredo. Quare non mirum est; si quidem Galenus aliquando dicat, erysipelas ex flaua fieri bile. habetis igitur primò; quænam sit bilis rubea; Quæ generatur ꝓpter defectum caloris agentis, quãdo potuit generare quidem ipsam bilem; sed nõ potuit separare à sanguine separatione

 perfecta,

perfecta, ideo habet colorem sanguinis. Si uerò calor fuerit excedens secundum gradum caloris; fiunt uariæ species bilis. Nam, si sit auctus in primo gradu; fit bilis flaua; & est syncera bilis, & non est prorsus præter naturam, neq; prorsus secundum naturam, sed media. Si uerò magis excesserit calor; aduritur flaua bilis, & fit uitellina. &, quid uitellina est ista? Vbi bilis flaua ulteriori calore aduritur; fit uitellina; et est coloris magis uiuacis, quàm flaua; & tendẽtis ad rubedinem, sicut est color croci. Non autem croci illoti; sed, si accipitis parum croci, & diluatis, & per multam dilutionem faciatis; uidebitis esse colorem ad modùm luteum, & tendentem ad rubedinem; sicut est in aliquibus uitellis ouorum gallinarum, degentium in campestribus locis. Ideo bene comparatur hæc bilis uitello ouorum. Si uerò calor ulteriùs etiã; permeat; fiet (contra Modernos) immediatè æruginosa bilis. & non est alius medius terminus. Aeruginosa autem qualis nam, & quæ; est? Si uidetis æruginem æris; uidetis colorem uiridem quidem, sed est uiride clarũ. &, ubi nigrum admiscetur cum flauo; fit uiridis color. & inde tandem, ubi dominatur nigrum, et fit summa adustio à calore; fit bilis nigra, de qua agetur suo loco. & ita uidetis; quòd, quando calor agens excedit temperamentum in primo gradu excessus; fit bilis flaua, postea fit uitellina, postea æruginosa, ultimò nigra. &, si bilis pallida peccaret solùm; hæc multùm eroderet. Sed, quid creditis facturam bilem flauã non naturalem? &, si flaua magis; quid de uitellina creditis?

ditis? Quòd, si uitellina; quid de æruginosa dicemus? Erit hæc certè peßima. Audiuistis; quo modo bilis fiat non naturalis; tum uitio materiæ; tum uitio caloris, uel excedentis, uel deficientis; et, quòd secundùm uarios gradus excessus caloris fiunt uariæ species bilis non naturalis. Audiatis modò, quare fiat non naturalis respectu loci. Si bilis non generabitur, neq; in hepate, neq; in uenis, non quidem est naturalis. Sed, ubinam generatur; quando non generatur, nec in hepate, nec in uenis? Generatur in uentriculo; & hæc dicitur prasina à Græcis, idest porracea; quia habet similitudinem porri in colore; & habet saporem medium inter, amarum, & acidum. habet etiam causam agentem præter naturam; & materiam præter naturam. Causam quidem agentem; quia nunquã uentriculus, naturaliter se habens, generat talẽ bilem; sed, quia fuit calefactus præter naturam. Peccat etiam materia; ubi ingeritur cibus calidus; aptus, ut putrescat, & putrescat ad nidorem. Cùm enim putredo erit in uentriculo; uel terminatur ad aciditatẽ, uel ad nidorem. Fit igitur hæc bilis non in omnibus uentriculis; Sed, uel in uentriculis calidis; uel, quando cibus est aptus, ut conuertatur in hanc bilem. Dereliquimus unam speciem bilis, non naturalis; quæ uocatur à Græcis ἰσατόδης bilis, de qua nè somniauit quidem Auic. Sed audite (quæso) unum uerbum. Sunt quidam; qui dicunt, me obscurè loqui, & ab ipsis me non intelligi. Sed, qui me non intelligunt; ij habẽt aures obstructas pecunijs. Pecuniæ enim obstruunt aures,

res, & cibaria, & uina dulcia. Iam ad rem redeamus.

LECTIO. XXXIII.

MODO' *iste calor, ex quo diximus generari bilem hanc porraceam; est quandoq; intensior, quandoque remissior. Sic & alimenta, quandoq; sunt magis apta ad hoc, quandoq; minùs; ideo secundùm uarios gradus ipsius, caloris, & alimenti; fiunt uariæ species bilis in ipso uentriculo. Si enim sit calor intensior, et alimentum sit aptissimum ad putredinem; non solùm fit porracea bilis in uentriculo, sed etiam ἰσατόδης; sumpto nomine ab herba notissima in Italia, quæ græce ἰσάτις dicitur, & a Latinis glastum, & uulgò guadum. Est autem coloris ceruleí; sed tendẽtis ad nigredinem. Nam, ubi bilis illa porracea magis putrescit, et magis incalescit, & magis incineratur; fit ille color porraceus obscurior. Quare fit ceruleus; nam color ceruleus est obscurior, quàm uiridis. & ita sunt gradus quidam innominati; per quos deuenitur ad ipsam nigredinẽ. Sed gradus nominati, sunt hi, quos enumerauimus ex Gal. Primus gradus est flaua bilis. Omitto autem pallidam, quæ est naturalis; & loquor de ea, quæ est præter naturã ratione loci. hæc igitur si magis aduritur; fit uitellina. Si magis; fit æruginosa. Quòd, si sit naturalis ratione loci; primo fit porracea. & si magis aduratur; fit ἰσατόδης. & ita habetis quinq; species bilis, non naturalis citra nigredinem; in quibus fuerunt confusi Moderni. Ego tamen nolo nunc colligere conclusiones falsas modernorum.*

habetis

habetis autem quinq; species bilis non naturalis citra nigredinem; & unam naturalem; quæ est pallida bilis. Videbitis modò diuisiones Auic. quàm sint ineptæ; & ubi sint falsæ. Hic dicet quis; Cur exponis tu librum, quem uituperas? Primum quidem ego non uitupero lib. totum; sed ea tantùm, quæ mihi uidentur reprehendenda. Præterea non facio rem nouã. Nam Galen. nullibi facit meliores commentationes; quàm in libros, quos repræhẽdit, sicut in lib. prorrheticorum, et in lib. de natura humana. Audiatis igitur modò, quid dicat Auic. Primò facit diuisionem bilis in, naturalem, & non naturalem. Postea, agens de naturali; non affert causas, quas nos diximus; sed affert tantùm signa quædam, quibus cognoscantur; quæ etiam à nobis dicta sunt. Hic igitur uolens definire bilem naturalem; primò dicit, quòd est spuma sanguinis. Si propriè intelligeretis spumam sanguinis, esset falsum, sed usus est uocabulo ualdè improprio. Si intelligatis enim per spumam partem leuiorem; & id, quod appellauit florem sanguinis; non errabitis. Dicit secundò; Cuius color est rubeus, & clarus. *Si uultis interpretari per (rubeum clarum) citrinum, & pallidum; qualis est color paleæ hordei; bene erit. At, si ut sonant uerba; est falsum, quia color rubeus clarus est proprius sanguinis. & ita uidetis, quàm sint ista obscura. Balbi balbos intelligunt (dicebat Præceptor meus.) Præterea Pomponatius etiam dicebat, se meliùs intelligere istas locutiones Barbaras, quàm Latinas; quia erat assuetus istis balbis. Si bene intelligitis istas balbuties;*

bene

bene est. Etiam in sapore obscurè loquitur; quia tacet amaritudinem, quæ sola sensu percipitur; & ponit solã acutiem, id est acrimoniam; quæ ratione quidem cognoscitur (ut dixi) quia bilis, pungit, & erodit; sensu autẽ non percipitur; Sed percipitur sensu amaritudo. & eius rei causam superiùs aßignaui. Et quando dicit. Quanto magis fuerit calida, tantò erit eius rubedo maior. *Hæc est conclusio falsa. Quia bene uerum est; quòd, quanto calidior fit; tanto flauior euadit; sed non est hæc flaua bilis naturalis, sed præter naturam. Propterea, qui habẽt flauam bilem; sunt calidiores; sed habent sanitatem, debilem, & querulam. Bene uerum est, quòd flaua bilis magis accedit ad naturalem, quàm aliæ; sed tamẽ recedit à naturali, & non est naturalis; ut diximus.* Quæ, cùm in corpore generatur; in duas diuiditur partes. *Audiuistis; quòd erat duplex neceßitas, quædam ex parte materiæ, quædam ex parte finis. Neceßitas adhuc finis duplex erat; à propria essentia neceßitatis. & ita fuit sufficiens nostra diuisio; & non fuit opus idem repetere, neq; partes coincidere. Sed ipse Auic. sumpsit diuisionem ab accidenti, id est à motu; ideo coactus fuit idẽ repetere in membris contra distinctis. Quia contingit in diuisione ab accidẽtibus; quòd quædam proprietates sint in utroque membro opposito. &, quòd hoc ita sit; uideatis, quid hic dicat Auic.* In corpore generatur. *Vult dicere, quòd in hepate generatur. & ita erit clarior textus; & ita emẽdauit Andreas de Alpago.* Quod autem

autem est de ea colatum ad cistam transmittitur *hic uidetis apertißimè id, quod diximus; quòd memba huius diuisionis concidunt. Nam, cùm Auic. supra posuerit; quòd, quando bilis uadit cum sanguine; tunc habet neceßitatem, & iuuamentum.* Neceßitatem quidem; *ut nutriat membra. Iuuamentum autem; ut faciat meliùs sanguinem transire ad membra nutrienda. hoc idem hic repetit in membro opposito; & ita mẽbra concidunt. Quia diuisio non est ab essentia; sed ab accidenti. et omnia sunt facilia. Ideoq; sæpè accidit colica causa oppilationis. Colica enim generatur propter retentionem bilis; quia, retenta bile; retinentur excrementa, & non excernuntur. Quæ congregata; postea excitant dolores.* Non naturalis verò cholera *nũc postquàm egit de bile suo modo naturali; tradit, quæ sit bilis non naturalis, & diuidit. & non minus peccat in hac diuisione; quàm in superiori, quia diuidit per accidentia. & dicit; quòd quædam bilis non naturalis, talis est propter admistionem alicuius extranei; quædam, quia in se ipsa corrumpitur. Huiusmodi diuisio, cùm sit sumpta ab accidentibus; peccat multifariam. Primò enim hoc membrum non est simpliciter uerum; neq; est necessarium; ut illa bilis sit non naturalis, quando admiscetur aliquid extraneum. (Stat enim, quòd admisceatur aliquid naturale; ut, quando admiscetur bilis sanguini.) Propterea non oportet diuidere per, admisceri, & non admisceri. Propterea, Gal. & Græci; qui nouerunt artem diuidendi; nouerunt & hanc bilem admiscere;*

miscere; sed non uocarunt bilem, non naturalem, sed bilem, spuriam, & notham, quia non potest exercere proprias operationes, quin habeat contrarium admistum resistens. Degenerat enim à proprijs suis actibus propter admistionem, sed hæc non est corruptio, quia una quæq; stat pars in sua natura. Sed operatio unius impeditur ab actione alterius, sicut, si admisceamus æruginem cum oleo. (Aerugo enim æris erodit, sed impeditur ab oleo uiscoso.) Vel, si duo uiri fortes luctarentur simul. Malè igitur diuisit Auic. per, admisceri, & non admisceri. Sed declaremus primum membrum. Quando bilis admiscetur cum pituita, appellat Gal. bilem notham maioris famæ, quia hoc plerunq; fit. Quando autem miscetur cum humore melancholico, appellat bilem notham minoris famæ. & reuera ita est. In quo igitur hic est reprehendendus Auic? Est reprehendendus in hoc, quoniam, si uis facere diuisionem per hoc, quòd admiscetur, eò, quòd miscetur bilis pituitæ, quare non accipis alias omnes mistiones? Sunt enim plurimæ mistiones aliæ; sicut etiam testatur Galenus in secundo de diff. feb. ubi loquitur de febrib. compositis. Dicit enim ibi; quòd sunt ferè infinitæ mistiones, bilis, & aliorum humorũ. Non nè enim & sanguis miscetur cum bile, qui facit erysipelas phlegmonodes? Hi errores inde procedunt; quia diuisio est facta per accidentia. Propterea Galenus non ita diuidit; sed diuidit per essentialia. Cuius generatio est magis in hepate. *Immo longè frequentiùs generabitur in uentriculo; ut uidere potestis*

testis ex euomitionibus. Nam hepar, uel est calidius seipso, uel frigidius. Si calidius; non generat huiusmodi bilem, immo potiùs conuertit in sanguinem. Si frigidius; non generat huiusmodi bilem cum pituita, sed generat sanguinem aquosum. Cùm igitur huiusmodi bilis cum admistione pituitæ nõ poßit generari in hepate; quia, neq; à calore naturali (nam calor naturalis nihil facit contra naturam) neq; à calore præter naturam (quia; neq;, cùm deficit; neq;, cùm excedit) Relinquitur, quòd magis in uentriculo generetur.

Notha autẽ, & famosa; aut est citrina, aut, &c. *hic confundit se ipsum. Videmus enim ex ipso Galeno; quòd bilis, citrina, siue pallida; sola est naturalis; & Hic ponit inter biles non naturales ex admistione pituitæ. & hoc quantùm ad primum membrum subdiuisionis bilis ex admistione pituitæ. Quantùm autem ad secundum membrum; quando dicit, quòd bilis uitellina est una species bilis ex admistione pituitæ; Quantùm sit hoc contra placita antiquorum; iam audiuistis. Fit enim uitellina; non ex admistione phlegmatis crassi, sed ex admistione ipsius bilis post flauam bilem. & ideo est ualdè maligna, & ualdè erodit; & magis, quàm flaua bilis. Cuius contrarium sequitur ex dictis Auicennæ; est enim bilis uitellina (secundùm Auicennam) benigna; & non posset erodere, neq; abradere loca; quia obtunderetur à phlegmate crasso. At erodit uitellina; ut dicunt omnes antiqui. Cùm igitur in hoc tractatu de humoribus tot sint errores; quid mirum est, si medici, sequentes Auicennam, tanquàm*

Ducem;

Ducem; multa postea, & in morborum cognitione, et in causis, & curatione; dixerunt falsa, & grauissima peccata? Paruus enim error in principio; fit maximus in fine. Sunt enim humores, tanquàm principia totius artis.

LECTIO. XXXIIII.

CHOLERAM ex admistione *dixit Auic.* aliam esse maioris famæ, aliam minoris famę. *Postea subdiuidens primum membrum; dixit* istius bilis quandam esse citrinam, quandam esse vitellinam. Vbi enim admisceatur phlegma tenuè; fieri citrinam. Vbi phlegma crassum; fieri vitellinam. *Deinde subdiuidens secundum membrum; dicit.* choleræ ex admistione minoris famæ; quandam generari, vbi cholera ipsa aduritur in se, & incineratur; sed eius subtile non separatur à cinereitate; quandam autem esse; vbi bilis nigra extrinsecus aduenit. *Hæc est integra diuisio Auicennæ bilis non naturalis ex admistione. Multiplex est peccatum in hac diuisione (ut etiam priùs pro parte diuisimus, et ostendimus) Primò enim quantùm ad illam diuisionem bilis maioris famæ; cholera citrina illa est naturalis, & benigna, & nutrit corpus, & appellatur hæc bilis pallida. Quantùm uerò ad illam secundam speciem bilis famosæ, quam ipse appellat uitellinam; in hoc; præter quàm, quòd discedit à præceptore suo (nam bilem uitellinam appellat Galen. quæ fit ex admistione bilis in se,*

se, sine ulla admistione; ut in superioribus declarauimus.) Relinquit etiam ipsam naturam. Nam cholera uitellina magis declinat ad peßimum, quàm ad benignum. At hæc uitellina Auicennæ est magis benigna; quia bilis retunditur à, craßitie, & lentore; phlegmatis. Et huiusmodi phlegma habet uirtutem emplasticam ita; ut sit medicina ipsius bilis. & ita discedit ab itinere, Galeni, & antiquorum; & discedit clàm, tanquàm transfuga sine ratione. Quare indicium est potiùs inscitiæ, quàm iudicij. Præterea rerum differentiæ simplices semper primò docentur ab Aristotele, & ab omnibus doctis. Nam ex recta cognitione simplicium; sequitur postea cognitio compositorum. Vnde, & in tertiò, & quarto; de cœlo tradit de elementis in communi abundè; nihil docens, quomodò ueniant in mistionem. Quod etiam fecit Gal. ante, quàm traderet, quomodò elemẽta ueniant ad mistionẽ. Præterea docet hæc Gal. ex professo, & in primò de diff. feb. Non autem ita facit hoc loco Auicenna; Sed oblitus, nõ dixerim aliorum, sed sui ipsius (nam aliàs fuit bonus dialecticus) antequàm doceat, quæ nam sit bilis simplex; docet miscellam. & ita prætergreditur leges suorum præceptorum, Arist. & Galen. Vos autem uidistis in diuisionibus nostris, factis secũdùm Galenum; species omnes bilis simplicis. Propterea est multiplex peccatum. Sed est aliud. Non est enim uerum, quòd illa cholera sit uitellina ex admistione; sed uitellina; & talis, qualem diximus ex Galeno. et hæc de primo membro; id est de cholera ex admistione maioris

maioris famæ. Quæ autem est minoris famæ etiam in hoc membro secundo est res admiratione digna. Primò enim; professus est, se dicere de bile ex admistione. & hic, subdiuidens unum membrum ex duobus, quæ dixit fieri ex admistione; dicit, quòd bilis minoris famæ; alia fit ex adustione, dum incineratur per se. Si tamen uultis excusare ipsum; potestis dicere; quòd intelligit, quòd ista bilis in se aduratur primò, & incineretur; postea cum ipsa ita adusta admisceatur bilis nigra. Dicamus ita. &, si ipse nihil dicit; ut excusemus ipsum quantùm fieri potest. Sed inde semper sequetur hoc; quòd huiusmodi mistiones sunt infinitæ, & inutiles hoc loco. Quia, quomodò potest tradere bilem ex admistione melancholiæ, antequàm dixerit quid sit melancholia? & ita, si uoluisset tradere de istis mistionibus; debebat priùs tradere doctrinã simplicium. Quare diuisisset priùs, quid esset cholera simplex; &, quid melancholia simplex; & postea docuisset miscellas ipsarum. Huius autem speciei color est rubeus *Videatis doctrinã admirandam; inferiùs enim statim dicet oppositũ. Dicet enim, quòd* ex nigro, & citrino; fit viride *hic autem dicit, quòd* ex citrino, & nigro; fit rubeum *dicit postea, quòd* color iste est rubeus; sed non est lucidus, & floridus; sed assimilatur sanguini *et non dicit, cui sanguini. Si igitur intelligit de sanguine naturali; est rubeus, & floridus. Si autem de non naturali; debet dicere, de quo. Nam est sanguis non naturalis quidam; qui est, corruptus, & crassus; & ita*

ita niger, ut non distet à melancholia. Quare imaginari oportet quiddam medium; ut intelligatis uerba in bonum sensum, si fieri possit. Sed est tennis. *Cogitate uos; quomodò fieri possit; ut ex admistione, choleræ, & bilis nigræ; fiat tenuis.* Et plerunque à suo colore propter aliquas mutatur causas. *Non distinxit, quis sit color. & hic dicit, quòd propter aliquas causas mutatur à suo colore; & non dicit, propter quas causas. & ita nihil docet. Sed nolo immorari; quia habuistis ueram doctrinã à me ex Galeno. Oportet tamen ita notare; ut possitis colligere rosas ex spinis. Sunt etiam in Auicen. multa bona.* Quæ verò in sui substantia extra naturã est. *Aggreditur secundùm membrum bilis, non naturalis; quæ est, quando nihil externum admiscetur. & dicit, quòd, quædam generatur in hepate, & quædã in uentriculo. Prætermittamus, quòd hoc membrum possit coincidere cum primo; quia; &, quæ generatur in hepate; &, quæ generatur in stomacho; potest misceri. Sed omittamus hoc, & uideamus; utrùm uera sint, quæ dicit.* Et illa quidem, cuius generatio est in hepate. *uerum dicit* quidquid est subtile; vertitur in bilem, vbi aduritur. *Sed, quam doctrinam hic tradit? nam in adustione sunt plurimi gradus; & ita fiunt plurimæ species bilis non naturalis. Et ideo dicit Gal. quòd in adustione primò fit flaua bilis; postea fit uitellina. Auic. autem unam tantùm ponit speciem, & nihil diuidit; & non dicit, quænam sit hæc species. & credo, quòd hoc non potuit facere;*

cere; quia iam occupauerat omnes differentias alibi. Nam uitellinam dixit fieri ex admistione æruginosam, dicit paulò post fieri in stomacho; & ita est multiplex peccatum. Et, quæ in stomacho generatur. *Vult, ut credamus hoc sibi; & non dicit, quomodò generetur, quæ sit eius causa, quod agens, quæ materia. Nos igitur omnia ostẽdimus ex Gal. Postea dicit, quod sibi uidetur, quòd* prasina generetur ex uitellina, cùm aduritur. *Postremò dicit, quòd uidetur sibi, quòd* æruginosa fiat ex prasina. *hic sunt multa peccata. Primò enim, quòd æruginosa non generetur in uentriculo, sed in hepate; est expressa sententia Gal. sicuti audiuistis. Secundò nõ fit æruginosa ex prasina; sed ex uitellina, quæ generatur in hepate. Isatodes illa est, quæ generatur in uẽtriculo, & fit ex prasina. & hæc fuit occasio erroris. & præter authoritatem; ratio etiam consentit. Nam color porraceus, cùm aduritur, fit niger. & ideo bene ex porracea potest fieri Isatodes; sed non æruginosa, quia est æquè uiridis, habuit igitur occasionem errãdi Aui. quia pro Isatode accepit æruginosam; Vnde de isatode nihil meminit. Deinde, cùm dicit.* Et mihi quidem uidetur quòd prasina ex uitellina generetur. *Admirãdus est hic Auic. Nonnè dixit ipse superiùs, quòd illa famosa generatnr in hepate; &, quòd hæc cholera, quædam est citrina, quædam uitellina? Si igitur uitellina generatur in hepate, quomodò prasina, quæ generatur in uentriculo; generabitur ex uitellina? & ita uidetis doctrinã admirandam.*

Adustio

Adustio in ea efficit nigredinem, ex qua cum citrinitate mista. *Priùs dixerat, quòd ex* nigredine & citrinitate; fit color rubeus. *hic autem dicit, quòd* fit uiridis, *Zinaria uerò mihi uidetur, quòd generetur ex prasina. Flos æris est color quidem uiridis; sed est istud uiride floridum, & tendens ad quandam albedinem. hoc uidebat Auic. &, quia dixerat bilem æruginosam fieri ex porracea per maiorem adustionem; & uidebatur; quòd, cùm aduritur uiride clarum; debet fieri color niger; Ideo, cùm dixisset, ex porracea fieri æruginosam, quæ non est nigra; ut hoc saluaret uno mẽdacio; defendit aliud mendacium, & dicit.* Aduerte, quòd, quando calor agit in humidum, fit color niger. Vbi autem magis intenditur adustio ita, ut consumatur humidum, fit color albus. *Ego dicã fundamentum huius rei, quàm sit falsum. Sed dicamus primò unum inconueniens; quod sequitur ex eo, quòd dicit Auic. Si enim per maiorem admistionem porraceæ fieret color magis candicans; sequeretur; quòd, si adhuc ulteriùs absumeretur humidum; magis adhuc candescet. At hoc est contra Gal. & contra ueritatem; quia semper dicit Gal. quòd ex æruginosa fit cholera nigra. & ita uidetis inconueniens. & non est uerum, quòd æruginosa fiat alba propter maiorẽ adustionem. Veniamus modò ad fundamentum. Sed debetis scire (sicut est sententia Aristot. secundo de anima. 66, & 67; & in lib. de sensu, & sens.) quòd color nihil est aliud, quàm admistio lucidi cuiusdam cũ corpore dia-*

 phano.

phano. & hoc; quando materialiter definimus. & secundùm uarias dispositiones huius lucidi, & uarias dispositiones diaphani; fiunt uarij colores. Hoc stante; cùm colores sint tantùm duo simplices, albus, & niger; et ex his fiãt alij omnes; et horum alter habeat rationem, habitus, & formæ; et alter rationem priuationis (ut est sententia Auer. & Arist. in metaph.) Ideo album, quantò magis est corpus, tantò magis illud diaphanum est perspicuum. &, quantò magis suscipit de lucido, siue luce; tantò magis erit album; quia plus habet de ratione formæ, & habitus. Et quanto minùs diaphanum erit perspicuum, et minus habebit de lucido; tanto minus erit album, et magis accedet ad nigredinem. Aer autem est maximè perspicuus; & magis, quàm aqua; quæ, quando est multæ quantitatis, uidetur nigra. Vnde dixit Arist. nigredinem oculi esse ex multa aqua, ibi existente. Dicebat igitur ibi Arist. in eo lib. de sens. et sens. quòd albedo efficitur ex igne, claro, & lucido; et multo aere; sicut nigredo ex multo igne obscuro, et pauco aere. Quid autem dicere uolo? hoc uolo dicere, quod, si color sit ex admistione diaphani corporis, et lucis; corpus quantò magis erit diaphanum, et plus erit de luce; tantò magis fiet color albus in eo corpore. His ita stantibus; uideamus modò; quidnam dicat Auicen. dum uult excusare suum primum errorem. Cùm enim dixerit, choleram æruginosam fieri ex porracea ex maiori adustione; et uideret æruginosam choleram esse, candidi coloris, et non nigri; dicit, hoc ideo esse, et contingere, quia consumptum

consumptum est humidum per adustionem, quod erat prius in porracea bile. et supponit unum falsum, quòd scilicet in maxima adustione res albescat, quia humidum fuerit consumptum; &, quòd calor in humido efficiat nigredinem, in sicco autem albedinem. Calor enim per accidens; siue agat in humidũ. siue in siccum; semper facit colorem album, uel nigrum. (Idem est de frigore.) Sed attribuendum est totum corpori diaphano, & lumini. Si enim corpus diaphanum sit humidũ, et agat calor in ipsum turbulentè; tunc fiet illud corpus nigrius à calore quidem, sed per accidens. Quatenus. s. conturbat diaphanum. Accipiatis oleum, & ponatis in lebete feruenti, et uidebitis quòd ubi ferbuerit, nigrius erit; quàm, quando erat frigidum. Quia humidum turbidum permiscetur cum igne obscuro; &, quia prohibetur transitus lucis in humidum tenue; fit obscurum, sicut etiam uidetis de aqua agitata. Sed non faciatis, ut ferueat ita, ut turbida fiat; sed permittatis, ut aer extrinsecus digerat illud humidum.

LECTIO. XXXV.

QVIA igitur non uidebat Auic. quomodo Zinaria fieret ex ipsa prasina, si uerum illud est, quod superius dixit; quòd quò magis humores aduruntur, eò magis euadunt nigri. Hic autem est hæc cholera prasina coloris uiridis obscurioris; ergo Zinaria, si à prasina fit; deberet esse nigrior. Cùm uideret igitur Auicen. hanc difficultatem; uolens eam remouere, inquit, Rectè aduertatis, uerissimum

eſt quòd ea, quæ aduruntur; fiunt magis nigra, & ea nigredo generatur gradualiter in eis. *ſed hoc uerùm eſt usq; ad quendam terminum, (quòd.ſ. caloris aduſtio ita nigredinem pariat. Verùm, dum ultra talem terminum, magis, & ulteriùs; aduruntur; tunc, quia abſumitur totum humidum proprium per extractionem caloris ab illa re, uel ab illo humore; in quæ calor agit; & tãtùm remanent partes ſiccæ ex ea maxima aduſtione, conſumente proprium humidum; Fit in tali ſubiecto patiente albedo, non nigredo. Sic (inquit Auicen.) accidit de Zinaria, quæ redditur alba, non nigra; propter ſcilicet maximam aduſtionem. Nam in eo tantummodò remãſit ſiccitas; & nulla amplius remanſit humiditas. & ita ſoluit Auic. hanc difficultatem. Nos uerò eius ſententiam ſupra examinauimus; uidimusq; ipſum decipi. Vbi etiam cepimus quid dicere de coloribus, & cauſis illorum ſecundùm Ariſt. At (ut uerum dicamus) de his inueſtigare cœpimus; ſed admodùm breuiloquè. Vnde multi auditores; poſtquàm, dicere, & tractare; cepimus; petierunt, ut de coloribus proſequeremur; & de cauſis eorum, atq; differentijs. Itaq; de natura colorum, per methodum, ac per ueras cauſas; tractabimus ſuas differentias. & ita faciam; ut (quantùm in me erit) uobis, ut optatis; ſatisfaciam; tũ, quia materia hæc de coloribus eſt ualdè difficilis; & à nullo, quem uiderim; bene cognita; tum etiam, quia colorum cognitio maximè facit ad hoc, ut reddat medicum elegantem, & maxime peritum. Nam, qui ſcit cauſas,*

& differẽtias colorum; promouetur ad cognitionem omnium affectuum, latentium in humano corpore. Nam per cognitionem colorum in urina, affectus occulti cognoſcuntur. Præterea colores puris, à quibus ſumuntur uariæ notæ de natura ſaniei, ſunt utiles medico; Itaq; optimus medicus ſæpe habet uti ipſis, ac eorum differentias prænoſcere. Quæ tamen noſcuntur per ſuas cauſas, à quibus pendent. Cognitio enim data, & habita; per ſuas cauſas, eſt perfecta cognitio teſte Ariſt. ubiq;. Cùm igitur agatur de coloribus in arte medica; ideo operæprecium fuerit medico cognitionem habere de natura integra colorum, prout hæret color diuerſis ſubiectis. Sed primùm habendæ ſunt eorum cauſæ. Ideo, cùm ſit utilis medico ob dictam cauſam hæc quæſtio; libenter dicam, quid ſentiam. Doleo tamen; me non ſatisfacturum, ut uultis maximè, cùm his diebus fuerim occupatus circa nobilium quorundã curationem, ac præterea etiam nonnullarum mulierum Venetarum. In hac igitur materia ſunt plures difficultates. Quia uarij, de hac re loquentes, uaria ſenſerunt; atq; adeo diſſentiunt; ut nihil ferè certi de hac materia affirmari poſſit. et id ob naturam rei, malè intellectam. Arabes inter ſe digladiantur; Auempace cum Auerroe, & Auicenna. Præterea omnes Græci, ut Alexander, & ſimiles. Itaq;; ſi uellem inquirere, & inſequi, ſententias omnium examinando (ipſas in medium afferendo) quænam earum uerior deligeretur; non ſufficerent ſex dies. ſed totum hoc negotium (ſi potero) nunc breui-

ter expedire decreui. Dimißis igitur omnibus nugis circa essentiam colorum; dicam tantum modò ueram sententiam, Philosophi, & peripateticorum; necnon Gal. ita, ut, habita uera opinione, ac natura colorum; postea per uosmetipsos poteritis soluere omnes difficultates in oppositum. Circa ergo colores indagandos; quoniam omnes res cognoscuntur per quatuor proposita, considerata in ipsis ex sententia Arist. secundo post. initio; Ideo circa naturam colorum debent hæc quatuor inquiri. Si igitur uolumus rẽ istam percallere in primis indaganda est res ipsa, an sit, nec nè. Quia non ab omnibus conceditur, quòd sint colores. Postea, si sunt; quid sint. Demũ, propter quid sint. Tandem perpendere oportet, quæ nam sint paßiones, insequentes hanc essentiam colorum. & eorum essentiales differentias. Quòd autem dubium sit apud omnes, an sint colores; hoc non est notũ apud omnes. & patet hoc per Democritum; qui negabat, colores dari; Nec non per Auempacem. Dicebat enim Democritus; colores non esse quid uerum in re; sed esse apparentiam quandam, ac illustrationem; quæ apparet in re; quæ collustratio appellatur. Quod ita sit; arguebat Democritus per exemplũ de columbis & anatibus; in quorum collis uidentur multi colores secundùm uarium situm ad Solem. Itaq; modò pallidus uidetur color, modò niger, modò uiridis, modò aereus, modò albicans. & sic fiunt multiplices apparentiæ; tamẽ in re ipsa nihil est. et sic, quidquid dicebat Dem. de essentia colorum; id totum referebat ad lumẽ; quod

esset causa huius, ut ita, uel ita; appareret color; sed in re nihil est. Arist. uerò, Auer. & oẽs peripatetici Græci; ponunt, quòd color essentialiter sit aliquid in re, non autem in apparentia. Supponendo igitur, quòd color sit quid essentiale in re; indagabo colorum essentiam; &, quid sint. Vbi uerò inuenerimus eorum essentiam; uidebimus; quòd, qui dicunt colores nihil esse in re per essentiam, sed tantùm per apparentiam; nihil dicunt. Circa hos colores à uobis unum est obseruãdum; quòd colores non sunt, ut cætera accidentia, quæ insequuntur mistiones; quæ accidentia sunt obiecta multorum sensuum in misto, & immediatè sequuntur primam temperaturam; scilicet actum, calidi, frigidi, humidi, & sicci. & secundùm uariã proportionem in misto harum primarum qualitatum; primò sequetur, durum, molle, tenax, tenue; quæ ad tactum referuntur. Præterea ex huiusmodi uaria proportione primarum qualitatum fiunt uarij sapores. & hoc sæpe declaraui; quomodò. s. à uaria proportione primarum qualitatũ in misto; secundæ qualitates, & sapores; uariè nascantur, ut declarat Ari. secundo de anima, 71, & 75; Vbi ostendit, quomodò ad uariam primarum qualitatum mistionem correspondeant uarij sapores, & odores diuersi. Ideo, & odores, & sapores; fundãtur in qualitatibus primis; & sequuntur ad calidum, iunctum cum sicco; ut dulcedo, & odores. Sic etiam sonus, qui est obiectum auditus. &, licet sonus uideatur magis spiritualis, quàm alia obiecta; tamen & ipse quòad renitentiam, uel repercußionem;

percußionem; &, quo ad ſoliditatem corporis; poteſt referri ad ipſas qualitates primas, & uidetur ab eis prouenire. At accidens illud, quod non conſequitur ad, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem; id eſt color ipſe, qui omnino uidetur eſſe ſeparatus à miſto, Ideo nec dependere, nec conſequi; à primis qualitatibus. Nam quandocunq; conueniunt primæ qualitates ad miſtum; ab eis nunquàm fit color, nec dependet. Vnde colores non atteſtantur ſuper temperaturam miſti; quia non oriuntur à temperatura ipſarum primarum qualitatum. Prætereà ex colore ullo non poteſt fieri iudicium aliquod ſupra miſtum, nec cognoſci eius temperamentum. (Quòd ſcilicet ſit, calidum, frigidum, humidum, uel ſiccũ) niſi per accidens. Vnde dicit Gal. in tertio, & quarto; de ſimpl. med. quòd colores, aut parum, aut nihil; indicant de temperatura miſti. At ſapores quidẽ, & odores; eam, qualis ſit; manifeſtant. Quia, cùm odores, & ſapores; ſint orti ex proportione primarũ qualitatum; ideo indicant temperaturam primarum qualitatum. Sed ex coloribus nulla poteſt haberi notitia de temperatura miſti per eſſentiam; cùm non dependeant à primis qualitatibus, niſi indicẽt eam per accidens. Cùm ergo eſſentia coloris non ſit à temperatura primarum qualitatum, nec ab ea dependeat immediatè; quæ nam erit ergo, cauſa immediata, & eſſentia; quæuè ratio formalis, ac materia proxima; ipſius coloris? Animaduertendum, ut rectiùs declaretur, qualis ſit coloris eſſentia, & ratio formalis. Dico; igitur

tur quòd materia eſſentialis, & propria; colorum eſt diaphanum, cum corpore opaco ſimul. Ex diaphano enim, ſiue lucido, & claro (dicatis quo modò uultis) cum opaco, uel obſcuro; fit color; Nam ex his duobus inſimul, ut ex materia; generantur colores omnes, & uarij. hæc enim eſt materia immediata colorum. Ideo, quando miſcentur elementa prout ſunt calida, &c. oriuntur, ſapores, & odores. Sed, ut horũ alia ſunt clara, alia obſcura, uel diaphana, aut opaca; ſequentur ab eis colores, quia ſic ſunt ſua materia immediata. Cùm ergo miſceãtur corpora; uel, ubi fuerint duo hæc corpora inſimul; fiunt colores. et ſecundùm, quòd plus fuerit de uno, quàm de alio; fiunt uarij colores. Notate autem; quòd, ſi debent fieri colores; non oportet; ut æqualiter concurrant, opacum, et diaphanum; in materia colorum. Diaphanum eſt pura materia colorum reſpectu opaci. Sed opacum non eſt materia; uerùm tamen terminat diaphanum ipſum priuatiuè, non formaliter; opacum igitur terminat diaphanum; ſed non, ut forma materiã, quæ formaliter terminatur. At diaphanum priuatiuè terminatur ab opaco; & eſt; ut quidquid, quod dicitur finis rei. ſ. extremum. &, ut mors eſt finis uitæ; ita opacũ eſt finis diaphani; Ideo, ubi deſinit eſſe diaphanum; deſinit in opacum, quod ibi terminat. Vnde ex tali priuatione diaphani, & ex diaphano; fit color uarius ſecundùm, quòd plus erit de uno horum, quàm de alio. & ſic patet, quòd diaphanum eſt, pura, & uera; materia colorum. Sed opacum nõ eſt materia; quia concurrit

currit tantummodò ad generationem colorum, terminando diaphanum ipsum priuatiuè. Quia desinit ibi esse diaphanum; ubi incipit opacum. Sicut uita desinit; ubi incipit mors. Vbi modò habetis, quæ sit materia, clara, & distincta; colorum, ac proxima; quæ est diaphanum ipsum cum opaco, priuatiuè terminante ipsum. Circa modò hanc materiam meliùs indagandam; ulteriùs etiam oportet scire, quæ nam sit natura perspicui, seu diaphani. Nũquàm enim scire possetis, quæ nam sit natura coloris; nisi habeatis, quid sit diaphanũ. & in hoc indagando est maxima difficultas. Quia, Arist. & eius interpretes; dum sermonem habent de diaphano; magis dicunt, esse diaphanum; quàm, quid sit illud. Dicunt enim tantùm esse; non autem, quid sit, pronuntiant; nec, quid sint colores ipsi. & hoc; quia non considerant essentiam perspicui; quòd (ut dixi) est materia uera colorum. Quam materiam, si ignorauerimus, quæ sit, & qualis; nec etiam scire poterimus essentiam colorum. Quare oportet priùs aduertere ad essentiã perspicui. Quid est ergo perspicuum, & causa proxima? Arist. in secundo de anima tractat hoc, ubi inquisiuit naturam perspicui; non tamen eam declarauit, sed tantummodò tradidit quædam accidentia perspicui, at de natura eius nihil dixit. Quænam igitur est natura perspicui? Multi crediderunt raritatem materiæ esse causam perspicui. Causa autem, cur ita dicerent; ea erat, quia uidebant perspicua esse raræ substantiæ; ut, aquam, aerem, ignem, cœlum; omnia autem hæc clara et lucida esse; ergo raræ substantiæ.

stantiæ. & per oppositum dicebant densitatem materiæ esse causam opaci; quia terra est obscura. Si obscura; ergo densa. Ideo putant omne densum causam esse opaci; rarum uerò causam perspicui. Quod tamen est falsum; quoniam multa sunt rara; quæ sunt, opaca, & obscura; qualis est fumus. Præterea multa sunt, densa, & crassa; quæ tamen habent perspicuum, & sunt transparentia; ut uitrum; ergo non potest esse uerum, quòd raritas sit causa perspicui; sed, quòd densum magis sit, quod faciat, & producat; perspicuitatem, uel diaphaneitatem. Quænam igitur erit uera huius causa? Dico; quòd causa, ut perspicuum sit; est puritas materiæ; non autem, raritas, aut densitas; sed puritas. Quare autem? Quia in omni misto sunt quatuor partes; quarũ una est depurata ab omni fæce, & hæc est clara. In alia uerò est de fæce; ideo dicitur obscura. & est, ut supra dicebam de humoribus; in quorum unoquoq; sunt diuersæ partes. Est enim quid fæculentum in unoquoq;; deinde est, quod dicitur purum in singulis. Pars igitur una dicetur fæculenta; quia habet de fæce; & ea est, quæ dicitur obscurum, uel opacum. Alia uerò pura; quia caret fæce; ideo appellatur, clara, & diaphana. Vnde id habet minus de opacitate; quod habet minus de fæce. Ea propter dicetur pars illa, pura, & transparens; sicut aquositas sanguinis, licet habeat quid de fæce. Sic etiam dicitur de pituita; quæ, quia habet plus de terreo, & fæce, ideo minùs est lucida. Cholera autem, quia habet minus de fæce; ideo magis perspicua. Vnde

de ſecundùm,magis, & minus; uariat perſpicuitas, et opacitas; ſecundùm proportionem fæculentiæ. Illud igitur erit,magis,uel minus, opacum quòd habet, magis,uel minus; de fæce. & ſic in hoc mundo eſt. nam uidetis, elementa quatuor habere proportionem cum quatuor humoribus; quia in his eſt aliquid de fæculento; quòd eſt,terreum,& obſcurum ualdè; & illud eſt terra; quæ eſt uelut fæx,& excrementum mundi opaca enim terra eſt; quia impuriſsima materia eſt. Poſtea eſt aqua;quæ eſt magis pura,quàm terra;quia habet minus fæcis; ergo & minus obſcuritatis.et ideo uidemus,quòd ea pars aquæ, quæ uergit magis ad profundum; eſt magis obſcura, quia eſt prope terram; quàm pars eminens, habet enim pars infima plus de terra. Poſtea eſt aer, qui eſt magis depuratus à fæce, quàm aqua; igitur magis diaphanus,quia eius materia purior. Poſtea eſt ignis,qui eſt alijs magis depuratus à fæce; ideo magis habet de diaphano,quàm alia elementa (loquimur enim de igne puro; quia apud nos non datur purus ignis)ergo,cùm alijs ſit magis purus; ideo etiam magis perſpicuus. Vnde tranſparent cuncta, quando fiunt coruſcationes. &, licet ignis uideatur habere colorem, ſcilicet luteum; tamen ex propria natura ignis non habet, quia ita fit à fumo miſto in ipſo. Videtur autem luteus in colore, non perſpicuus. Id autem eſt; quia commiſcetur perſpicuũ cum nigro, ſcilicet cũ fumo; ratione cuius miſcellæ in igne fit luteus color. Sed ignis propria ſua natura eſt clarus; & magis, quàm aer. Videmus enim ſydera clara

ſupra

ſupra ignem; ſi autem ignis non eſſet perſpicuus; uideri non poſſent. Prætereà cœlum eſt magis defæcatum,quàm elementa; ideo magis perſpicuũ,quàm elementa. Ideo autem omnium maxime eſt perſpicuum; quia magis depuratum. & e contrà, quod habet plus de terra,& de fæculento; id eſt magis opacum,et obſcurum. Vnde terra,quia in centro eſt; ideo eſt cauſa, opacitatis,& nigredinis. Sed elementum,quantò magis aſcendit uerſus cœlum; tantò magis habet de perſpicuo;quia magis recedit à fundo,& à fæcibus; Cauſa ergo perſpicuitatis eſt puritas materiæ. Sic dico per oppoſitum de ſuo oppoſito;ſcilicet,quòd opacitatis cauſa eſt impuritas materiæ. Cùm ergo,puritas,et impuritas;materiæ; faciant(ut uerè cauſæ)perſpicuitatem,& opacitatem; in materia; patet,quòd perſpicuum,cùm ſit factum,& conſtitutum ex puritate materiæ; Ideo erit ipſum materia. Ergo indigebit aliqua nobiliori forma ad hoc, ut illuminetur. Sed, quomodò erit hoc? licet enim colligatur, & condenſetur; ſed non à ſuo contrario, nec per ſe permanet. Quia licet ex ſe tranſpirabile ſit; non tamen eſt luminoſum;quæ tantum eſt; quantum materia, clara, & pura; cuiuſcunq; fæcis. Cùm igitur ſit tantum modò materia; non permanet ſine forma. Ideo certũ eſt, quòd indiget aliquo actu, & nobiliori forma; alioqui non fiet luminoſum. Item patet,quòd perſpicuum eſt tantũmodò,materia, & ſubiectũ; formæ nobilioris. Sicuti enim opacum eſt ſubiectum formæ etiam, ueluti terra, quæ eſt ſubiectum omnibus plantis; Sic clarum, & perſpicuum;

cuum; est subiectum nobilioris formæ, & luminis. Sed hoc perspicuum, quomodò acquirit talem formam? Si colligatur, & condensetur; puritas materiæ, & multiplicetur, & condensetur ita; ut materia, pura, uel perspicuum, euadat, illustrius, et luminosum. hoc enim modo erit causa, ut recipiatur lumen in eo. Vbi igitur perspicua in aeris superficie condensantur, & multiplicantur in se; propter huiusmodi condensationem, diaphani, & materiæ puræ; fit illustratio ex perspicuitate, & corpus luminosum; Per perspicuitatẽ igitur, & puritatem materiæ; à condensitate fit corpus luminosum. & hoc modo materia talis pura, defæcata ab omni fæce, & depurata; suscipit formam, quæ est lumen. Vnde etiam in cœlo corpora cœlestia, quæ sunt perspicua; cùm condensantur; fiunt luminosa corpora. & nihil aliud sunt, Sol, & Luna; quàm signa cœlestia, diaphana, & perspicua; condensata, & multiplicata in se, ex qua condensatione comparant sibi formam illam nobilem; ut non amplius dicantur clara pura; sed, illustrata, & luminosa. Vnde omnia luminosa sunt, & perspicua; sed non è contrà. Cùm igitur luminosum corpus hoc modo fiat per multiplicitatem perspicui; & ea sit forma, quæ omnia possit illustrare; hoc sic habito; quòd illa materia, pura, et perspicua; sit ea, qua perspicuum ipsum deducatur ad suam formam; uidelicet, quòd fiat luminosum; Perspicuum igitur erit materia. At perspicui densitudo, uel diaphani; est, ut forma, quæ forma, est ipsum diaphanum congregatum; cùm condensatum sit; ob id

fit

fit luminosum. Præsentia ergo corporis diaphani, ut materia, cùm cõdensatur; parit lumen in ipso diaphano. & tunc omnia lucẽt. Ex quo sequitur; quòd omne, quòd est maximè uisibile; id sit lumen. Quòd lumen est in causa, ut cætera uideantur. Cùm modò diaphanum tantùm, ut purum est, dicatur materia; &, ut ipsum congregatum tunc dicatur forma; & diaphanum luminosum, quia facit lumen actu; & in medio det formam actu; sequitur deinde aliud; scilicet, quòd hoc corpus diaphanum; ut est in corpore luminoso, & in suo perfecto esse; habeat quid de diminuto à suo contrario ita, ut perfectam non habeat transparẽtiam in profundo, sed tantũmodò in superficie, ueluti diaphanum in uitro terrestri. Habet enim minus de suo esse, ea propter colligitur in se ex ratione contrarij; à quo efficitur, lux, uel imago luminis, imperfecta. Ex his, sic dictis; habetis, tria esse corpora diaphana, sed diuersa. Vnum est medium; ut aer, & aqua; quòd est purum, non tamen collectum; neq; habet lumen formaliter, sed tantùm est in medio; aliud est, purum, & illustratum; quia in se ipso collectum, ideo perfectũ; quale est corpus, luminosum, & cœleste; aliud est, imperfectum, & minus purum, ut terra. Et, quod est horum perfectissimum, & actus, & perfectio; est causa, ut duo alia perficiantur diaphana. Quia diaphanum ipsum illustratum, quod superius est; illustrat, quod medium est, scilicet aerem, postea consequenter illuminat; & tertium, quod est infimum. & ita uidetis; quòd color nihil est aliud, quàm superficies diaphani,

 terminati

terminati ab opaco priuatiuè; quod diaphanũ per collectionem ſui in ſe ipſo redditur luminoſum à lumine, quòd eſt talis congregatio. Sic autem fit actus uidendi in oculo; cùm pupilla oculi, & diaphanum; ſint omnino ſimilia. Viſus autem obiectũm eſt, ipſa lux, et lumen Solis; quod tamen non uidetur à nobis; non, quia deſit; cùm ſit maximè uiſibile; At eſt, quia non poſſumus pati illud, quia eſt ab imbecillitate; ſicuti, cùm intellectus noſter minimè intelligit, quia intellectus ipſe humanus eſt debilis, ac minimè capax ſui obiecti, ſic uiſibilia non uidentur; quia uiſus noſter eſt debilis ſcilicet, & inſtrumentum, ut oculi; qui non correſpondent toti obiecto. Sed aquila, quæ habet oculos fortes, & reſiſtentes in lumine Solis; delectatur inſpectione radiorum Solarium, cùm ſit proprium obiectum uiſus. Quod nos minimè aſſequi poſſumus, quis enim Solem intueri poßit? nemo certè propter imbecillitatem ex parte noſtri. habetis, quod obiectum uiſus eſt lumẽ; et quòd debilis uiſio haud uidere poteſt. Sed eſt uiſio aliqua adeò imperfecta; ut, nè lumen quidem, quod nos uidemus; intueri poßit; qualis eſt uiſio ueſpertilionis. Dicimus ergo, quòd lumen eſt obiectum perfectum uiſus; ſed non uiſus humani; quia huius obiectum eſt color, qui eſt propria imago luminis; & proportionalis eſt oculo imbecilli humano. Aliud uerò lumẽ, quod intelligentiæ uident; ideo delectantur eo nobiliſsimo lumine, quia omnia uident, quæ uoluerint. Quare manifeſtum eſt; quòd ſit obiectum uiſus noſtri color; ſcilicet, qui eſt lux imperfecta. Vbi autem hæc uiſio fit perfectiſsima;

perfectißimà; tunc accedit lumen in medio, ſcilicet diaphanum illuſtratum. Poſtea ex, diaphano, & opaco; producitur certa qualitas in ſuperficie perſpicui, qui color appellatur. & ſic color erit ſuperficies diaphani, terminati priuatiuè ab opaco. & hoc eſt, quod dicit Alexander in ſecũdo de anima; qui meliùs dixit de materia huiuſmodi, quàm alij; non tamen ita apertè, et ita clarè, ut nos; Vt eſt uidere in ſecundo de anima, cap. de uiſu; & in quæſtione ſecunda primi libri ſuarum quæſtionum. Videatis igitur ipſum in locis dictis. Patet itaq; ; quænam ſit materia colorũ uera. Sed, quænam eſt forma ipſorum colorum? Multi (ut Alexander) putauerunt formam colorum eſſe lumen, quod lumen faciat ultimum actum coloris in diaphano; quia ponit in actu colorem ipſum. Ideo multi dicunt, colorem non eſſe actu, antequã illuſtretur diaphanum. Alius uerò ut Auempace (contra quem inuehitur Auer. in ſecundo de anima. 67.) dicit colorem in obſcuro non eſſe actu colorem; ſed, quòd lux eſt forma coloris, quia bene ſunt in potentia colores in obſcuro, qui per præſentiam lucis fiunt actu. Contra quem arguit inibi Auer. ubi oſtendit, quòd lux ſit neceſſaria pro medio, ſcilicet aere, non pro colore; &, quòd colores in obſcuro ſint actu colores. Dico ego, quòd omnes quoquomodo decipiuntur; &, quodam modo bene dixerunt. Qui enim negant, diaphanum, & colorem, eſſe actu, uidentur, partim uerum, partim falſum, dicere. Nam diaphanum antequàm illuſtretur à lumine, eſt diaphanum, quia habet ſuam eſ-

 ſentiam,

ſentiam,ſed non habet ultimum actũ, et eſt ueluti ſcriptor, qui,cùm ſcribit, habet ultimum actum. Cũ autem non ſcribit; tunc bene habet ſuam eſſentiam, quia etiam ſcriptor eſt, ſed eſt in potentia tantum. At in ruſtico non eſt ullo modo eſſentia ſcribendi, quia ſcribere neſcit. Sic igitur de colore dicendum,& de corpore diaphano. et,licet habeant eſſentiam ſuam, non tamen habent ſuam perfectionem, ſuumq; ultimum actum,niſi aliud adueniat. Vnde Auempace tenet,colorem non eſſe actu in obſcuro, non, quia color non habeat eſſentiam, ſed,quia non habet ultimum actum à luce. Quia color nihil aliud eſt,quàm admiſtio corporis lucidi cum corpore diaphano. Sic dicatur etiam de diaphano. Siue enim ſit luminoſum (ſcilicet habeat actu illuminationem) ſiue non ſit luminoſum, ſemper habet ſuam eſſentiam. Nihil ergo eſt aliud, forma coloris,uel actus eius primus, niſi, proportio, & menſura, corporis opaci cum corpore diaphano; Sicut temperatura nihil quicquàm eſt aliud, quàm proportio,cal.frig.hum.ſicci. Sic igitur dicimus de forma coloris, quòd eſt proportio diaphani cum opaco; & eſt ἐντελέχεια,& primus actus coloris; qui,cùm deducitur ad actum præſentia corporis luminoſi; tunc talis proportio corporis luminoſi cum corpore diaphano moto ad actum; dicitur eſſe actus ultimus. & ultima forma coloris. & ita Auerr. malè Auempacem intellexit. & cauſa huius diuerſitatis fuit in illo termino actu. Vnde uos concordabitis Auempacem cum Auerroe,malè interpretante Alexandrum. Qui,dum dixit

dixit, formam coloris eſſe lumen, ἐντελέχειαν, & actum coloris; intelligebat de perfectione, & ultimo actu. Et hoc eſt uerum ex natura rei. Præterea licet Auerr. arguat Auempacem ſuo modo; malè tamen ipſum arguit; quoniam Auemp.optime ſentit de coloribus; &,quo ad materiam; & quo ad formam. Forma igitur coloris nihil aliud eſt, quàm proportio, & menſura; diaphani cum opaco, & hoc intelligitur de primo actu tantùm, ut dicit Auemp. Vltimus uerò actus eſt ipſum lumen. Et hoc modo intellexit Alexander; quia loquitur de ultimo actu. Auemp. uerò; de prima forma,& de primo actu. Et hæc dicta ſint de cauſa formali. Sed,quænam eſt cauſa finalis colorum? Ea profectò eſt,quæ facit,nos cognoſcere differentias rerum,procul diſcernendas; quæ ſunt in colore; quod non faciunt aliæ diſpoſitiones. Quænam modò eſt cauſa agens? Dico, quòd cauſa agẽs eſt illa,quæ eſt cauſa omnium miſtionum; &, quæ etiam in nobis eſt; Videlicet calor naturalis; qui permiſcẽs clarum cum opaco (ſicuti, cùm miſcet frigidum cum calido,humido,&c.in proportione) ſic hic permiſcet opacum cum corpore diaphano,et facit colorem eſſe. Qui calor,uario modo agẽdo,eſt in cauſa diuerſarum miſtionum in materia; ad quam etiam ſequuntur uarij colores ex materia,uaria; ex pura ſcilicet,& impura. Hactenus ſunt manifeſtæ omnes cauſæ colorũ. Deueniamus modò ad alia. Cùm pateat, quòd ſit color,et quid ſit; etiam dicamus de differentijs ipſorum colorum. Notate autem; quòd tantùm declarabo differentias

ferentias colorum ueras secundùm rectam definitionem Arist. Non autem dicam differentias, quæ dicuntur gradus; nam ceruleus color habet multos gradus. Sed ueri colores, & distincti per speciem; sunt solummodò septem secundùm opinionem quorundã, qui ponunt colorem φαιὸς, scilicet cineritium; sub colore nigro. Alij ueró ponunt ὠχρὸν, scilicet uiride, sub luteo. & sic erunt tantùm septem secundùm istos; ut uidebimus. Alij ueró ponunt, quòd sint tãtùm nouem. Nonnulli dicunt esse. 8. Cuius diuersitatis causa; est, quia, alij distinguũt magis hos colores, alij minùs. Primus autem horum colorum est albus; qui quidem est, uerus, simplex, & purus. Cuius contrarium (ut habetur decimo met.) est color niger, & contrariantur sicut priuatio contrariatur habitui. In medio autem horum extremorum sunt alij, siue sint sex, siue quinq;. Sed, quonam modò distinguuntur; &, quæ nam causa? Dico, quòd hæc non sunt ita sensata, nec ita clara, ut est de saporibus, qui sunt ab immediata causa, calido, frigido, humido, sicco. Sed tantùm dicam de his per methodum. Dico igitur, quòd color albus est talis; quia superficies albi est; ut habeat in se plurimum de diaphano; parum autem de opaco, aut obscuro, quæ superficies diaphani ualde illustratur à lumine. Et sic generatur color albus. & ea de causa color albus est maximè uisibilis; quia lumen est maximè uisibile. Qua propter, quantò magis corpora sunt alba; tantò erũt magis luminosa; quia diaphanum in superficie sua habet plus luminis, quod in superficie tali recipitur.

Notate

Notate autem; quòd ego intelligo de lumine extrinseco; ut, si assumatis frustum ceruſſæ, uidebitis, quòd est colorata in medio in potentia. Quæ tamen, si scindatur; quæ erat in potentia, fiet actu. Sic igitur talis superficies fit actu colorata. hæc ergo est causa coloris albi; quòd plurimum luminis recipitur in superficie albi diaphani. Sic igitur lumen erit causa albedinis. Causa ueró contraria, est causa sui, contrarij, & oppositi. Quia, ubi aderit plurimum de opaco, & minimum de lucido, & claro; tunc generatur color niger. Quia lumen non iuuat; quia nõ adest in superficie diaphani. Vnde diaphanum remanet impurum. Vnde, quæ habent plurimum de terra, & humidum, terreum, fæculentum, & turbidum; sunt nigra, et obscura. Sic è contrariò; quæ habent humidum clarum, & lucidum, lustre, lympidum; ut patet in aere; sunt talia uerè alba. Iam igitur habetis quidem causas, tam albedinis, quàm nigredinis; qui sunt duo colores extremi aliorum. opacum autem est causa, ut fiat nigredo; quæ ponitur pro priuatione habitus. lumen ueró; et clarum; est causa albedinis, quæ ponitur pro habitu respectu priuationis. Habitis extremis, quæ sunt huius naturæ, ut diximus; sunt modò quidam colores medij, qui componuntur ex extremis secundùm uariam miscellam illorum. Quorũ primus est φαιὸς, idest cineritius; qui fit ex nigro, & albo; simul commistis; sicuti, quando fit unus gradus in temperatura per, calidum, humidum, frigidum, & siccum.

Et ideo; non tantùm uidemus in corporibus cœlestibus, & in igne, et aere, et aqua; immo, si quandoq; depurẽtur corpora hæc mista; quemadmodùm fit per alchymiam abstergentibus extrahendo, quod est terreum, quale est calchantum; semper reddentur, pura, et clara; illa corpora, quæ erant, densa, et nigra, uel obscura. Mista igitur obscura, non aliter distant à seipsis, quando depurata sunt, nisi in hoc, quòd reddita sunt perspicua; quia remota est pars, fæcalis, et densa; in eis per abstergentia. Cùm igitur tollitur pars terrea; semper fit perspicuitas in eis, quia perspicuum corpus est effectus quidam materiæ depuratæ. Quod quidem cognouisse uidebatur Zeno philosophus, stoicorum princeps, quemadmodùm Gal. in lib. de hist. philo. cap. de coloribus, scribit. Dicit enim, quòd color non est aliud, quàm habitus depuratæ materiæ. Ante aũt Arist. nemo fuit, qui de coloribus boni quid dixerit. Immo et ipse philosophus fuit obscurus, et magis quàm opus erat, tamen bene expressit, essentiam colorum, et suas differentias. Habuistis igitur, quid sit perspicuitas; uidelicet, quòd est habitus materiæ depuratæ. Sic enim definitur, uel circunscribitur. Prætereà habuistis, quid sit lux, ratione cuius fit color. Sine ipsa nunquàm fieret color. Prætereà dixi, quale esset corpus luminosum; quod luminosum fit ex ipso perspicuo, dum in se ipso colligitur. Non enim potest magis fieri perspicuum; quàm, quando in se ipso colligitur. Vt corpus album; dum in se magis aduritur, tum fit magis album seipso; ut patet de niue, obruente

ruente terram silente luna. Tunc, enim patet cuncta ferè uideri. & hoc fit à collectione corporis, perspicui, uel albi; quæ est ipsa nix, quia est congregata simul tota in seipsa. Patet igitur, quo modo à corpore, albo, & congregato; fit plurimum de lumine. et hinc potestis scire, quo modò, si corpus diaphanũ in se magis condensetur; per ipsum fit corpus illustratum; deinde, adueniente ipso lumine; redditur, diaphanum, illustratum, luminosum; & sic fit color mediante lumine. Hæc uolui pauca repetere; quia scio, quæ diximus non bene ab omnibus intelligi, maximè à Iunioribus; Sunt enim difficillima. & ratio est; quia in nullo loco reperiuntur facilia; & omnes, qui de coloribus locuti sunt; fuerunt ualdè obscuri, obscureq; egerunt de hac materia colorum. Ex his, quæ diximus; quid modo sequitur? Primò apparet definitio exactißima coloris in determinatione accepta; quæ dat, notitiam, et esse, & propter quid; colorum. Vnde omnes causæ colorum per hanc definitionem manifestantur. Ex his igitur, nuper dictis; habetis, colorẽ nihil esse aliud; quàm proportionem diaphani terminati cum opaco, in superficie corporis naturalis, deducibilis ad actum per illustrationem corporis, luminosi, siue illustrati à calore naturali, & uirtute formatiua per mißionem producta, ad rerum differentias, uel corporis procul discernendas. Si modò consideretis hanc definitionem; inuenietis, quòd in ea est forma; quemadmodùm in definitione accidentium fieri debet, ut docet Arist. in 7. met. ubi dicit, quòd in definitione accidentium forma ponitur

ponitur loco generis. Subiectum uerò est pro differentia positum. Cùm autem color sit quoddam accidens; definit per suum subiectum formale. Per illud enim uerbum (proportio) accipitur genus. Diaphanum est materia; tantùm distinguens hanc proportionem ab alia. Dixi iam superiùs; quomodò fiat hæc proportio. Deinde includitur in hac definitione subiectum; & est color in superficie corporis naturalis. Describitur etiam per hoc locus, in quo fit ipse color naturalis corporis. Dicitur (naturalis) quia sunt quædam corpora simplicia, quæ non habent colorem uerum. Nullum enim corpus naturale est, quòd sit mistum; quin habeat uerum colorem, qui color est obiectum uisus. Nam primùm accipiatis tria corpora; quæ sunt, lucida, & transparentia. lucida quidem sunt corpora cœlestia. Ideo, cùm per se lucida sint; nõ habent colorem ullum; ut, cœlum, ignis, aer, & aqua. Sed quid melius? Nec terra, quia est opaca; ullũ habet colorẽ, immo priuata est omni colore. Vnde corpus, quod habet colorem uerum; est mistum naturale, & in superficie tantum; ut dictum est. Et, quamuis philosophus non dixerit mistum; tamen ita intelligitur. Cùm quidem dicit (naturale) dicit ad differentiam naturalis simplicis. Deinde cùm dicit (deducibilis ad actum per corpus illustrans luminosum) per hæc uerba describitur secundus actus. Quia; dum proportio hæc illustratur à præsentia luminis per calorem naturalem, per mistionem producti ad, corporis, uel rerum; differentias procul discernendas; per hæc patet causa,

causa, finalis, & agens; ratione cuius color ipse fit; ut, rerum, uel corporis; differentiæ discernantur. Scitis enim per colorem animalia à longè cognosci magis; quàm, si nullum haberent colorem. Quare habetis iam omnes causas, in definitione coloris positas; et apparent omnes causæ, paßionum, & affectuũ ipsorum; coloribus contingentium. Vera enim definitio debet ita fieri; quoniam ex uera definitione habita apparẽt omnes affectus, omnes paßiones; & illa fiet medium in demonstratione. His sic declaratis; iam manifestum est, quantùm deceant, & instruant nos; definitiones, datæ per Arist. de coloribus. Primùm enim definiuit. Ipse colorem, in secundo de anima. 67; dicens; quòd omnis color mouens est eius, quod secundùm actum diaphanum. In hac definitione Arist. nihil aliud ponit; quàm actum secundũ coloris, qui est ultimus actus, & uera perfectio; diaphani existentis. Definit igitur ibi colorem philosophus in actu secundo; ut scilicet color est actu. Nihil igitur aliud dicit; nisi, colorẽ esse motum, id est alterationem, diaphani. color enim alterat ipsum medium, uidelicet aerem; sed non merè naturaliter. Vnde ex hac definitione potiùs circunscribitur ipse color, quàm definitur; quia nihil probat de colore, nisi prout est actus secundus. Est quidem hæc definitio data à philosopho, sed imperfectè; quoniam prætermittit alia, quæ dicenda erant de colore ipso. Quando uerò in lib. de, sens. & sens. dixit; colorẽ esse terminum corporis diaphani, quatenus perspicuũ est; ibi philosophus circunscribit locum generationis coloris,

loris, & materiam eius. Quoniam, cùm dicit terminum; circunscribit locum, in superficie, non intus; quia tantummodò extra corpus fit color. Quando uerò dicit corporis diaphani; tunc intelligit materiam, quia diaphanum est materia colorum. In hac igitur secunda definitione; tantùm apparet, locus, & materia; colorum; ergo & in ista fuit diminutus Aristo. & imperfectus. Quando uero in eodemmet lib. de sens. & sens. philosophus etiam loquitur de motu; & inquit, colorem nihil aliud esse; quàm mistionem corporis, lucidi, & luminosi, cum opaco; terminati; In hac tertia definitione circunscribit ipsam formam primùm; dum dicit colorem esse mistionem. Quia color, prout est forma, est proportio quædam diaphani, misti cum opaco. Philosophus igitur primùm circunscribit formam coloris; licet obscurè talia proferat. Postea circunscripsit materiam, propriè, & per se; dum dixit. (Cum corpore luminoso terminato.) Materia enim propria coloris est diaphanum ipsum; licet etiam sit opacum materia coloris; quoniam ex, opaco, & diaphano; color constat, & fit. Tamen opacum propriè non est materia, quia (ut uidistis) opacum ob id potest dici materia coloris, quia priuatiuè terminatur perspicuum ab opaco. Perspicuum igitur habet tantùm dici materia, uera, et propria, coloris. Ponit igitur philosophus in prima definitione colorem per circunscriptionem; dum in secundo de anima. 67; profert, quòd omnis color mouens est eius. Per quam definitionem apparet solus actus secundus. Deinde posuit, locum,

locum, & materiam. Deinde, formam, & etiam materiam. & sic iam habetis actum secundum; scilicet ἐντελέχειαν, & perfectionem; coloris. habetis, et locum, & materiam, & formam; per has tres definitiones sparsim positas; quarum unaquaq; per se, imperfecta, & mutila; est, ut uidere potestis. At, si modò nos colligamus has tres definitiones insimul; illæ omnes erunt tantùm definitio, quã nos tradimus. Ex his enim habetis totam essentiam, integramq; naturam; colorum; quam nos in nostra definitione tradimus. & sic manifestum est; colores esse; &, quid sint; &, cur geniti à natura. Reliquum est modò, ut uideamus quartum quæsitum; uidelicet, qui nam sint affectus; &, quænam paßiones; &, quæ differentiæ; colorum. Ad hæc enim est respondendum. Iam habuistis tria quæsita; & hoc est quartum tractandum. De differẽtijs colorum agendum est. Quæ nam igitur sunt differentiæ colorum? Audiuistis superiùs, quemadmodùm aliqui ponebant septem esse, species, uel differentias; colorum, alij 8, alij 9. Horum uirorum dißidium nascitur magis ex quadam imaginatione, quam ex re ipsa; quia aliqui ipsorum distingunt magis colores, quàm cæteri. Veri enim colores sunt tantùm septem; quemadmodùm ponit Aristot. in lib. de sen. & sens. quos colores dicit esse æquales numero saporibus. Nos igitur in discursu nostro tãtùm ostendimus, qui nam sint ueri colores. & in primis sunt duo extremi colores; quorum unus se habet; ut forma, habitus, et fundamentum; aliorum. Alter; ut priuatio, & ille est niger. Vt ergo, ueram,

ram, & integram; colorum essentiam; habeatis oportet procedere per methodum. Si igitur color non est aliud, quàm proportio diaphani cum opaco; illustrati ab ipso lumine, scilicet per actum secundum; Certum est; quòd, quantò magis diaphanum corpus in se fuerit collectum; tantò minus habebit de opaco, sed plus de diaphano ipso. In eo diaphano erit color albus; qui color albus est ille, qui habet ueram essentiam colorum. & ratio formalis colorum existit in ipso albo. &, ubi erit parum de diaphano, & multum de opaco; ille color erit niger; qui color est positus pro priuatione (ut testatur Arist. decimo met.) sicut & albus est, ut habitus. Color igitur, uerus, essentialis, & formalis; est ipsùm album. Nigrum uerò opponitur ei; sed priuatiuè, quoniam nigrum cõsistit in plurimo opaco. Ab essentia ergo, & à natura, rei habetis, & cognoscitis; colores, & ex definitione sua deuenitis in cognitionem omnium passionum, & affectiuum colorum. Sunt ergo duo colores extremi; unus formalis color, & est albedo; Alter nigredo, & ponitur priuatiuè; ex quibus duobus cæteri alij componuntur secundùm uariam proportionem ipsorum extremorum. Quoniam autem nos profitemur Scholam ueræ philosophiæ; in medium afferemus tantùm differentias ueras colorum per essentiam ab his duobus extremis genitas per mistionem, & proportionem ueram ipsorum. Qui autem dicuntur colores secundùm apparentiam; eos præteribimus. Secundùm ergo uariam proportionem extremorum; fiunt uarij colores medij. Primùm

mùm autem loquamur de his, qui uerguut uersus album; Quorum primus apud Græcos uocatur. Φαιὸς; & alio uocabulo dicitur, cineritius, uel liuidus; & apud uulgares uocatur color, bigius, seu beretinus. Huiusmodi modò color fit ex permistione albi cum nigro; sed albũ superat ipsum nigrum ita; ut sit album in nigro, quia album uictor est. Ex hac ergo miscella fit, Φαιὸς liuidus, & cineritius; quemadmodùm uidere est in ceruſſa; permista cum pauco; nigro, uel opaco, aut pauco atramento. Erit ergo mistio ex albo, secundùm magis; & nigro secundùm minus. Si uerò ponatur plus de nigro, aut magis de atramento; fiet unus color, qui appellatur χαροπὸς. & uergit etiam iste ad album; & est, ut color in cornu laternæ. sed à Græcis dicitur χαροπὸς; & ab elegantibus dicitur album in nigro. Huiusmodi igitur colores distãt inter se per, magis, & minus. De his autem differentijs minimè dicere debemus; quia essem maximè prolixus. Verùm ego dicam tantùm differentias essentiales ipsorũ. Color ergo cineritius; est color, qui uergit ad album; quia habet in se plurimum de albo, cum pauco de nigro. & hic habet etiam sub se suas species. Secundus color est ceruleus, & hic uergit ad nigrum. &, sicut ille primus uergit ad album; pariter hic per oppositum uergit ad nigrum. Quia habet plurimum de nigro in pauco albo; & à uulgo nuncupatur azurrus. Se habet igitur hic ad nigrum; sicut ad album cineritius. Componitur autem (ut dixi) ceruleus ex plurimo nigro, cum pauco albo. & ab elegantioribus uocatur niger in albo;

in albo; quia nigredo superat albedinem in isto; uti et cineritius, qui habet album in nigro; diceb atur album in nigro. Est autem hic ceruleus color; ut, si accipiatis ceruſſam, in qua ponatis plurimum de atramento; tunc ſic iſte ceruleus color, qui habet etiam ſuas differentias; ſecundùm, quòd magis, aut minùs; permiſcebitur de atramẽto in ea. Hucusq; habetis quatuor colores diſtinctos ueros, cum ſuis ſpeciebus; quos modo declaraui. Primi duo; ſunt albedo, et nigredo. Poſtea duo alij medij; quorum unus uergit ad album, et eſt cineritius, alter ad nigrum, et eſt ceruleus. Poſtea procedendo uerſus album, poſt cineritium colorem, ſequitur alius color, qui dicitur pallidus. ſed de hoc non dicamus; quia eſt potius differentia coloris lutei. Potiùs itaq; loquamur de luteo. Sequitur enim luteus poſt cineritium; qui habet magis de albo in ſe, quàm de nigro. Sed non, tantum habet de albo, quantum ciueritius; ideo in hoc diſtant, quia luteus habet plus de illuſtratione. Eſt enim, rarior et liuidior, color luteus, quàm cineritius; propter maiorem poſtitionem lucis. Cuius ſignum eſt; quia, ſi ſumatur luteus color, et ponatur lux in eo; tunc uidebitur cineritius, et ſtatim declinabit ad beretinum. et omnino immutabitur à luteo. et, licet ex parte eſſentiæ colorum ſint multæ differentiæ, quia et luteus habet ſuos gradus, non tamen hæ differentiæ ſunt nobis ualdè notæ, ſicut nec ſæpiſſimè primarum qualitatum differentiæ in miſto. Vnde dicit Gal. ſi non poſſumus cognoſcere maximam caliditatem, uel ſi igiditatem, etc. quæ

ſunt

ſunt qualitates primæ, et ſub ſenſum cadunt; quomodò cognoſcentur colores maximè diaphani cum opaco, quæ miſtio eſt ualdè ſpiritualis, et non parum remota à ſenſu noſtro? Veruntamen dicimus; quòd ex quadam proportione, albi, & nigri; producitur talis color luteus; qui et ipſe ſub ſe habet plurimos gradus ſecundùm uariam miſtionem per, magis, et minus; extremorum. Poſtea, ſi adhuc magis commiſceamus de nigro cum albo, ex hac miſtione generatur alius color, qui dicitur rubeus. Sed multi, aliter ſentientes (& fortaſsis bene) dicunt, quòd primum fit luteus; poſtea ex hoc, luteo, & albo, commiſtis; fit rubeus color. Quòd ita ſit (inquiunt) accipias luteum, & eum tingas, & ſic uidebis, quòd fiet rubeus. Quia color naturalis; in primis eſt pallidus; deinceps fit luteus; poſtea ex luteo uergit ad rubeum; poſtea ex iſto oritur purpureus; poſtea color, qui dicitur æruginoſus. Sed teneatis uos; quòd ex luteo, miſto cum nigro, fiat rubeus; poſtea ex rubeo, cum nigro; adhuc fiat color purpureus, qui dicitur pauonazzo; qui eſt etiam color uiolarum ſecundùm uulgus, uelut eſt flos iridis; et magis eſt proprius iridi, quàm uiolis. Poſtea ex purpureo ipſo, cum aliquo nigri addito; producitur ferrugineus color, dictus uulgò il color tanè; & eſt color æruginis ferri. Fit ergo ferrugineus à purpureo, cum aliquo pauco nigro admiſto; quemadmodum tinctores ſeruant, quãdo uolunt tingere pãnos. Primũ.n. faciunt colorem rubeum; poſtea tingũt in purpureo, poſtea faciunt colorem hunc ferrugineum, poſtea fit

Ff cæruleus

cæruleus ultimò fit niger. & ita hoc modo procedimus ab albo ad nigrum; sicuti etiam per, rationem, et processum; tendimus à nigro ad album. Quòd autem ita sit; uidetis etiam, circa, ortum, & occasum Solis, huiusmodi colores seriatim apparere. & primùm in occasu Solis (dum modò, nec nubes, nec ullum aliud impedimentum; prohibeat uisum nostrum) primùm albescere Regionem illam. Postea, dum magis declinat Sol; illa albedo immutatur in colorem cineritiũ. Tertiò fit luteus ex cineritio. Deinde ex luteo fit rubeus; ex rubeo fit purpureus, deinde ferrugineus. Postea cæruleus. Vltimò apparet color niger. Secundò fit color cæruleus. Tertiò ferrugineus. Ex hoc generatur purpureus. post purpureum fit rubedo; à rubedine oritur luteus. Ex luteo sequitur, cineritius, & pallidus. Vltimò, ante quàm Sol appareat; uidetur albugo illa. Sic igitur cognoscuntur colorum differentiæ ex his duobus ordinibus; scilicet, tam ex occasu, quàm ex ortu Solis; modò nullum adsit impedimentum, aut nubes. Patent igitur colorum differentiæ cum suis causis; quæ ex uaria miscella, diaphani cum opaco, uel albi cum nigro; apparent. & pictores optimè isthæc experiuntur. Et hæc sufficiant quò ad colorum differentias. His sic habitis; ad alia modò est deueniendum.

LECTIO. XXXVI.

VIDENDI *enim sunt, affectus, & paßiones; colorum; & in primis uidendum, cur album, uel lux; disgreget*

disgreget uisum. Causa igitur huius patet ab essentia coloris. Semper enim causæ rectè à definitione coloris indicantur, quæq; sint illæ. si color albus est ille; qui cum, plurimo albo, & pauco nigro; constat in diaphano ipso; dixi nuper, quòd lux per se est maximè uisibilis, sed non potest uideri à nobis; &, quòd qualis est proportio albedinis ad nigredinem; talis quippe est coloris albi ad ipsam lucem. Causa itaq;, cur color albus destruat uisum, est; quia color albus est quoddam medium inter, nigrum, & lucem. Nam habet plurimum de luce in se collectum; ideo ratione lucis disgregat uisum nostrum, quæ est plurima in eo. Vnde album redditur obiectum ualdè potens nostris oculis; respectu cuius uirtus uisiua ex imbecillitate sua destruitur per disgregationem. E diuerso autem est color niger, qui est contrarius albo. Per oppositum tamen, & causam contrariam; facit eundem effectum. Quia enim color niger longè plus habet de opaco, quàm de luce; & plus, quàm cõueniat ad nostrum uisum; Ideo, colligendo, & suffocando; spiritus uisibiles destruit uisum. Sicuti albedo per disgregationẽ, & dilatando; tollit, nè quis cernere poßit. Vnde, cùm hæc duo extrema non poßint uideri; immo destruant uisum diuersimodè; unum; disgregando, & dilatando; alterum, cõprimendo, et suffocando ipsum; hæ inquàm causæ dicuntur, quare extremi colores destruant uisum. Sed medij colores habent conseruare uisum. & eò magis, quò magis erunt medij. non enim medij, disgregant, & dilatant; neq;, congregant, & suffocant;

ſpiritus uiſtuos, nec nimis reſoluunt ipſos. Manifeſtè igitur patet cauſa huius paßionis. Præterea quæritur; quia in ſuperioribus dixi, colores non manifeſtare ullam temperaturam; minimeq; ab ea dependere, ſtue ſit calida, ſtue frigida, &c. ſed; quòd tantùm dicunt proportionem diaphani cum opaco, modò uno dominante, modò alio; tamen uidetur oppoſitũ. Nonne enim in medicina dicimus, quòd color cutis, niger, uel luteus, indicat dominium caliditatis; ſicuti color albus dicit dominium frigiditatis, uel lucidus? Ergo uidetur, quòd color ſequatur temperaturam, calidam, frigidam, &c. eamq; indicet. Tamen dixi oppoſitum; ſcilicet, quòd non, quia non eſt ex primis qualitatibus. Notate autem. Verum eſt; quòd color in cute ſignificat caliditatem, ſi fuerit niger; non tamen hoc manifeſtat per ſe, ſed per accidens. Vt color quidem niger in cuti indicat caliditatem; quia eſt facta aduſtio humorum, quæ facta eſt in corpore; & facit nigredinem ibi; nigredo autem apparet, non alius color; quia in aduſtione eſt plurimum de opaco. Per accidẽs igitur ſignificat caliditatem. Non enim eſt illa nigredo de ſe talis, quòd de ſe magis denotet in cute caliditatẽ, quàm frigiditatem; Sed eſt talis nigredo, quia à nimia caliditate aduruntur humores in ipſa cute. quapropter redduntur terrei. At, cùm fiunt terrei; in eis generatur plurimum de opaco. ob id cutis redditur nigra. & ita per accidens nigredo in cuti indicat caliditatem, mediante ſcilicet aduſtione; quia aduſtio eſt, quæ deinde efficit nigredinem. A caliditate enim primùm

mùm facta eſt aduſtio; deinde ab aduſtione color niger. Denotant igitur colores in cute priùs qualitates temperaturæ; ſed per accidens; nigredo enim per accidens manu ducit nos in cognitionem humoris melancholici aduſti, à quo ſequitur talis nigredo. Sic apparet color luteus, ubi fuerit bilis dominiũ in corpore quæ eſt flaua; ideo habet huiuſmodi colorem parere. Eodem modo, ubi extiterit color albus in cute; ille ſignificat in eo corpore adeſſe dominium pituitæ. Non autem albedo ſimpliciter dicit frigiditatem. Sed, quia pituita eſt frigida de ſe (cùm ſit cibus inconcoctus, & non perfectus à calore; nam ob frigiditatem eſt rebellis ei) Ideo remanet albus ille humor propter frigiditatem, & ſic inficit cutim. Patet ergo, quòd color in cute non indicat qualitates primas per ſe, ſed per accidens. Indicat autem humores per ſe; per quorum notitiam deinde habetis, quòd talis ſit qualitas dominans in eo. Præterea etiam aliud quæritur dubium, quod declaremus. Illud autem eſt; quia Gal. in ſecundo de facul. nat. cap. 10. ubi dicit; quòd non poteſt ex albo fieri nigrum; niſi priùs tranſeat per media, hoc eſt per medios colores. Sed contrà; Videtur illud dictum falſum. Quoniam, ſi ponatur ceruſſa cum plurimo atramento ſimul; Tunc ex illo pauco albo, & multo nigro; fiet nigrum absq; eo, quòd albedo tranſeat per media ad nigrum. Præterea; nonne uidetis in coloribus, urinæ, & humorum; contrariũ ei, quod dicit Gal. Quoniam ſæpe ex luteo fit tranſitus ad nigrum; Non tamen tunc fit tranſitus per medios colores.

lores. Sed modo hic, modo ibi fit talis, aut talis color? Pro quo aduertatis; quòd Gal. ibi loquitur de motibus naturalibus, qui à natura fiunt, & habentur; & inquit; naturam in suis actionibus, & mutationibus, non facere saltum de uno ad aliud; nisi per media. Non enim ex igne facit statim natura aquã; sed prius procedit ordinatè per multa media. Sic igitur dicendum de coloribus. Vnde, si aspiciamus ortum Solis; cernemus colores naturaliter se sequi; & eo modo, quo supra diximus. In ortu nanq; primùm fit niger; deinde cæruleus, & c. usq; ad albedinem. Sed in occasu primùm fit albedo, deinde cineritius color, ultimò fit nigredo. & hoc potest uideri (modò absint impedimenta) à nostro uisu. Semper enim procedit natura ab uno extremo ad aliud per sua media. At, quando procedit natura, coacta, & cum uiolentia; tũc naturæ est necessarium, ut procedat ab uno extremo ad alterum per media, sed sine mediis. & consequenter per hæc dicta habetis omnes affectus colorum; si quidem aliud addidero, per quod soluetur quoddam problema Aristotelis in.x.part.prob.(& est probl.67.) Vbi quærit, cur æthiopum dentes quidem albi sint; & albiores, quàm aliorum; ungues non item. At ungues quidem; quia est cutis nigra, & nigrior, quàm aliorum. Soluit philosophus. Quia propter absentiã humidi dentes fiunt albi; per oppositum uerò fit cutis nigra. Debetis enim scire, quòd, ubi in opaco aderit plurimum de diaphano; ibi etiam plurimum de albo. Vbi autem plurimum de opaco; ibi etiam multũ de nigro, &

& semper uerũ est hoc. Cùm ergo corpus humidum fuerit sub Sole, si Sol egerit in ipsum; trahet Sol illud humidum ad cutim; Quod humidum fit, turbidũ, crassum, terreum, & nigrum. Quòd, cùm ad cutim peruenerit; cutis tunc inficitur, & fit nigra; quia offunditur tali humido turbulento. Dentes autem albescunt; quia depuratur humidum omne ab illo, & resoluitur; & ita remanent albi. Vbi uerò Sol tantùm attrahit, & non resoluit; tunc efficitur color niger in cuti. Vnde homines, qui manent sub Sole; nigrescunt; quia à calore attrahitur humidum ad superficiem corporis, & aduritur. Qua adustione fit ipsa nigredo; quoniam per eam adustionem redditus est ille humor, turbidus, impurus. Non enim depuratur, nec dissoluitur à calore. Nam, si dissolueretur humidum, attractum ad cutis superficiem; non maneret uita hominis. At, in quibus potest, dissolui, & depurari; humidum à calore; tunc ex nigro fit albus color; uti de cera; quæ, si ponatur sub Sole; fit alba (quemadmodùm Venetijs faciunt) quia depuratur humiditas à calore Solis. At, si humanum corpus Soli exponatur, cùm huiusmodi humidum non queat dissolui à Sole, sed tantummodo trahatur ad cutim; tale humidum aduritur ibi; & fit, turbulentum, & fæculentum, crassumuè. & consequenter cutis inficitur nigredine ab illo humore adusto. Ideo (secundùm iam dicta in principio) in humido opaco, non in perspicuo; erit color niger. At, si sit materia pura (ut diximus) tũc fit color albus ex, perspicua materia, et pura; uel plurimo diaphano. Quare definitio,

re definitio, tradita superiùs de coloribus; est, quæ faciet uos omnia cognoscere clarissimè. Præterea ex his dictis potestis uidere, quantùm rationes Auic. ualeant. Quæ quidem parum concludunt; cùm non rectè senserit de colorum essentia, quoniam eam non cognouit.

LECTIO. XXXVII.

ZINARIA cholera æruginosa fit candidior, & alba, *hoc est uerum; sed non efficitur ex prasina. & dico, quòd non est necessarium ad hoc, ut res fiat alba; ut etiam fiat siccior; quoniam, quod potest fieri siccius; tamen fit nigrius.* Nonne enim *ex æruginosa fit nigra cholera? Certè sic (ut patet) non ergo uerum est; quòd propter siccitatem fiat alba, sed nigra. Sed, cùm fit candidior res; tunc id accidit, quia resoluuntur humidæ partes in superficie, nec ibi remanent; non autem propter siccitatem. Et ita nõ uidetur Auic. sequi opiniones antiquorum de affectibus colorum. Quòd quidem fuit; aut quia non habuit eorum cognitionem; aut, quia carebat methodo. Sed credo ego (quoniam Auicen. fuit magnus dialecticus) Ipsum quidem habuisse bonam methodum; sed ignorasse colorum essentiam. Cætera autem sunt plana; quæ uos uidebitis.*

Choleræ autem nigræ; alia est naturalis, alia non naturalis superfluitas. *Habuimus hactenus circa materiam de humoribus tres humores, specie distinctos. et Auicennæ progrediendi ordo circa eos, et etiam noster; fuit, quemadmodùm uidistis. Primùm enim egimus de sanguine, Secundò de pituita, Tertiò de flaua bile; Quartò igitur in præsenti de succo melancholico agendum est. Quia ergo de tribus primis hucusq; peregimus; Ideo nunc de reliquo, et ultimo agendum est humore. Agendum igitur nempe est de melancholia. Sed, quia (ut et in alijs fecimus) Auic. admodùm confusè progreditur de humore hoc, ac nonnulla dicit, quæ non sunt de mente antiquorum; Ideo nos proponemus rectum tractatum per methodum, et per ueram rationem, de succo melancholico. Ex quibus dictis postea apparebit, quæ nam sit ueritas dictorum Auic. Primò igitur facit diuisionẽ Auic. et dicit sic diuidens.* Choleræ nigræ, quædam est naturalis, quædam non naturalis est. Sed naturalis, quænam est? *Notate modò, qua arte id sit habendum. Hæc cholera naturalis à Gal. proprie succus melãcholicus appellatur, et est pars fæculenta, siue fæx, et sedimentum; sanguinis, quod Græci hypostasim uocant. Non naturalis dicitur ab eodẽ Gal. atra bilis. et, licet hæc nomina quandoq; confundantur, tamen, quando propriè loqui uolumus, ita sunt distinguenda. Sicut igitur succus melancholicus semper est, fæx, et sedimentũ, sanguinis, ita bilis atra semper fit per adustionem alicuius humoris. et ob id maximè distinguitur melãcholia naturalis à nõ naturali. Succus igitur melãcholicus, seu melãcholia naturalis (Ita. n. appellatur quia intẽditur à natura) illa est quæ assequitur finem intentũ ab ipsa natura. Quoniam in unaquaq;*

unaquaq; actione naturali semper est finis, ratione cu ius omnia fiunt. Naturalis ergo est, quæ assequitur finem intentum. Quoties igitur cholera nigra assequitur talem finem, erit succus melancholicus naturalis. Assequetur autem finem naturæ, si habuerit causas naturales, quæ diriguntur ad finem intentum. Neq; enim deficiunt, neq; redundant, quamuis hi, excessus, et defectus, sint in aliqua latitudine, intra quam consistit gradus melancholiæ naturalis. Indaganda est ergo bilis nigra, quãdo sit naturalis; scilicet per suas causas naturales; quæ sunt; agens, seu efficiens, finis; materia; quas postea sequitur forma. De agente igitur, primùm, ut naturalis est; agamus. Qui; si, aut deficeret, aut superflueret; non esset ampliùs naturalis; Ideo oportet, ut agens sit, temperatus, moderatus, & debitus. Notandum autem; quòd loquor, ut medicus; uidelicet de causa, & instrumento, proprio, & proximo, qui calor est. Qui quidem calor (aut efficiens dicatur) uel est extrinsecus, uel intrinsecus. Extrinsecus; acquiritur in humano corpore à multis causis. Primò à motibus, animi, et corporis. Vbi enim est motus, animi, & corporis; secundùm, quòd oportet, fiet calor, & naturalis, & moderatus; qui efficiet huiusmodi succum melancholicum naturalem cum alijs humoribus. Si autem, deficiat calor, aut superabundet; ratione motus corporis, aut animi; quia ipsi excedunt, uel deficiunt; non appellatur ille calor naturalis, sed præternaturalis. Præterea est, somnus, & uigilia; Quæ, si fuerint secundùm, quòd oportet; tunc fiet cholera

lera nigra secũdùm naturam, quia calor erit naturalis. Vnde aduertatis ad hoc; quòd omnes humores naturales semper fiunt à calore temperato. Non autem (ut dicunt moderni isti) bilis fit à calore superfluo; pituita uerò à diminuto. Hoc enim est falsum; quia, cùm fiunt talia excrementa moderata; ipsa facta sunt à calore temperato; non autem, uel à diminuto, uel à superfluo. Postea debent esse, cibus, & potus; temperati. Sic aer; inanitio, & repletio. Hæ enim causæ alterantes omnes si excesserint; acuunt calorẽ internum, & ita aduruntur humores. Tunc enim melancholia naturalis non generatur. Sed, si defecerint; calor minuitur. & ita, quantùm deficiet de melancholia naturali; tantum de pituita redundabit. Si igitur melancholia naturalis generari debet; oportet; omnes causas alterantes esse, moderatas, temperatasq;; quod quidem est cõmune omnibus humoribus. Efficiens intrinsecum (quod quidẽ etiam quàm maximè proprium est, et immediatũ) est ipse calor innatus. Qui, si fuerit mediocris, & temperatus; quãtum in se est generat, melancholiam, & alios humores naturales; &, quales, & quantum; oportet. Vnde (ut dixi) hoc pessimè assequuntur, qui putant sanguinem tantùm generari à calore temperato, reliquos humores ab intẽperato. Isti enim; non distinguunt, neq; intuentur; differentias, humorum naturalium, & humorum non naturaliũ. Omne enim, quod naturale est; causas habet naturales. Calor enim intemperatus; quatenus intemperatus; eatenus quidem, & naturam excedit, & omnes operationes

nes deteriores efficit. & , quantò magis deteriores; tãtò magis à natura recedentes. Et è conuersò; quantò magis est temperatus; tantò magis naturales efficit operationes. & consequenter humores fient magis naturales à calore, magis naturaliter se habente; Talis autem est calor maximè tẽperatus. & hæc de causa efficiente. Causæ materiales & ipsæ debent esse conuenientes; quæ sunt, intrinsecæ, & extrinsecæ. Extrinsecæ sunt alimenta; & dicũtur materia remota. Quæ, si melancholiam naturalem; & in quali, & in quanto; generare debent; oportet & ipsa, in substantia, & in qualitate; temperata esse. Nam, si calidiora fuerint; plus de bile, & humoribus adustis, ex illis fient. Si frigidiora, pituita generabitur. Crassioris etiam substantiæ alimentũ generat plus de fæce, quàm generari debet. Præcipuè, si cum crassitie siccitatem etiam habuerit; Qualia sunt, legumina, caseus antiquus, caro bubula, lepores, et reliqua huiusmodi. Quia enim materia nõ est conueniens, ideo non fiet melancholia naturalis. Materia autem, intrinseca, & proxima; est ipse sanguis. Qui, si sit in sua naturali dispositione in, substantia, & qualitate (per sanguinem ueró intelligo totam massam humorum) tunc fit, & bilis nigra naturalis; nec peccãs in substantia, neq; in quali. Nam, ubi aliquid, uel in substantia, uel in quali; excesserit, uel defecerit; eadem omnino absurda sequentur; quæ de alimentis, & materia extrinseca; diximus. Sic igitur oportet; quòd agens, & materia; sit cõueniens ad hoc, ut fiat atra bilis naturalis, cum alijs humoribus

humoribus naturalibus. Hic modò unum est aduertendum; In materia ab humorum generatione necessitatem inueniri; quæ appellatur ab Arist. primo de part. animalium, cap. primo; necessitas materiæ, uel necessitas suppositionis. Quæ eadem necessitas; ordinatur, refertur, & unitur, cum necessitate finis. Quæ necessitas finis, est necessitas absoluta, & non ex suppositione. Ad quam necessitatem omnes actiones, et alterationes, agentes in materia, referuntur, & reducuntur. Materia igitur humorum habet necessitatem, quæ reducitur ad necessitatem finis hoc modo. Necessarium erat (uerbi gratia) ut succus melãcholicus generaretur in corpore humano propter causas, paulò post dicendas. Hæc quidem necessitas est finis. Modò, si succus melancholicus generari debebat; oportebat inuenire materiam, quæ esset conueniens; haberetq; & ipsa propriam necessitatem, quæ fini coniungeretur; Ergo succus fuit extractus à natura ex alimentis solidioribus, in quo ut contingit in omnibus succis extractis esse quatuor partes dissimilares; Hoc est leuem illam, quam florem Gal. Auic. quasi spumam; appellauit; Aliam partem aquosam; Tertiam crassam, et fæculentam; Quartam perfectam; Et ultimò concoctam. Quoniam igitur quatuor partes in massa sanguinis erant necessariæ pro corporis nutritione (sicuti optime probant Hippocr. et Galenus in toto primo lib. de natura humana.) Ideo prudentissimus rerum Conditor excogitauit materiam talem; in qua necssariò quatuor illæ partes inuenirentur. et hæc necessitas

necessitas fuit materiæ; quam ad finis necessitatē coniungi diximus. Iā igitur de causa materiali satis. Opus est prætereà; ut natura assequatur, suam finalem causam, siue suum finem intentum. Quæ finalis causa duplex est in ipsa cholera; altera essendi absolutè, altera bene essendi. Natura ergo producit succū melancholicum pro duplici fine; scilicet, & pro fine, qui dicitur de necessitate essendi; & pro fine bene essendi. Necessitas quidem absolutè, & de necessitate essendi; in generatione succi melancholici fuit; Quoniam, multæ sunt partes, plurimaq; mēbra; in corpore; quæ debebant, nutriri, & ali; hoc præcipuè succo melancholico; sicuti sunt, omnia ossa, & lien, & omnia membra terrestria. Quia igitur succo terrestri melācholico talia nutriuntur membra; necessarium ideo fuit, succum melancholicum generari in humano corpore. Bene essendi uerò necessitas; fuit ab hoc humore propter uirtutes, & naturales, & animales, & uitales. Primò enim ad naturales fuit utilis; quia hæc incitat famem. Nam, ascendente portione huius succi ad uentriculum; excitatur uentriculus; hoc est uirtus stomachi ad appetendum cibum. Talis autem uirtus excitata appellatur fames ad cibum; Efficitur enim fames (ut primo de usu partiū, cap. quarto) propter succum melancholicū, tendentem ad os uentriculi; qui, corrugando partem illā, facit famem. Ob id igitur fuit utilis succus melācholicus in natura; ut scilicet excitaretur fames, qua bene uiuimus. Dico autem (qua bene uiuimus) quia sunt, qui uiuunt non appetentes; non tamen bene

bene uiuunt. Prætereà est etiam necessitas ad bene essendum huius nigræ bilis; ad cōtemperandos spiritus, uitales, & animales; qui firmantur ab hoc humore; alioqui sine hoc humore spiritus essent, fugaces, minimeq; consistentes. Quod facilè uidemus contingere in his; in quibus plurimum, de sanguine, & de bile; minimum uerò de succo melancholico comprimēte; reperitur. Tales autem homines, redundantes bile flaua; licet ingeniosi sint; tamen sunt, instabiles, leuesq;; & qui nunquàm in eodem proposito perseuerent; propter, leuitatem, & fugacitatem; suorum spirituum. Immo sunt impudentes, & quādoq; nimis audaces; ut, quando spiritus mouentur; Quandoq; nimis timentes; quando scilicet spiritus illi resoluti sunt, qui erant tenuiores. Ideo ferè nunquàm sunt apud se tales homines. Quapropter fuit necessarius succus melancholicus, condiens, et contemperans; flauam bilem; qui succus melancholicus facit ad optimos mores. & ideo optimè assertū est ab Arist. in 30. sec. problem. prob. primo; Quòd omnes sapientes fuere melācholici. Iudicium enim, & prudentia, non in motu, sed in quiete; perficitur. Vnde Arist. septimo phy. dicebat, animam quietam, & residentem; prudentem fieri. Quies autem, & residentia in spiritibus; soli succo melancholico accepta referri debet. Ex his apparet; quàm maxima sit utilitas huius humoris melancholici ad multa, quæ diximus; & etiam ad necessitatem materiæ, ex qua succus melancholicus generatur; in qua sunt partes distinctæ sicuti & in uino; in quo est pars illa magis

gis subtilis, & supernatans; & est, bilis, & flos uini, & sic de alijs, &c. Ex his modò apparet, quid sit succus melancholicus naturalis. habet enim definitio ex recta cognitione causarum. Erit igitur succus melancholicus humor, ex craßiori parte alimenti factus à calore naturali, concoquente cibum in hepate, ob plurimos usus uitæ necessarios. &, quando dicitur in definitione (humor) habetis genus. Quãdo dicitur (genitus à calore naturali) distinguitur ab humoribus præter naturam. Quando dicitur (ex parte craßiore alimenti) distinguit eum à reliquis omnibus humoribus, quoniam alij non fiunt ex huiusmodi parte alimenti. Quando uerò dicitur (ad plurimos usus uitæ necessarios, scilicet ad membra nutrienda, & ad famẽ excitandam, ac bilem reprimendam) patet finis. Ex qua definitione, rectè cognita; quæ habetur per suas causas; habetis cognitionem omnium, affectuum, & paßionum; quæ consequũtur essentiã huius humoris. Quod quidem communißimum est etiam in omnibus alijs rebus naturalibus; quarum essentiæ, et rationes; noscuntur. Vnde; & philosophus in secundo post. dicit; quòd, si habeatur optima definitio; omnia etiam cõsequentia ad illam manifesta erunt. Videtis igitur; quo modo ex recta definitionis cognitione appareant omnes, affectus, & paßiones, choleræ nigræ. Et primò ex parte substantiæ (ut habet secundo de facult. nat) succus melancholicus est craßißimus omnium. Affectus autem hic, qui est ex modo substantiæ; non nè sequitur ex definitionis recta cognitione? Quia, si bilis atra

atra generatur ex succo craßiori alimenti; nonnè etiã erit substantiæ craßioris? Neq; in hoc immorandum est, quo modo sit substantia craßiore hic humor; cùm ipsum terrestrem esse dixerimus, & sedimẽtum sanguinis. Præterea est colore nigra ipsa melancholia. Causa autem huius patet; quia supra diximus, unde nam fiat color niger. Et hoc sequitur ab essentia cognita. Est enim, terrestris, & crassus; ergo minimum habet de diaphano. & consequenter necessariò est niger; si modò eorum meministis, quæ de colorum causis diximus; uidelicet; diaphanum purum esse materiam colorum, non illustratum per collectionẽ suipsius. Tertiò sequitur; quòd sit sapore, acerbus, non dulcis, neq; acidus. Et notate circa hanc acerbitatem saporis; nam Auicen. post dicet succum meliorẽ, acerbum, & dulcem; Galen. autem dicit semper esse acerbum. Dico autem acerbum; quod Græci. ϛρυφνὸν appellant, & loquitur de bile atra naturali. Vnde secundo Ther. cap. x. & 4. Aph. primo; distinguit succum melancholicum, qui propriè est succus naturalis; ab atra bile, quæ non est naturalis; quoniam succus melancholicus est acerbus, atra uerò bilis est acida. Quare autem talis succus sit acerbus; superiùs uidimus; saporem acerbũ effici in humido aqueo, in quem nihil egerit calor; & consequenter, corrugat, constipat, ad centrum trahit & coadunat. Talis igitur succus dicitur acerbus. In hoc. n. distinguitur Auic. à Gal. cùm atra bilis sit acida. succus uerò melancholicus sit acerbus; quem saporem Arabes ponticum uocant.

Consequenter autem ratio huius acerbitatis à prædicta definitione, sicuti & reliqui affectus omnes; ab essentia rectè cognita liquet. Si enim succus terrestris est, in quo nulla accesserit adustio; sed à calore naturali tantum fuerit separatus à reliquis humoribus tenuioribus; sequitur, quòd habeat saporem acerbum. Debetis meminisse ea, quæ diximus de causis saporũ secundùm Gal. saporẽ nempe acerbum generari ubi materia terrestris dominatur in misto absq; ulla adustiõe accedẽte. Sequitur etiam eadem ratione definitionis; hunc succum, frigidum esse, & siccum; terrestris.n. est sine aliqua adustione. & ita uidetis; quẽadmodùm ex definitione illius rei omnes affectus, & paßiones; sequantur, & manifestentur (rectè inquàm cogniti) Contra imperitos philosophos, qui opinantur definitionem accidentis esse medium in demonstratione; tum peßimè intelligentes Arist. tum non uidentes hoc saltem, quòd ex sua opinione sequeretur, in qualibet demonstratione esse petitionem principij. Et hæc satis de succo melancholico naturali. Superest igitur iam ut dicamus de succo melancholico non naturali, qui propriè dicitur atra bilis à Gal. ad differentiam naturalis, quæ naturalis ab eodem succus melãcholicus appellatur, ut supra declarauimus. Vnde naturalis iste succus, & qui non naturalis; opponuntur. Cùm autem hic nõ naturalis opponatur naturali; ergo etiam habebit causas prorsus oppositas. & meritò; nã omnino sicuti res naturalis causas habet omnes naturales; ita res non naturalis causas habet necessariò, uel omnes

omnes, uel aliquas; non naturales. & sicut naturalis habet, agentẽ naturalem, & materiam naturalem; Ita etiam hic non naturalis habet suum agentem non naturalem, & materiam præter naturalem. Atra ergo bilis potest contingere, uel à materia, uel ab agente, uel ab utroq; non naturaliter se habente. Cùm ab agente non naturali fiat atra bilis; uel fit ab extrinseco, uel ab intrinseco agente, scilicet à calore non naturali. Extrinsecus calor, uel agens; erit aer admodùm calidus. Vnde Aegyptij, & qui degunt sub tertio climate, & in calidioribus regionibus; hoc succo plurimùm redundant; uel, quia erunt superflui labores, animi, uel corporis. & exercitia ualida sunt efficacißimæ causæ agentes, ut inde atra bilis multiplicetur; quod quidem quotidiana experientia comprobatur. Plurimos enim uidemus, & ex nimijs uigilijs, & ex nimijs commotionibus; tum animi, tum corporis; fieri melãcholicos. Semper ergo omnibus his modis fiet succus melancholicus non naturalis per adustionem; quia & agens non est naturalis. Sic etiam de somno, & uigilia; dicendum. Quia, si superfluat, aut diminuatur; tunc ex his efficitur succus melãcholicus non naturalis. Et ita uidetis, quomodò hæ causæ extrinsecæ agentes possunt facere succum melancholicum, non naturalem. Agens autem intrinsecum est ipse calor intrinsecus igneus, uel naturaliter, uel ex morbo. Naturaliter, ut sunt temperaturæ, calidæ, & siccæ; Ex morbo; ut propter febres, propter phrenitides, uel propter aliquas inflammationes intrinsecas. Ex his

his enim omnibus multiplicatur humor aduſtus. et ſic habetis cauſas agentes humoris melancholici aduſti, (quæ & ipſæ ſunt non naturales) ab ipſa etiam materia non naturali; quæ eſt, uel extrinſeca, uel intrinſeca. Extrinſeca; ut, ſi cibi offerantur humano corpori, calidiores, & ſicciores, uel putreſcibiles; ut, quando cibus, terreſtris, ſiccusq; ; eſt facilè putreſcibilis, & inflammabilis; aduritur. Vnde dulcia efficiũt ſuccum melancholicum mediatè; quia ex his fit flaua bilis, quæ deinde aduritur. & ita poſt fit ſuccus melancholicus non naturalis; uel ab aliqua, peßima, & extranea; qualitate infecta. A materia uerò intrinſeca; ut, ſi ſanguis, uel calidior, uel craßior; fuerit, quàm oporteat. Ex hoc enim ſanguine generatur atra bilis; ſicuti uidemus cõtingere in corporibus, calidis, et ſiccis; quæ (ſicuti Gal. dicebat in ſecundo Ar. paruæ) corpora paracmaſticæ ætatis fiunt melancholica. Ex his igitur propter indiſpoſitionem materiæ etiam à calore temperato; generabitur, aduſtio; & ſuccus hic terreſtris, per aduſtionem factus non naturalis; Quem atram bilem appellauit Galenus, ut faceret differentiam inter ſuccum melancholicum naturalem, & atram bilem non naturalem. Hæ igitur ſunt cauſæ non naturales (ut diximus) uel materia, uel efficiens. Vbi enim, uel materia, uel efficiens; non ſe habuerint ſecundùm naturam; neceſſario non attingetur finis, intentus ab ipſa natura; & tunc ille effectus productus nõ erit naturalis. Ex quo ſequitur, quòd ex mala diſpoſitione materiæ, & ex imbecillitate

imbecillitate agentis; neq; ad formam, neq; ad finem; perueniri poteſt, quæ intenditur à natura. Atq; ex his iam habetis, quæ ſit atra bilis; et quæ ſint ſuæ proprietates. Eſt enim humor non naturalis; per aduſtionem genitus ex, craſſa, uel aduſtibili; materia propter calorem adurentem. Ex qua definitione paßiones quoq; ſequuntur. Primò enim ſequitur, hunc ſuccum ſubſtantia eſſe craſſum; eſt enim aduſtus, & omnia aduſta, craſſa, & terrea; ſunt; Sequitur, igitur quòd ſit colore ater ob eaſdem rationes, quas in ſucco melancholico dicebamus naturali. Eſt enim niger magis, quàm melancholia naturalis. Quia enim in eo eſt maior aduſtio; ideo nigrior. Eſt enim terreſtris; plurimùm habens de opaco, & minimum de diaphano. Deinde ſequitur ipſum eſſe, frigidæ, & ſiccæ, temperaturæ. Sed non abſolutè (ut de ſucco melancholico dicebat) immo plurimas partes habet calidas propter aduſtionis impreßionem; uti contingit in omni cinere. Præterea eſt etiam ſapore acri, & acido. Acri, quoniam partes terreæ aduſtæ ſunt attenuatæ propter uim plurimi caloris, unde acrimonia generatur, ſicuti contingit in, pipere, et omnibus aromatibus, in quibus eſt ſapor acris. Aciditas uerò ineſt; quoniam ſerum, uel aquoſitas; huius humoris; quod quidem ſerum, & aquoſitas; nunquàm ſeparatur ab hoc humore, actu fluido (ſicut aliàs declarauimus) iſtud inquàm ſerum, & aquoſitas; in aduſtione, quæ fit in partibus terreis; interim ebullit, & per ebullitionem tranſpirat calidum. & hæc eſt cauſa immediata acciditatis;

ut uidimus ex ſententia Gal. & Auicennæ. Hoc autem ita fieri; quotidie experimur in uino aceſcente. Quantò enim uinum eſt, fortius, & ualidius; tantò magis illos duos ſapores acquirit, aciditatem, & acrimoniam. Quoniam in eo, tùm maior ebullitio, tùm maior aduſtio; fit; ex aduſtione autem acrimoniam, ex ebullitione aciditatem; acquirit. Sequitur præterea ex eadem, cognita rectè definitione; cognitio; cur atra bilis, ferueat ſuper terram; abradatq; eius ſuperficiem; & erodat partes, quibus adhæret. Feruet.n. quoniam ingreditur meatus exiſtentes in ſuperficie terræ; & propter ſubtilitatem ſuarum quarũdam, partium penetrat omnes anfractus; ad quos alij humores, craßiores, & frigidiores; penetrare non poſſunt. &, cùm, ſubitò, & confertim; penetrent; ſpiritus, incluſus in illis meatibus; reluctatur, exagitatur, et exitũ quærit; & in ea reluctatione, & agitatione; ſequitur ebullitio; ſicut expreſſè uidemus, quãdo bullit aqua in lebete. fit enim illa ebullitio ex ſpiritu reluctante cum humido; unde etiam plurimæ eleuantur ampullæ. Hæc igitur eſt cauſa ebullitionis atræ bilis ſuper terram. Cur uerò abradat ſuperficiem eius; et eleuet tanquàm, ramenta, & cruſtas; ratio eſt, quoniam; facta, ebullitione, & eruptione ſpiritus feruentis; trahit ſecum humidum (ut habetur quarto meteor.) Vnde ſuperficies, quæ alioqui modicam habebat humiditatem; priuata humido continuante, abraditur, & ſeparatur; Quod ſæpe uidemus etiam in cuti animalis; ubi propter puſtulas ſcabiei, uel alias ſimiles;

miles; exſiccata fuerit cuticula. Eleuantur enim, & decidunt; tanquàm ſquamæ. & hoc ſemper fit in morbo; quem & uitiliginem appellant, et morpheam, et impetiginem; & eam, quam recentiores lepram uocant. Vnde lepra eſt dicta; quoniam acuti lapides, id eſt ſquamulæ; decidunt. Erodit autem; quoniã partibus craßis terreis adiunctæ ſunt partes, attenuatæ, aduſtæ, & acres; & meritò harum partium, ſubtilium, aduſtarum, & acrium; fit penetratio, ebullitio, calefactio, & exiccatio. A partibus autẽ terreis craſſioribus fit mora in loco. & ratione horum duorum maxima fit impreßio. Vnde neceſſariò ſequitur, corroſio, et putrefactio, ſicuti patet in cancris ulceroſis; in ulceribus, quas phagedenas uocant; in elephantiaſi; et in omnibus alijs morbis, ab hoc peßimo humore pendentibns. hi enim omnes affectus ſequuntur à natura. At dicat quis; Videtur; quòd hoc, quod dixiſti; ſit contrarium illi, quod ſuperiùs dixiſti de ſaporibus. Dicis enim hic, quod ſapor acidus eſt in ſubſtantia aquea. Contrà; Si aciditas fundatur in ſubſtantia aquea, in quam non egit calor; quomodò aciditas erit in hoc ſucco, cum ſit terreſtris ſuccus. Quomodo igitur erit inuenire cauſas aciditatis in ſucco tali melancholico? Immo potiùs uidetur, quòd ſit amarus; et quòd talis eſſe debeat. Aduertatis, quòd hic humor in rei ueritate eſt acidus. (Quod clarum eſt ſenſu in his, quæ euomuntur) et eſt, ut ſæuißimum acetũ. Cùm autem efficiatur talis aciditas cum acrimonia; quomodò fiat, uideamus. Nam ſuperiùs oſtendebamus,

mus, proprium esse humorum (quãuis ferè hic sit terrestris) quòd sint fluidi actu. Nam dicitur atra bilis terrestris, respectu, bilis, sanguinis, pituitæ. Dicitur igitur terrestris respectiuè; non tamen, quod talis bilis atra non sit fluida. Vnde Galen. in lib. de atra bile distinguit atram bilem à sanguine; quia sanguis extra proprium locum congelascit, et atra bilis fluit. et sic duo fiunt in succo melancholico. Primò enim pars aquea in tali succo ebullit. Facta autem ebullitione, & efflato spiritu; pars illa aquea fit acida. Postea pars terrestris aduritur, et per adustionem incineran tur; ex qua fit acrimonia, Quia per adustionem sunt partes subtiliatæ ualdè. Ex his igitur partibus fit sapor talis, acutus, acris, et penetrans. At amarus non fit ex his; sed ex partibus adustis, terrestribus, non tamen sic subtiliatis. Rectè igitur facta est acida atra bilis nõ naturalis ex parte aquea. Facta est et acris; ex partibus illis terrestribus, adustis, subtiliatis; ex quibus euaporauit spiritus; ut est etiam in aceto forti, in quo est aciditas in acrimonia. et omnes affectus, qui producuntur ab aceto; producuntur etiam ab hac atra bile. Quia acetum; sicut est, acidum, et acre; propter diuersas partes, sic bilis atra etiam, acida est, et acris. et sicut acetum, erodit, et feruet super terram; sic etiam atra bilis. Hi enim sequuntur effectus; qui ex natura rei, et definitione; rectè cognita, habiti sunt. et hæc satis de utraq; melancholia, tam naturali, quàm non naturali.

Sed, ut habeatis integram declarationẽ huius rei; primùm

primùm oportet repetere; & uidere, causas omnes, et affectus omnes; qui sunt proprij in omnibus speciebus succi melancholici non naturalis, seu atræ bilis. Primus igitur affectus, qui communis est; ille dicitur esse; quòd, quælibet bilis atra non naturalis in colore nigra est. Sed hoc etiam competit succo melancholico etiam naturali. Præterea; partim habet de acrimonia, partim uerò dicitur esse acida. Deinde est feruens supra terram; ac etiam abradit, & corrodit. hi sunt omnes affectus, qui sunt in, atra bile, seu melancholia non naturali. Non autem in ea sunt huiusmodi affectus, quia peccet in quãtitate; sed, quia in qualitate. Nam, si adesset in corpore plus de humore melancholico, siue succo in quantitate; quàm uideretur conuenire; non ob id esset malus humor ille, quoniam tantùm peccat in quanto. ibi enim plus est de ea, quàm opus sit. At, cùm loquimur de melancholia non naturali; tunc intelligimus, quòd ipsa non in quanto peccet; sed in forma, et in proprio temperamento; uidelicet, quòd in qualitate sit peßima. Dicimus igitur; quod quæcunq; species atræ bilis habent has omnes proprietates. Primò est sapore acida. Sed succus melancholicus, quem dicimus esse melancholiam naturalem; non est acerbus. & hoc probauimus. Acida ergo erit atra bilis. Sed nec simpliciter dicitur acida esse; quia pro parte habet etiam de acrimonia. Ideo eodem etiam acris est; Quemadmodùm etiam de aceto ostendebamus respectu diuersarum partium in eo. Dicebamus superiùs; quòd, quàmuis aciditas fundata sit in substantia

ſubſtantia aquea actu ſubtili; quia omnes humores ſunt actu fluidi; tamen habet etiam ipſa atra bilis de acrimonia. Quæ(ut dixi)& ſi fundata eſt in ſubſtantia aquea tenui; habet tamen partes terreſtres. Quæ aduruntur, & per aduſtionem incinerantur. Qua de cauſa fit acrimonia in ea etiam; & non tantùm aciditas. Præter igitur aciditatem; debet eſſe etiam acrimonia, ſcilicet acris bilis atra. Erit igitur hæc bilis atra ſecundùm omnes ſuas ſpecies, acris, & acida; ratione diuerſarum partium in ea. Poſtea feruet ſuper terram. In præcedentibus peruenimus uſq; ad hanc partem; uerùm anguſtia temporis non potuimus longiùs progredi; ſcilicet in declarando, cur hæc atra bilis feruea t ſuper terram. Ratio, & cauſa; huius eſt; quia eſt acida; &, quia habet acrimoniã. Ambo enim hi ſapores fundantur in ſubſtantia ualde ſubtili. Sed aciditas eſt in ſubſtantia, ſubtili, & aquea, tenui; quæ ebullire facit. Sapor uerò alius eſt in ſubſtantia, terrea, ſubtili etiam, & dicitur acrimonia. Qui duo ſapores; cũ ſunt inſimul ambo in ſubſtãtia, tenui, aquea, & terrea; faciunt ebullitionem, dum ſpargitur ſuper terram. Sed, cur facit ita, ut ebulliat, & penetret? Dico; quòd, cùm ſpargitur in terra; ratione ſubtilitatis talium partium penetrat per poros anguſtos telluris. Per quos dum penetrat; offendit ſpiritus aereos, qui ſunt plurimi in ipſa terra. Dum autem penetrat hic humor niger ad profunditates terræ; agitantur ſpiritus aerei, et expellũt à uiſceribus terræ ſpiritus craſſos. Ex qua, agitatione, & expulſione; ſpirituum cauſatur

ſatur ibi hæc ebullitio, dum ſcilicet exeunt ſpiritus illi à terra. Sequitur igitur ebullitio; propter ſpiritus, qui ſunt incluſi in illis meatibus. Qui, cùm reluctẽtur, ac exitum quærant; pugnantes cum illa ſubſtantia aquea(uti manifeſtò uideri poteſt, quando bullit aqua in lebete, quæ ebullitio fit à ſpiritu reluctante, incluſo in ea aqua cum humido) eleuantur plurimæ ampullæ. Hac de cauſa acetum ſparſum ſupra terram; quod habet partes, calidas, & igneas, ſubtiles; ſicut & bilis (nam non habet æqualiter partes, frigidas, & ſiccas; immo ſecundùm partem, & quidem maximam, eſt calidum, quemadmodum oſtendit Gal. ſecundo de ſimpl. med.) eſt cauſa ebullitionis. Præterea diximus, quòd abradit ſuperficiem eiuſdem; & eleuat quædam ramenta, ſiue cruſtas. & ratio eſt; quoniam, facta ebullitione, & erumpente ſpiritu feruenti; trahit ſecum humidum. Vnde ſuperficies illa priuata humido, quod abſumptum eſt ab ebullitione; abraditur, & ſegregatur. Quod quidẽ ſæpe uidemus in cuti animalis. Quando enim per puſtulas ſcabiei ſiccata fuit cuticula; eleuantur, & decidunt, ſquamulæ. Sic igitur facit atra bilis ſparſa ſuper terram; ueluti et acetum facit; quod dum penetrat in aliquem locum cauernoſum, & poroſum; inuenit flatum, uel ſpiritum aliquem; Cum eo pugnat. (Ex qua pugna naſcitur ebullitio ab aceto) et interdum frangit; ſicut & Hannibal fregit Alpes inter, Italiam, & Galliam aceto feruenti. Penetrabat enim ipſum acetum feruens ſuper lapides; quod penetrans fecit ſolutionem continui in montibus illis. Per quam

quam ruptionem montium fecit, iter, ac uiam; quà ingrederetur in Italiam. Diximus iam, quare hæc melancholia atra ferueat super terram; cùm sit maxime adusta, sicut & acetum facit. Cur autem & acetum corrodat; causa huius uera est, quia acre est, & habet substantiam crassam. Quæ, cùm figitur in poros terræ; putrescit; ut facit, auripigmentum, & calchantum; & quæcunq; sunt in caliditate ignea, cum substantia crassa, sicuti & hic humor melancholicus. Vnde corrodit; & magis, quàm bilis flaua, siue rufa; quia, licet flaua bilis sit plurimùm, acris, & acida; tamen, quia eius substantia est ualdè subtilis; ratione cuius facile penetrat quolibet; idec non corrodit tam uehementer, sicuti facit melancholia atra; quæ diutiùs ratione suarum partium persistit in loco, in quo est; Et quantùm perstat ibi; tãtùm semper corrodit. Melancholia igitur, siue atra bilis; erit peßima aliorum humorum; quia, dum penetrat poros; ibi figitur ratione craßitiei. Cùm autem figitur; de neceßitate corrodit, ac etiam corrumpit. Vnde Hippocr. optime dixit, quòd omnis deiectio nigra, scilicet ab atra bile (siue facta sit per partes superiores, siue per inferiores) mortalis est; quoniam, corrodit, & corrumpit; omnia membra, & partes cunctas; per quas transit. à quo quidem humore deterrimo generantur, phagedenæ, uel in cruribus, uel etiã alibi, unde deuenerit; ob suam peßimam qualitatem. Corrodit etiam musculos, & etiam usq; ad ossa. Affectus igitur hi omnes, quos diximus; sunt ab atra bile, cùm sit huiusmodi naturæ,

quam

quam naturam acquisiuit ab adustione intẽsa caloris. Cùm ergo habueritis huc usq; ; quæ nam sint causæ atræ bilis, id est melancholiæ non naturalis; &, qui sint affectus; modò accedamus ad, species, & differentias; huius melancholiæ. Differentiæ igitur huius melancholiæ non naturalis sumuntur tantùm à materia. oriuntur enim uariæ differentiæ huius humoris; secundùm quòd erit sua materia diuersa. Quæ materia, qualiscunq; fuerit; semper aduritur à calore intenso. Necesse enim est, ut aduratur priùs materia, alioqui non generaretur atra bilis. Fit ergo melancholia hæc per adustionem caloris; loquendo de melancholia non naturali; ut contra distinguitur humori melancholico naturali; qui, fit, & generatur; per subsidentiam partis terreæ in sanguine. Ita, ut sit semper uerum hoc; quòd quando dicemus melancholiam atram; semper intelligemus factam esse per adustionem intensam caloris. Quæ & habet sub se, partes, siue species; diuersas; secundùm eius diuersam materiam adustam eo, quia, si aduratur sanguis; generatur tunc una species atræ bilis. Si autem aduratur melancholia naturalis; alia fit species atræ bilis, diuersa à prima specie. si flaua bilis; alia quoq; species atræ generatur diuersa. Maxima autem extat differẽtia circa has, differentias, et species; atræ bilis inter magnos Viros militiæ nostræ, quot nam sint numero. Galenus enim; ponit eas esse tantùm tres species atræ bilis, quæ fieri possunt; quemadmodùm habetur secundo de pot. nat. cap. duodecimo. Dicit enim; aut aduritur sanguis,

per

per quam aduſtionem fit una ſpecies atræ bilis; aut aduritur melancholia naturalis, & tunc fit ſecunda ſpecies atræ bilis; aut aduritur flaua bilis, quæ appellatur uitellina; per quam aduſtionem tunc fit tertia ſpecies huius atræ bilis; quæ, tertia, & ultima; ſpecies eſt omnium aliarum ſubtiliſſima non naturalium. Vel (ut rectiùs loquamur) eſt minùs craſſa; quoniam generatur ab aduſtione flauæ bilis, qui eſt humor ualdè ſubtilis. & dicit Gal. non cognouiſſe aliam ulteriorem ſpeciem atræ bilis, quàm has tres prædictas. Neqúe etiam uidebitis Galenum unquàm ponere alicubi aliquam aliam ſpeciem. Author autem definitionum; alio modò, quàm Gal. dicit; qui quidem & ipſe ponit tres ſpecies tantùm. Tamen uult ipſe (& in hoc differt à Gal.) unam, & eandem, ſpeciem fieri per aduſtionem ſucci melancholici naturalis, & ex ſanguine craſſo aduſto. Author ergo hic non diuidit ſpeciem atræ bilis, factam ex melancholia naturali aduſta; ab ea, quæ fit ex ſanguine craſſo uſto; ſed unam ſolum modò eſſe uult. Ergo ponit (cùm ſic dicat) ſuccum melancholicum naturalem idem eſſe cum ſanguine craſſo; quia ſanguis craſſus idem eſt, quod ſuccus melancholicus. & quidem in prima facie ſic uelle uidetur Galen. ſi uerbis credamus. Sed re minimè uerum eſt hoc; quoniam Gal. loquens de putredine ſanguinis; inquit, quòd pars ſanguinis craſſa conuertitur in atram bilem per putrefactionẽ; pars uerò ſubtilis fit flaua bilis. Si ſic; ergo Author definitionum erit cõtrarius dictis Galeni. Verùm tamen; ſi rectè, rem ipſam, non autem uerba;

ba; perpendatis; uidebitis, quòd Gal. optimè, & meliùs; loquatur, quàm faciat ille Author. Quoniã ſanguis, qui craſſus eſt; alius eſt, quàm ſit ſuccus melancholicus, naturalis, & diuerſus ab eo. Quòd autem ita ſit; uideatis in quarto Aph. Aph. 22, & 23, & 24; quibus in locis optimè Galenus innuit hanc differentiam; ubi diuidit ſuccum melancholicum à ſanguine, craſſo, & nigro ita; quòd ſanguinem craſſum nõ uult eſſe fæcem ſanguinis. Quia ſanguinis fæx eſt; quæ in fundo reſidet ſanguinis ueluti, ſedimentum, & hypoſtaſis; quæ poteſt aduri. Per quam aduſtionem habet generari unus humor diſtinctus, qui appellatur atra bilis. Quare aliud eſt dicere, quòd ſumatur fæx ſanguinis, uel ſedimentum; & aliud, quòd ſit ſanguis craſſus niger. Nam & aliud eſt dicere uinũ eſſe craſſum; & aliud, quòd ſit fæx uini. Quando igitur aduritur fæx ſanguinis, ſeu ſedimentum eius; tunc fit melancholia, quæ dicitur atra bilis. Nec tamen eſt, differentia, & contradictio; inter, Galenum, & Authorem definitionum. Quia, quando Gal. in ſecundo de diff. feb. dicit de ſanguinis putredine; quòd ex ſanguine craſſo nigro per aduſtionem fit atra bilis, ex ſubtili fit rufa bilis; Author uerò ille, cùm ponat, unam, & eandem; eſſe ſpeciem melancholiæ non naturalis; & à melancholico ſucco naturali, et à ſanguine craſſo; quæ ſpecies una dicitur atra bilis. à pituita uero torrefacta; dum per aduſtionem redditur terreſtris in ſubſtantia, fit altera ſpecies bilis atræ. Ponit igitur author hic ex ſucco melancholico, & ſanguine craſſo nigro;

nigro; ſimul unam ſpeciem atræ bilis generari, alteram uerò ex pituita, torrefacta, & aduſta, ac tandem facta terrea. Tertiam autem ſpeciem uult fieri à rufa bile. Erunt igitur & ſecundum hunc Authorem tres atræ bilis ſpecies; non tamen eodem modo, quo ponit Gal. ut uidiſtis. Auic. uerò, & ferè omnes Arabes; qui collegerunt ex Græcis; ultra tres ſpecies huius atræ bilis; poſuerunt etiam quartam ſpeciem, ſecundùm, quòd ſunt quatuor humores ita; ut diuidant atram bilem à ſucco melancholico; & à ſanguine, craſſo, ac nigro. Poſtea accipiunt aliam ſpeciem bilis atræ à pituita; facta aduſta per torrefactionem. De qua pituita aduſta nullo in loco mentionẽ fecit Gal. nullibi enim dicit hoc. Quarta poſtea ſpecies fit ex bile rufa aduſta; ſic enim ponit Auic. quatuor atræ bilis ſpecies, ex quatuor aduſtis humoribus genitas eſſe, ſeu dictas differentias, ſic Arabes ponunt ſecundum Auic. pituitam aduri. Ex qua deinde generatur una ſpecies atræ bilis; id eſt melancholiæ non naturalis. Hic modò oritur quæſtio modernorum; & multi arguunt contra Auicennam. Quorum unus fuit Manardus, qui appellauit omnes Arabes ignaros, nec Græcos intellexiſſe. Ego dico, quòd & ſi ſatis patet; qui nam ſint, & fuerint; Græci. Hic enim Modernus reprehẽdit Arabes, ponentes pituitam aduri poſſe; & ex ea fieri unam ſpeciem, ſeu differentiam, atræ bilis, & laudat Græcos. Tamen Author definitionum fuit Græcus, & Vir doctiſſimus inter Græcos. Ipſe tamẽ uult etiam unam ſpeciem fieri atræ bilis ex pituita torrefacta. Cùm igitur

tur Author definitionum dicat hoc, & ſit unus Græcorum; ergo, non ſolum modò Arabes; uerum etiam Græcorum aliqui; tenent ex pituita aduſta fieri poſſe bilem atram. Pro ſolutione itaq; huius rei; dico; quòd, qui conſiderant, in cathedris, & in circulis; res ipſas, prout ſonant tantùm, non exactè ponderantes eas; poſſunt quidem, apparentias, & figmenta; quæ uoluerint deducere. Et, quòd ita ſit; poſſunt arguendo probare ſuo modo uera eſſe dicta ſua. In pituita enim ſunt partes terreæ, quæ poſſunt aduri; in quibus fiat acrimonia. Præterea in ipſa pituita ſunt partes aqueæ, quæ etiam per ebullitionem putreſcant; ex qua ebulliente fit aciditas (ſicuti ſupra dicebamus de aciditate, & acrimonia, in atra bile) poterit igitur (dicent iſti apparentes) primùm fieri in pituita propter partes eius terreas aduſtas acrimonia, præterea & aciditas; ratione partium aquoſarum per ebullitionem in ipſamet pituita. Et ſic torrefiet propter huiuſmodi ebullitionem, & inde corrodet membra; ebulliet ſuper terram, & abradet ſuperficiem eius. et ita, cũ faciat pituita tales effectus, quales per aduſtionem melãcholiæ naturalis facit atra bilis; ergo erit iſta pituita aduſta atra bilis. habet.n. eaſdem cauſas omnes, & ſubſtantia, eſt eadem; & agens eſt idem, qui agit in pituitam; ſicuti, qui agit in atram bilem. Conſiderando igitur hoc pacto naturam rei, ſcilicet pituitæ; à pituita aduſta fiet una ſpecies atræ bilis. Præterea fiet colore nigra, hoc modo quippe. Quoniam partes aqueæ in pituita per ebullitionem abſumũtur, et con-

ſumitur eius humidum; unde in ea remanet plurimum de opaco. Hoc igitur modo, à pituita aduſta fiet, nigredo, & aciditas, cum acrimonia, & fœculentia; nec non abraſio, & eroſio. Qua de cauſa igitur non debet fieri à pituita torrefacta ſpecies una, uel differentia; atræ bilis? Præterea nonnè ſæpè accidit, quòd poſt phlegmaticas febres ſequantur quartanæ? et ratio eſt; quia, cùm in febre putrida à pituita fit calor igneus, qui adurit pituitam; qua aduſta fiet atra bilis. Ex qua atra bile collecta in corpore; per putredinem fiet quartana febris, quæ fit ab atra bile. & ita uidetur horum ratio bene procedere; & ſecundùm rationem, & experientiam. Verùm, qui uult rectiùs perponderare rem ipſam, ut ſe habet; uidebit, quòd rationes horum erunt paralogiſmi. Non enim cogunt ſuæ rationes; ut ob id ipſis adhærere debeamus. Ideo notate. Nam ad hoc, ut poſſit, & debeat; aduri pituita, oportet; ut agens adurens ſit ualidiſſimum. Quoniam, dum calor igneus adurit flauam bilem; eam nunquàm comburet, niſi huiuſmodi calor ſit, igneus, & ualidus. Natura enim caloris ignei non naturalis debet eſſe talis; ad hoc, ut urat. Modò, ſi calor debet adurere pituitam; quæ eſt humor, frigidiſſimus, craſſus, incoctus, uiſcidus; non oportet, ut calor ille igneus ſit minimus, & debilis; ſed ualidiſſimus, & potens; alioqui calor ille, non alterabit, nec immutabit eam pituitam. Immo è conuersò extinguet calorem ipſum pituita. Vnde, cùm iſti dicunt pituita aceſcit; & ex ea deinde fit atra bilis per aduſtionem, ſicuti ſupra dicebamus

bamus ſecundum illos; ergo, &c. Immo dico ego, quòd fit oppoſitum; quia eſt humor crudus, craſſus, uiſcidus, ac frigidiſſimus; pituita ipſa; Ideo omnino rebellis calori ipſi. Quanta autem ſit frigiditas in humore pituitoſo; uideatis (quæſo) Quia, ſi attrahatur ad extra corpus per medicamentum calidum; non quidem alteratur ullo modo ad caliditatem, quoniam eſt actu frigida. Quòd autem ita ſit; uideatis Galenũ in tertio de temp. quid dicat de ea. Præterea in febre, lipyria, & epiala, manifeſtum eſt, quàm ſit frigida. et, ſi incaleſcit; à quo calore? Dicit Galen. ſecundo de diff. feb. quòd à calore putredinali putreſcit pituita tunc; qui eſt calor ualdè ſegnis, & uigens uix. et, ſi ſpuatur; uidetur, & percipitur; craſſa; et nullo modo combuſta. ſed ob eius contrariam naturam calori igneo parit epialam, et, ſi putreſcit; putrida fit in ſua naturali frigiditate, et craſſitie; non autem, quòd aduratur. Non igitur poteſt calor putredinalis eſſe ita potens; ut pituitam ipſam reddat putridam per aduſtionem, & inde fiat atra bilis. Præterea dicunt iſti; poteſt nè eſſe maior caliditas, agens in pituitam; quàm in ea; quæ parit, nodos, & tophos, &c. quæ tamẽ pituita eſt, inſipida, & ualde frigida? nonne etiam eſt frigida; quæ facit, ſcrofulas, & ſcirrhos; ſine ulla eroſione? Si autem eſſet atra bilis; tunc ibi corroderet uſq; ad oſſa, nec in loco quieſceret; tamen facit prorſus oppoſitum. Immo etiam pleriq; medici ignari, cùm uolunt reſoluere materiam pituitoſam in ſcirrhis; quid faciunt? Apponunt exteriùs, & applicant; medicamenta

dicamenta calefacientia, & emplastra; ut ea pituita generet atram bilem per alterationem medicamentorum (calidorum tamen) neq; possunt eam immutare. Vnde, cùm non consequantur per opposita medicamenta ei humori frigido ad hoc, ut pituita illa conuertatur in atram bilem; immo scirrhus ille fiet tophus ob illam adustionem à pituita, & sic nullo modo resoluetur per opposita auxilia. Quare dico; quòd, qui non comprobant res suas ratione; & rationem deinde per, experientiam, & sensum; hi omnino decipiunt nos suis paralogismis, quoniam non bene considerant suis huiusmodi argumentis naturam rei. Videtis igitur, quàm decipiantur isti. Gal. itaq; optimè dixit, se nunquàm uidisse ex adusta pituita fieri atram bilem; quia non potest aduri. Fuit enim præ omnibus peritissimus medicæ artis; non tamen uidit unquàm, talem melancholiam non naturalem gigni ex pituita. Obq; id eam tacuit quartam speciem. &, si author definitionum ponat eam, decipitur in hoc, cùm pro se habuerit tantùm rationem, sed non expertus fuerit, ut fecit Galen. Præterea; si Auic. ponit eam; non tamen ipse ista expertus est; nam fuit tantùm collector Galeni, parum autem exercuit curationem. Nec uos unquàm uidebitis, atram bilem generari ex pituita, adusta, & assata; quia non potest aduri, nec putrescere. Faciatis enim quantùm uultis; nunquàm ex ea poteritis habere atram bilem; sed tantùm; aut ex succo melãcholico naturali, adusto per calorem igneum; aut ex sanguine crassefacto, assato ab eadem causa, uel à flauabile

bile torrefacta. Ex his enim tribus humoribus potest tantùm fieri atra bilis; minimè autem ex pituita. & hæc sat dicta sint; quò ad ueram cognitionem, & differentiam; inter atram bilem (scilicet melancholiam non naturalem nigram) & succum melancholicum; quia est melancholia naturalis, cum suis speciebus; suisq; affectibus.

LECTIO. XXXVIII.

ACCEDAMVS *modò ad expositionem literæ in Auic. ubi patent multa errata per eum contra principia uera medicinæ. Dicit ergo.* Choleræ autem nigræ; alia est. *Quòd cholera naturalis sit fæx sanguinis; hoc uerum est. Sed ob id non est superfluitas; quia de necessitate est per essentiam, & ad bene esse corporis humani.* Cuius sapor; inter dulcedinem, & ponticitatem; existit. *Vidistis iam supra; quomodò fiat sapor acerbus secundùm Galen. qui reperitur in hac melancholia naturali. Auic. autem dicit, quòd* habet quandam dulcedinem. *Dixi quoq;; quomodò Auic. decipiatur. Verum quidem est, quòd habet quid de dulcedine; quia semp existit hæc melancholia cum pauco sanguine in uenis. Ideo per quandam consecutionem habet quid de dulcedine. Sed, quòd in substantia huius humoris melãcholici fit dulcedo; hoc est contra principia. finis et huius succi melancholici. Hoc enim modo dicitur in eo esse sapor acerbus astringens; dulcis ergo erit quoquomodo ratione sanguinis, quia habet aliquid de sanguine*

guine misto secum, & ratione succi melancholici dicitur esse acerbus. Quæ cum in hepate generatur in duas diuiditur partes. Hic diuidit Auic. hunc succum melancholicum, sed malè; quemadmodum quoq; diximus de rufa bile. Dicit ergo; quòd una pars succi melancholici uadit ad hepar, deinde per uenas transit. pars uerò alia transmittitur ad lienem. & hoc uerum est; Sed diuisio hæc est per accidens. Vnde melancholia hæc; tendat quò uult, uel ad uenas; uel ad lienem; semper eadem erit. & Auic. non potest aufugere, quin diuidat per accidẽs. Siue enim succus hic naturalis uadat ad hepar, siue ad lienem; semper idem facit Auic. repetendo; quia semper ponit in membro opposito diuisionis, easdem differentias, & easdem notiones. Vtilitas uerò est, ut sanguinem restringat. hoc modo est facilè, ut discurratur; nam sicut flaua bilis, quæ procedit ad ipsam uesicam fellis; est bilis, quæ non eget sanguine; sic iste succus melancholicus; qui uadit ad splenem, & à splene ad alia, & c. non eget auxilio sanguinis, ut à splene ad uentriculum, & ad intestina; transmittatur. Cætera modò sunt facillima. Melancholia uerò non naturalis non est admodum hypostasis. Hac in parte immorandum est; uidentur enim duæ esse species melancholiæ. Vna naturalis; scilicet succus melancholicus. Alia non naturalis, quæ dicitur atra bilis. Differunt autem hæ duæ species per generationem. Quoniam naturalis melãcholia dicitur esse per residentiam sanguinis; unde est dicta sedimentũ eius.

Sed

Sed non naturalis fit per resolutionem partium humidarum à calore igneo adurente. Sed (ut etiam habeatis hoc perfecte secundum mentem philosophorũ) debetis scire; quòd separatur in quocunq; misto humidum ipsum à sicco quatuor modis, quibus quidẽ potest humidum à sicco separari. Aut enim separatur humidum per defluxionem, aut per residentiam, aut per colliquationem, aut per euaporationem. Causa uerò horum quatuor modorum; uel est calor, uel est frigus (non enim loquor de modis per uiolentiam; uidelicet, expressione, uel contusione; sed dico de modis naturalibus) humidum ergo non potest separari à sicco; nisi aliquo horum quatuor modorum, siue à frigore, siue à calore. (Loquamur autem primò de primo modo, scilicet per defluxionem.) Quando itaq; separatur humidum extraneum, adueniens in siccam substãtiam; illud non est naturale, eò quòd est humidum aduentitium in aliquo misto, ita; ut non sit de eius substantia, uel essentia. Hoc itaq; separatur à suo contrario, scilicet à sicco eius, misti per defluxionem, & hoc potest esse, tam à calido, quàm à frigido. A calido (ut procedam cum exemplis) ueluti, cùm sunt ligna ualdè humida, quæ, si apponantur sub sole, sol attrahet ex illis lignis humidum illud. et ita defluet humidum ex illis per extractionem solis. Vel, si illinatur quid pingue. Vel si sit humidum concretum corpori per frigidum, quod corpus deinde ponatur sub sole; Videbitis illud humidum defluere ex eo corpore; Quemadmodùm optimè cognoscũt salsamentarij, et caupones; qui ap-

ponunt carnes ſalitas in Sole, per quem ſeparatur hu
midum aqueum à ſalita carne; ſed tantùm remanet hu
midum proprium, & ſubſtantificum; quo conſeruari
habet illa caro, aliter putreſceret. Patet igitur; quo=
modo per Solem ſeparetur humidum aqueum à ſicco
per calidum. Per frigidum etiam fit defluxio. et uti=
nam nõ eßet ita; nam catarrhi à capite ad partes in=
feriores defluunt ob frigiditatem, facientem huiuſmo=
di defluxionem. Nam humidum conſtipatur; ut per
uentum borealem maximè ſeparatur humidũ aqueum
in cerebro, et exprimitur, expelliturq; ad parteis in=
feriores; Vnde deinceps deſtillãt catarrhi. Patet igi=
tur hactenus; quomodò per defluxionem humidũ ſe=
paretur à ſicco, tàm per calidum, quàm per frigidum;
de qua ſegregatione plenè egimus in libris noſtris de
deſtillationibus. Sit igitur hic primus modus ſeparan
di humidũ à ſicco per defluxionem. Secunda ſeparatio
humidi à ſicco fit per reſidentiã; quæ reſidẽtia, fit, ſeu
efficitur à calore naturali, & non naturali, ac etiam
à frigiditate. A naturali calore fit; quando per con=
coctionem ſeparatur humidum aqueum à ſicco ter=
reo, ut cuenit in uino bulliente. Dum enim decoqui=
tur uinum in lebete; ſiccum terreum ſeparatur ab
humido aqueo per reſidentiam. Sic etiam contingit
in urina, ac etiam in oleo; dum coquuntur à debito ſuo
calore. Quod enim in eo eſt ſiccum terreum; reſidet.
Quod uerò humidum aqueum; id ſupereminet. et ſic
per reſidentiam ſegregantur à calore naturali. A' ca=
lore autem præternaturali; quemadmodùm fit in uino
putrido

putrido per ebullitionem. Quod enim terreum eſt;
reſidet, humidum uerò eminet. Præterea ſic fit à fri=
giditate; ut uidere licet de lacte, in frigido loco repo=
ſito. Per reſidentiam igitur à calore, naturali, et non
naturali, & à frigore; poteſt ſeparari humidum à ſic=
co, ubi uidemus partem aqueã ſupernatare. Per col=
liquationem autem (& eſt tertius modus) fit diuiſio
humidi à ſicco in aliquo ſubiecto, uel à, calido, igneo;
uel à frigido, & humido. Dũ enim humidum, innatum,
& ſubſtantificum; per uim ſeparatur ab eo, in quo
eſt (ut accidit in febribus, peſtilentialibus, ſeu colliqua=
tiuis) ſeparatur tunc humidum ſubſtantificum ui eius
caloris putridi, ſeu à calore igneo, id, quod eſt in tali
ſubiecto; uel à frigido, ualido, & potenti; ut uidimus
in carnibus, quia humidum, quod eſt in carne; coagula=
tum per calidum illud humidum, per frigidum uiolen=
tum reſoluitur. Cùm igitur aduenit, caliditas, & ſic=
citas; corpori, quod erat concretum à frigiditate; tũc
eliquatur à ui caloris; uti patet in febribus colliqua=
tiuis; in quibus materia, craſſa, & pinguis; defluit.
Pariter idem fit de cadaueribus, quæ ſuſpenduntur in
cruce; in quibus fit colliquatio talis per calorem ſolis.
Idem etiam fieri dicitur de cadaueribus illis, quæ in
Aphrica ſuffocantur ſub harena. liquantur enim om=
nino corpora illa ab ingentißimo ardore ſolis, et ſic=
citate harenæ; unde remanent corpora illa prorſus.
arida. Quæ, ſic arefacta; reportantur à mercatori=
bus, uel à nautis; ad nos; eaq; uendunt pro mumia. In
illis enim exaruit totum humidum per eliquationem,
factam

factam à calore igneo. Hæc tamen non est uera mumia; cùm in se nullam habeat qualitatem, ut ea. Non habet enim; nisi summam terrestreitatem. & faciunt nos deuorare talia cadauera, sic torrefacta, & adusta. At uera mumia est aliud, diuersum ab huiusmodi cadaueribus; & aliàs afferebatur ad nos à mercatoribus arabibus. De qua, quia hic non est locus; nihil dicam. Dicam tamen unum uerbum; quòd mumia, uera, & antiqua; ea erat. Quoniam mos erat arabum (Virorum nobilium maximè) quando quis nobilis moriebatur; ungebant corpus, aloe, & myrrha; quemadmodùm patet in euangelio de unguento Domini Iesu Christi. Postea uerò quàm unxissent; induebant, & cooperiebant; pannis lineis, & ita conseruabant in suis sepulchris. Postea tractu temporis adueniẽte calore illi putredini; colliquabatur pinguedo illius corporis ita; ut commisceretur cum, myrrha, & aloe; illa, ex qua unctione fiebat fermentatio quædam, et mistura optima; quam tunc portabant ad nos mercatores illi, furãtes è sepulchris. & hæc mumia mirandum in modum iuuabat ad conuulsionem tollendã; habebat enim hoc fermentum uim, resoluendi, & molliendi. Quam dabant etiam in potu; & maximè conferebat ad contusiones, tàm interiores, quàm exteriores. Sic igitur mercatores illi furabantur tempore noctis corpora arabum nobilium mortua; eaq; ad nos portabãt. Quod quidem arabes intelligentes; prouiderunt. Constituerunt enim, corpora locanda esse in loco tuto; nè prædarentur. Vnde non possunt nunc huc transferri.

At hi

At hi medici ignari, qui occupantur tantùm impostuis; ignorant, quæ nam sit uera mumia; & comprobãt pro uera mumia corpora illa, in arena suffocata; delata ad nos his temporibus à Nautis. Suffocantur autem in arena à uentis certis tẽporibus in itinere. Horum autem corporum aliqua uideri solent Venetijs tempore ascensionis in pharmacopolijs ualdè, nigra, & horrida uisu; & sunt maximè arida. Quare his dictis breuiter habetis, quæ nam sit uera mumia; & hæc de ea satis sint. Ad rem igitur dico; quòd, colliquatio, uel separatio; humidi à sicco; alia fit per calorem extraneum (& de hac iam diximus) alia per frigus, non per calidum; & hoc fit in his; quibus est coagulatum humidum à, calido, & sicco. Hæc enim habẽt colliquari à, frigido, & humido (ut patet de sale) deinde à calido coagulatur. Si autem reponatur in aliquo loco frigido; tũc colliquatur à frigido. Sic & alumen; quia coagulatum est per, calidum, et siccum. Sic dicendum de nitro. Idẽq; de tartaro; quia tartarus est propriè fæx uini, sicca, & petrosa; quæ adhæret uasis, quando etiam uasa sunt uacua. & hæc (maximè à uulgaribus nonnullis) appellatur tartaro, quam fæcem etiam per experientiam cognoscentes fœminæ nostræ; extrahunt oleum illud de tartaro pro cosmetica arte; scilicet ad pulchritudinem artificiosam præparandam sibi. Conficiunt autem oleum; hoc modo separantes humidũ à sicco. non enim extrahunt oleum hoc per, calidum, & siccum; sed per, frigidum, & humidum. Ponunt enim tartarum in loco aliquo humido, ut

do,ut Cella uinaria; atq; inuoluunt in panno lineo,aut in sacculo. Factaq; fouea; permittunt illum sacculum i bi pendere in fouea; quousq; liquefiat ab,humiditate & frigiditate; loci. ac inde extrahitur illud oleum, quòd dicitur oleum de tartaro. Pariter ex sulphure extrahitur oleum; & colliquatur humidum ab,humiditate,& frigiditate. Quia enim congelatum est à,calido, & sicco; liquescit igitur per frigidum. Aliqua uerò colliquantur simul &,à calido,& à frigido. Docebo autem hoc. (Quo modo scilicet possit extrahi oleum per lignum Indicum) per ueram methodum; ac propter quid extrahatur; quando aliquid sit, in quo sit humidum,tenue, subtile, ac facilè cremabile. Præterea etiam sint partes terreæ, cremabiles à calido; non potest separari humidum; quoniam calidum adureret illud humidum; quòd est, subtile, & cremabile, tenue. Vnde non potest separari humidum illud à calore ita; ut deinceps remaneat. Alioqui,& cremaretur, & absumeretur; substantia illius humidi. Nec etiam natura attingeret hoc, quia non potest; tantò minùs ergo ipsa ars. Dum ergo in aliqua substantia, pingui, aquea, tenui; aderit humidum tale; non poterit separari per calidum, nec etiam per frigidum. Bene autem in sale, &c. fiet hoc à frigido. Cùm enim eius humidum sit concretum à, calido, & sicco; ideo liquari potest per, frigidum,& humidum. Ideo in his; in quibus à,calido,& frigido, simul extrahitur humidum; oportet ut; priùs adsit calor; qui, attenuet illud humidum, ipsumq; colliquet; postea adueniat frigus, quòd

quòd extrahat humidum,à calore liquatum. Quapropter natura fecit multas res naturales huiusmodi, quẽadmodùm patet in arborum resinis, in quibus primùm calor subtiliat id humidũ;ut sunt terebinthina arbor, & abies. Vbi autem humor fuerit colliquatus à calore; postea aduenit ei frigiditas, congelans humidum illud; & congelat illud,separatum, ac iam liquatum à calore. Primùm igitur separatur à,ligno,uel arbore; humidum per calidum ipsum; deinde condensatur à frigiditate. Sic enim faciunt, qui picem faciunt. Accipiunt enim lignum illud, ex quo extrahitur pix; quod imponunt in loco subterraneo, postea ipsum supra ignem ponunt. Dum enim incalescit;eliquatur ille humor ex ligno. Sed faciunt; ut, cùm humidum illud eliquatur; cadat in fundum alicuius foueæ, non in terram planam; alioqui ignis resolueret ipsum. Sic in tempore æstiuo fieri solet eliquatio arborum habentium restnam à calore. In autumno uerò à frigore,exprimitur,& congelatur; humor ille. Sic etiam fit in metallis. Vnde nam autem fit oleum illud petroleum, scilicet ex saxo? Sunt enim quidam lapides; in quibus est humor; qui eliquatus à calore cœli; deinde, adueniente frigore hyemali; exprimitur à frigore, & destillat oleum extra lapidem. Sic de huiusmodi alijs lapidibus dicatur. & ita habetis multa experimenta per hoc nostrum uerum fundamentum. Quo nam autem modo potest extrahi ipsum oleũ ex multis lignis, ac herbis quamuis siccis, ut ex elleboro? Communiter extrahitur hoc modo. Dum hi destillant per ascensorium,

rium, uel per descensorium. Per descensorium; quia descendit quicquid destillatur. faciunt enim foramina in uase; & superiùs apponunt ignem, & circum circa. Vnde liquor, extractus ab igne, colliquatur uersus terram. Quem si uelletis extrahere per partem supernam; tunc ignis consumeret illud humidum, ut ex ligno Indico. Hic igitur est tertius modus dictus, scilicet colliquatio ad separationem humidi à sicco. Videbitis etiam postea; quo modo ex unoquoq; horum quatuor modorum oriuntur uarij modi sublimandi. Quartus autem, & ultimus; modus separandi humidum à sicco, fit per euaporationem. & est ualdè dissimilis à superiori; quia superior modus seruat humidum ipsum; at euaporatio oppositum facit, quia non seruat ipsum. Vnde fit separatio hæc ultima p ascensorium; quia uapores ascendunt. & artifices hi qui euaporationem faciunt; primò faciunt, ut quid habeat euaporare; postea ponunt supra receptaculum frigidum ad oppositum ascẽsui uaporum, ratione cuius receptaculi cõdensantur uapores illi; ex qua condensatione gignitur aqua à uaporibus illis, condensatis, & incrassatis; ab eo receptaculo infrigidato. & sic potest separari humidum per uapores, tàm à calore naturali, quàm à præternaturali. Primùm quidem à naturali calore; ut, quando somnus fit. nam tunc ascendunt uapores; sicuti declarat Arist. in lib. de somno, de causa somni naturalis; qui efficitur, quando uapores ascendunt ad cerebrum. Prætereà à calore non naturali fieri solet ipsa euaporatio; ut à calore igneo in rebus,

in rebus, extrinsecis, putridis (ueluti in fimo) in quibus à uaporibus eleuatis apparet fumus, dum per eos separatur humidum à sicco. Postea uerò uapor ille separatus congelatur à frigido (quemadmodùm ostendit Arist. quarto meteor.) Quæ corpora, cùm ita congelantur, redduntur se ipsis minora; quoniam priùs (ut diximus) calor extrahit hmidum per euaporationem; quod humidum post, exprimitur, & coagulatur; ab ipso frigido. Qua expreßione facta; omnibus patet, quòd fiant minora se ipsis. Sic igitur habetis, quo modo humidũ separatum à, calido, et sicco; per euaporationem à frigido coaguletur. et hic erit quartus modus separationis humidi à sicco. Vel p defluxionẽ igitur, uel per residentiã, uel per colliquationẽ, uel per euaporationem; habet separari humidũ à sicco, his quatuor modis tantũ. Quibus sic uisis; iam manifestũ est, quid hic intendat Auic. Qui uolens ponere differentiam inter humorem melancholicum, naturalem, & non naturalem; prout inuicèm contra distinguntur; inquit, quòd melancholicus succus, qui naturalis est; fit per hypostasim, & sedimentum. Non naturalis verò, qui propriè dicitur atra bilis; fit per resolutionem, & adustionem; caloris. *Videamus modò literam Auic.* Melancholia verò non naturalis, hæc non naturalis non fit per residentiam, sed per adustionem caloris *omnia hæc sunt nota. Postea respondet Auic. tacitæ obiectioni. Quia dicet quis; si modò melancholia naturalis nihil est aliud, quàm hypostasis humorum; ergo & alij*

alij humores; ubi, residerint, & fecerint cõsistentiam; habebunt unam partem, quæ erit hypostasis; & sic illi erunt melancholia non naturalis. Ad hæc Auic. respõdet, quòd sanguis tantùm habet huiusmodi residentiam, quæ dicitur hypostasis; non autem reliqui humores. & primò pituita; quæ est, frigidißima, crassa, & uiscida; licet faciat aliquod sedimentum, illud est minimum, & facit sicut facit oleum; quòd non facit, nisi paucißimum sedimentum, quia est omnino uiscosum. Sic ergo, nec pituita, cùm sit huiusmodi naturæ. Ideo dicit Auic. à pituita non fit residentia. Nec à bile rufa; quia est, tenuis, subtilis, ac ualdè mobilis. At sedimentum si fit; fit à re non permanente, non à mobili. Quare bilis, cùm sit ualdè mobilis, &c. non habet facere sedimentum; & residentiam. &, si fiat sedimẽtum aliquod per bilem ipsam; illud, uel putrescit, quia subtilis est, & calidus humor. Si igitur putrescit, est, quod dicitur tenue. Vel resoluitur, et aduritur, et illud erit pars crassa, quæ permutatur per adustionem in choleram adustam. Vnde ex bile flaua non habet generari hypostasis, quæ remaneat, sed, uel resoluitur, si fit; uel aduritur. Certè quicquid dicit Auic. hic, uerißimum est, et rectè dicit. Sed Moderni isti, non intelligentes Auic. inuoluunt se in mille quæstionibus prorsus extra rem. et adeò sunt nugaces, ut, cùm eos interdum uelim uidere, non poßim suas ambages legere. Verùm uideatis uos illos. Præterea aliud dicit Auic. et ponit ibi. (Melancholia autem, quæ est superfluitas) quatuor differẽtias bilis

bilis nigræ nõ naturalis, (de quibus quatuor differentijs iã diximus) prout scilicet sunt etiam quatuor humores distantes. Et primùm notate quòd; Cùm Auic. hic ponat has quatuor differẽtias choleræ nigræ non naturalis (scilicet atræ bilis secundùm, quòd possunt quatuor humores aduri, Primo à sanguine adusto, deinde à bile, et sic de alijs) non, ut medicus; sed, ut Speculator, et Philosophus, ponit naturã effectuum omnium horum. et ita se implicat, quia transcendit genus proprium. Vnde, si moderni inter se adeò pugnant; quid mirum? Auic. tamen, considerans naturam horum humorum; non discedit quidem à methodo sua. Sed, utrùm sit deceptus circa motum naturæ; uidebitis uos; dum, ultra quatuor species humorũ uarias, non progrediatur; sed, scribere, ac naturam ipsorum considerare; desistat singulorum. Videbat enim, sanguinis naturam esse, benignam, dulcem, suauem, ac mitem; ideo dicit, quòd adustio melancholiæ à sanguine; dulcis est, ac benigna, quo ad dulcedinem, & omnes moderni hac in parte nugantur. & Auic. fuit deceptus in hoc; nisi hoc dulce sumatur pro dulcedine illa à ligno dulci. Verùm, ubi sanguis aduratur, per quam adustionem fiat deinde melancholia; tunc non est dulcis; immo, acris, erodens, et feruens super terram. Sed, quare Auic. dicit ita? Quia melancholia per adustionem sanguinis est, dulcis, & suauis, &c. sicut & ipse sanguis. Vt autem ingenuè fatear; dico, quòd Auic. fuit uir maximus; & eum maximè uenerror; quia fortè me plus docuit, quàm docuerit Gale-

nus. & hoc ſcio; quòd quicquid habeo ab ipſo; fateor me habere in modo dicendi. Videatis (quæſo) quo modo uult; à ſanguine ſuccum melancholicum nigrũ non naturalem fieri; &, quòd habeat de dulcedine. Inquit, Sicuti & acetum, quod fit ex uino dulci; dum aceſcit uinum illud, primùm fit acidi tas. *Tamen dicit; quòd ſemper ſeruatur quid de dulcedine in communi. Quoniam igitur uidebat Auicen. ſanguinem eſſe dulcem; qui, quando aduritur; per eius aduſtionẽ fit ſuccus melancholicus ex eo putreſcente, tamen in eo remanet quid, de pituita, & de dulcedine; quia eſt in tali ſanguine pars aliqua, quæ nõ poteſt aduri propter rebellionem. Ideo melancholia, facta ex ſanguine aduſto; habet de dulcedine. Dico, quòd diſcurſus hic eſt bonus, & uiri quidem docti; tamen non rectè dicit in hoc Auic. Nam primùm; hoc dictum, ſeu uerbum; uidetur eſſe ad placitum dictum, quia pro ſe nulla eſt authoritas illud confirmãs. Præterea uidetur eſſe contra naturam rei; eò, quia acetum quidem in aliquibus aſſimilatur ſucco melancholico, non tamen in omnibus. Nam ſuccus melancholicus fit ex ſanguine. & antequàm fiat, priùs fiunt plurimæ alterationes. In primis enim ſanguis redditur craſſus per aduſtionem; quemadmodùm habetur in ſecundo de diff. feb. Poſtea ex eo fit tranſitus ad oppoſitam naturam; uidelicet à craſſitie ad ſubtilitatẽ; dum magis aduritur, ita; ut reddatur tenue ſuper terreum. Cùm autem per aduſtionem redditæ ſint partes eius ſubtiles; exhalat ex eis omne dulce. Præterea*

nec in ſanguine eſt dulcedo illa, quæ percipitur in uino dulci; quoniam in ſanguine eſt remiſſa dulcedo; quæ quidem facilè, exhalat, & tranſpirat. Ideo quòd naturam rei; non poteſt eſſe uerum dictum Auicen. Immo, Galen. & omnes clariſſimi Viri; dicũt, quòd ob hanc differentiam cognoſcatur huiuſmodi melancholia aduſta, atra facta ab aduſtione ſanguinis. Quia aceſcit illa atra bilis, ita ut percipitur in illo humore melancholico aciditas. Quare (quicquid dicat Aui.) modò dico; quòd, dum uult humorem melancholicum non naturalem, factum per aduſtionem ſanguinis à calore, dulcem eſſe; non eſt uerum. At de reliquis uerum dicit; uidelicet, quòd ſanguis habet dulcedinem ſuauem benignam. Nam; ſicuti cinis, factus ex ligno dulci, ut ex ſalice melior eſt, non ita acris (reſpectu alterius) ut & cinis, qui fit ex ligno forti, ut ex quercu; Sic pariter uerum eſt, quòd in aduſtione ſanguinis fit. Nam cinis ex ipſo ſanguine per talem aduſtionem fit; qui quidem cinis reſpectu alterius cineris alterius humoris aduſti in ſe mitior eſt; quemadmodùm & ſanguis ſine aduſtione mitior eſt reſpectu aliorum humorum. ſic inquam cinis ſalicis reſpectu cineris facti ex quercu, benignior eſt, & magis mitis. Quia cinis ex quercu eſt acrior, ſicuti & quercus ipſa. In hoc quidem igitur rectè loquitur Auic. ſecundùm rei naturã. Poſtea dicit Auic. quòd fit ſuccus melancholicus non naturalis à bile flaua factus per aduſtionem, qui eſt amarus. *ſic enim dicit Auicen. Quod tamen eſt contrarium ipſi Gal. quoniam Gal.*

loquens de melancholia non naturali,orta ex sanguine per adustionem; non dicit eam esse dulcem; sed hanc appellat bilem,atram,acrem, & erodentē. Immo dicit; omnem atram melancholiā,acrem esse,erodentem, & acidam. Sed Auic. ponit hic melancholiam,factam ab adustione bilis rufæ, esse amaram; licet nullam habeat pro se aliam rationem. & inquit Galen.quòd bilis, dum incipit aduri; redditur amara. Si uerò postea magis aduratur; partes; quæ in ea sunt siccæ,& terreæ; quantum amittunt de crassitie,tantum etiam bilis illa amittit de amaro. Si uerum est, quòd sapor amarus in succo terrestri, & crasso sit (modò per adustionem ulteriorem subtilietur succus talis crassus)dubio procul perdet de amaro. Quoniā nec bilis est uerè amara; sed ēt habet secum de acrimonia. Quia habet partes subtiles; quæ, si ulteriùs adurantur; fiet bilis illa tunc,acris,acida, & erodens simul; non autem amara. Sic dicit Galen. Decipitur igitur Auic.cùm amaritudo fundetur in substantia, terrea,crassa.Postea sequitur Auic.et dicit, quòd melancholia non naturalis, facta per adustionē succi melācholici naturalis; per adustionē est acerba. et in hoc ēt decipitur,quoniā ponit per sua principia uera;ēt sua principiata sic esse. Quod tamē nonest.et utinā talis melancholia non naturalis à melancholico succo esset acerba. Quia, si acerba; non eroderet membra,per quæ transit.Satiùs igitur esset, ut esset acerba,& astringentis naturæ. Sed dico hāc melancholiam non naturalem, factam per adustionem

succi

succi melancholici naturalis, pessimam esse omnium; nam summopere erodit,& comedit; membra. Vnde ab ea fiunt cancri ulcerosi, qui ullo modo non possunt consolidari; qui morbus appellatur noli me tangere. fiunt enim,pessima,& deterrima; ulcera ratione suæ nimiæ acrimoniæ, quæ fundata est in substantia ualde crassa. Qua de re aliarum specierum melancholiæ non naturalis,pessima dicitur. habet etiam secum, & acrimoniam,& acerbitatem; in substantia crassa. et, si comparetur melancholia nigra,facta per bilis rufæ adustionem; huic melancholiæ atræ, genitæ ex succo melancholico; hæc erit peior, quæ scilicet fit ex melancholia naturali; ratione suæ crassitiei. Quæ, ubi semel fuerit in membro; corrodet illud mirum in modum,persistet ibi,nec facilè pertransit. Vnde sua mala qualitate sic afficiens membra; generat,aut leprā, uel elephantiasim, aut cancrum ulcerosum; quæ minimè curari possunt ob nimiam acrimoniā, fundatam in substantia huius melancholiæ atræ crassæ. Cū igitur corrodat; de necessitate calor,siue naturalis, siue complexionalis; membri superatur; & sic succumbit membrum,tali,uel tali; morbo. &, si adhibeantur remedia, nihil prosunt; quia calor, membri, & loci affecti; redditus debilis ab huiusmodi acrimonia; non potest agere simul cum medicamentis in materiam illam,sæuam,& uenenosam. Immo talia auxilia adiuuant tunc ad augendum morbum ipsum. Vlcera uerò, quæ fiunt ex melancholia atra, facta per adustionem bilis flauæ; appellantur phagedenæ. & (ut apertius loquar;

loquar; ut omnes intelligant; ſic enim interdũ oportet loqui) dicuntur hæ phagedenæ, morbus ſancti Antonij, & morbus ſancti Lazari; qui à Græcis dicuntur, phagedenæ, uel chironia cacoethe; quæ fiunt ex melancholia nigra per aduſtionem bilis erodẽte membra; in quibus reperitur, & pertranſit. & etiam ab hac fit ille morbus, qui appellatur il male della loua; qui tamen morbi perſæpe, ſanantur, & curãtur; igne. Sed cancer ulceroſus; qui fit ex melancholia non naturali, facta per aduſtionem melancholiæ naturalis; non poteſt curari. &, ſi curantur huiuſmodi cancri; hoc raro contingit. At phagedenæ bene poſſunt ſanari; licet ſunt etiam ulera peßima. Vnde; ſi comparetis hunc humorem peßimum melancholicum nõ naturalem à bile flaua aduſta, cum melancholia atra à melancholia naturali; multò peior eſt, qui fit ex melancholia naturali aduſta; quàm, qui ex flaua bile per aduſtionem. Vlcera igitur ex atra bile per aduſtionem melancholiæ non naturalis non patiuntur curationem. In his igitur optimè dixit Auic. Poſtea dicit Auic. quòd datur alia quædam atra melancholia per aduſtionem in pituita; quam appellat, modò ſalſam, modò acidam. & in hac parte Auic. imaginatur multa, quæ minimè ab eo erant dicenda eò, quòd nõ fiat ex pituita melancholia non naturalis. &, ſi fieret; quippe illa, melancholiæ atræ ſpecies; mitior eſſet, et minus ſeua; quàm aliæ antedictæ; ſed tamen, tardior, et diuturnior; in curatione. Benigna quidem eſſet reſpectu aliarum, ſed tardior in curatione; quia humor

ſuus

ſuus (ſcilicet pituita, ex qua fit, ſi fieri ponamus) eſt humor, frigidus, craſſus, lentus, &c. & hæc ſatis dicta ſint de his, quæ dicit Auic. Vnde; ſi modò uidebitis modernos, poſtquàm noſtram expoſitionem habuiſtis; ſcio, quòd quàm celerrimè eos aufugietis cum ſuis, & quæſtionibus, & nugis. Vltimò proponit Auic. tria etiam dubia humorum. Quorum primum eſt; utrùm ſanguis ſit ſolus in corpore tantùm, an plures humores. Secundùm; cùm ſit plurimus ſanguis in corpore; utrùm maneat corpus optimè conſtitutum. Tertium; an, exiſtente proportione debita quatuor humorum; tunc adſit ſanitas de neceßitate in corpore. Quo ad primum; uideatis, primum librum de natura humana, ac ſecundum de elementis; quibus in locis uidebitis omnia diffusè (nè uos diutiùs detineam. cùm per uos poßitis uidere) ubi, Hipp. & Gal. arguũt contra antiquos, quòd ſanguis ſolus non ſit in humano corpore. Quæ omnia etiam nos probauimus in principio de humorum ſermone. Sed pleniùs, & meliùs; uidebitis in primo de natura humana. Sanguis igitur non erit ſolus in corpore humano. Ad ſecundùm; an, ſi ſit ſanguis plurimus in corpore; tunc, & exiſtat, et optimè degat; conſtitutum? Dico; quòd non; propterea, quòd ſanitas non conſiſtat in multitudine; ſed in bonitate, & in optima ſubſtantia, & qualitate. Quia, quando ſanguis attrahitur cõgeſtus à calore naturali ad membra; tunc in corpore eo erit ſanitas. licet ſanguis non ſit plurimus. Sanitas igitur non ſtat in multitudine; quoniam ſepè ob multitudinem ſanguinis ſuf-

 focatur

focatur ipse calor innatus. & fit peßimus status; qualis dicitur esse habitus athletarum, adeò improbatus ab Hippoc. & Gal. Sed manet in sanguine perfecta sanitas; et in ea quantitate quæ sufficiat pro uita; quẽ admodùm dicere solemus de lampade ardente; quæ quantitatem olei sibi uendicat, qua clarè luceat, non plurimam quantitatem. Quia, si plus de oleo imponatur, quàm conueniat; non poterit ardere. Sic igitur dicendum de quantitate sanguinis pro uita alenda. Ad tertium, utrùm, existentibus quatuor humoribus proportionalibus (ut uerbi gratia tãtum de pituita, quantum de sanguine; ut pituitæ unc. iiij. sanguinis, totidẽ, pariterq; dicendum de duobus alijs) quæ proportio sit debita; tunc existat sanitas in corpore illo? Dico, quòd non de necessitate. quia potest esse proportio optima omnium quatuor humorum; tum, quòd eorum qualitas sit mala, & non debita; tum, quia peccet, aut in plus, aut in minus. Conuenit autem ad sanitatẽ habendã proportio bona. Sed hoc sufficit, eò, quòd præter hoc, concurrit debita quantitas ipsorum humorũ. Præterea circa materiam talem de melancholia solẽt moueri multæ quæstiones (quæ, ut pertractentur; magis conuenunt philosophis, quàm medicis) uidelicet, utrùm humores sint anima; &, utrùm pituita, in cerebro existens; sit eadem, quæ est in uentriculo, eiusdemq; sit rationis. Præterea; utrùm bilis; existens, in uentriculo, et in hepate; sint eiusdem rationis. his peractis; deueniemus modò ad aliud caput, uidelicet de causis generationis humorum. Vbi, pulcherrima, & utilißima;

utilißima; uidebimus. Annotabimusq; errores Auicennæ; in quo capite nonnunquàm decipitur.

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN primæ, doctrinæ quartæ.

De Humoribus. Cap. Secundum.

LECTIO. XXXIX.

NVTRIENS masticatione. *Vidimus in præcedenti cap. quomodò Auicen. tractauerit de omnibus humoribus. Nunc autem agit de causis generationis humorum; & seruat eandem regulam, quam seruat in omnibus alijs; ab uniuersalibus ad particularia progrediens. & in hoc cap. primò speculatur causas uniuersales humorum. Postea inuestigat causas singulorum humorũ particulatim. Tertiò; causas excrementorum ipsorum humorum, ut uidebimus. Quartò inuestigat nonnullas paßiones, quæ consequuntur ipsos humores. & hæc breuißimè tractabimus; & uidebimus, quàm sint consona ueritati uerba Auicennæ. Et primò ait; quòd* omnes humores generantur in hepate. *Vbi enim alimentum defertur ad hepar; ibi generantur omnes humores. Sed, quoniam hoc alimentum extra defertur; propterea incipit ab illo, quòd extra defertur, & ponit aliquas alterationes; Sed primò in ore, secundò in uentriculo, tertiò in hepate. Ideo de his tribus alterationibus sigillatim tractat, & primò de illa, quæ in ore fit. & sciatis; quòd nutriens*

nutriens tribus modis, fit, & dicitur; ut secũdo de facul. nat. primo. Nutriens pro ut actu nutriens est; ut humor secundus; qui iam, extra uenas est, & sparsus in membris, aut affixus, & concretus in membris, ut iam iam aßimiletur, aut nutriturus est; sed nondum exiuit è uenis, ut sanguis. Cibus autem est materia nutrimenti, & ueluti rudimentum. Vocatur tamen nutrimentum; quia futurus est nutrimentum. Sed remotè dicitur nutrimentum; de quo hic loquitur Auicenna. & hanc posttionem propositam probat, tũ à priori, tum à posteriori. Primò à propria facultate, & causa; & inquit nutriens manditur in ore, et, quia cibus manditur in ore, & os continuatur cuti uentriculi, Ideo aliquam accipit alterationem in ore. & talis est consequentia. Dicet autem quis; non intelligo hanc consequentiam. Notetis, unde oriatur uis consequentiæ. Sanè una quæq; facultas (ut primo de facul. nat.) est in membro, quod habet talem facultatem; & non est, in calore, aut alio. Vt facultas sanguificandi est in substãtia hepatis; & hæc facultas sequitur temperaturam huius membri, cuius ultimum gradum nullus cognoscit. Bene enim scimus, dicere, quòd hoc sit calidum; sed, in quo gradu, non cognoscimus. & hoc meritò cuiusdam rectæ tẽperaturæ. In membro, & in uentriculo; est uis concoquendi, & unumquodq; membrum quomodo habeat in propria substantia, ut concoquat. Postea calor naturalis, uel spiritus; non agit; sed est instrumentum facultatis. Nam uirtus membri indiget eo nutrimento. &, si fuerit plurimus

plurimus calor, & temperatura eius uentriculi non fuerit bona in sua substantia; ut facultas propria, non optimè fungeretur suo officio, licet corroboretis calorem. Si non sit bona temperatura; nõ faciet bonam concoctionem. & è contrà. Si sit bona temperatura, & non sit caliditas, & proprium instrumentum conueniens suæ facultati; non faciet bonã concoctionem, &, quòd dico de hac uirtute; dico de alijs. &, cùm hæc duo requirantur; Auic. probat primò à facultate. Quia, cùm in substantia membri sit facultas; ex quo est, una, & eadem; tunica; est unita cum, membro, & ore, & eiusdem substantiæ. &, cùm sit, una, & eadem; substantia, habet easdem facultates. Sed dices, quòd hæc tunica sit tunica interior uentriculi, & non exterior. Sed tunica interior est neruosa; exterior carnosa, quæ habet uim concoquendi. Sed hæc non continuatur ori; & interior habet, ut attrahat. sed sciatis, quòd in tunica interiori est uis concoquendi. Cuius signum est; quoniam in fundo uentriculi, in quo fit melior concoctio; est carnosior, & craßior; quàm sit in, gutture, & ore. & non oportet dicere, quòd faciat hoc propter caliditatem; sed, quòd agit propter gradum temperaturæ, nobis incognitum. Nam cor in se est frigidißimum, est enim neruosum; tamẽ in sua substantia generatur totus calor, qui est in toto corpore. & facultas procedit à temperatura; quæ, frigida, & sicca; est; Non autem possumus aßignare gradũ temperaturæ. Nam magnes attrahit ferrum à propria temperatura; sed illa temperatura est nobis incognita. &

ta. & dicit Galenus. Si cognoscerem gradum temperaturæ determinatum; crederẽ, me esse Aesculapium. & sic Auic. probat à propria facultate. Quoniam, cùm habeat eandem substantiam; consequenter eandem facultatem. & sunt omnia facilia ex dictis. Audiatis modò secundum argumentum, factum à priori, id est à calore, tanquàm instrumento. nam saliua est in ore; in qua est calor innatus, qui est proprium instrumentum coctionis. & propter calorem innatum fit concoctio. Non autem ponit alia duo argumenta à signo; nam probatur duobus signis. Primò enim si; mandimus triticum; habemus optimum medicamentum pro maturandis apostematibus. tamẽ, si hoc idem triticum decoqueremus in aqua; non haberet eandem uim maturatiuam. Secundum signum est ab, odore, et calore. Si enim mandimus panem; non habet eundem, calorem, & saporem; ut dicitur tertio de facult. nat. 6. et oportet notare (ut dicit Gal. quarto de usu partium, 16; et in lib. de cibis boni, et mali succi, circa medium) quòd præparauit natura propria instrumenta singulis facultatibus. Ad sanguinem enim præparauit hepar; et ad facultates animales cerebrum. et natura posuit eandem facultatem in instrumẽtis præparatorijs, quæ est in principalibus, ut nõ esset aliquid ociosum; ideo prouidit natura; ut in, ore, et æsophago; esset uis, conficiendi cibum, et præparandi. Sic et intestina præparant nutrimentum, sic et uenæ meseraicæ præparãt chylum pro hepate; et in singulis partibus ita sunt facultates omnes, attrahendi, retinendi, concoquendi,

coquendi, expellendi. et sic natura fuit sollicita de his facultatibus. et, si consideretis; quàm fuerit prouida natura, cognoscetis. Nam primò præparauit nutrimentum; & fecit, ut animal non appeteret; nisi illud, quod est iam præparatum; ut sunt fructus; qui non appetuntur; nisi, cùm sunt maturi. & si non sunt præparata naturaliter, ab arte parantur. & semper est quidam chorus, ut cibus ipse continuè præparetur; licet Arist. in his non sit ita institutus. Nam secundo de partibus animalium, cap. 2; dicit, quòd in ore nulla fit concoctio; et dicit, quòd os præparat cibum, terendo ipsum; & talis est utilitas, & Arist. minus fuit instructus in arte medica; quàm, Galen. & Auic. ideo semper est credendum cuiq;, suæ artis perito. & hoc nutriens semper fuit præparatum in ore; & in uentriculo concoquitur perfecta concoctione usq; ad ultimam formam ptisanæ. & dicit, hoc non fieri tantùm propter calorẽ uẽtriculi; quia præsupponimus etiam esse facultatem. At dicet quis; Ex quo supponimus esse necessarium instrumentum. Sed, quando indigemus fortiori actione; indigemus etiam fortiori instrumento. & ; cùm in uentriculo debeat concoqui cibus, indigestus, & rudis; tamen in uentriculo est parum de calore, quoniam est nerueus. & dicit Auic. quòd diaphragma supra affert calorem; quoniam est repletum venis, & dat caliditatem ventriculo, à lateribus est hepar; quod est tanquàm stratum ipsi vẽtriculo, alia ex parte est splen. *At dicet quis; Splen est frigidus (inquit Auic.) licet autem*

*autem ſit frigidus in ſua temperatura; tamen eſt re=
fertus, ſanguine, et uenis. præterea habet zirbum, re=
fertum plurimis uenis. præterea multa ſunt conſer=
uantia calorem uentriculi; eſt enim plurima pingue=
do in ipſo omento; et ſunt muſculi exteriores, qui con
ſeruant ipſum calorẽ, ideo uẽtriculus habet calorẽ in=
natum multũ ita, ut poßit fieri optima cõcoctio ipſius
nutrimẽti; alioqui, inconcocti, et rudis. et ita dicit Aui.
(poſtquã uoluit totã hiſtoriã explere) quòd poſtquàm
concoctum eſt alimentum in uẽtriculo; fit ſuccus qui=
dam, qui eſt ſimilis ptiſanæ. Ita eſt in corpore anima=
lis quidam chylus. & dicit, quòd in quibuſdam anima=
libus adiuuat ad confectionem huius chyli illud, quod
bibitur. & dicit (in quibuſdam animalibus) quo=
niam ſunt quædam animalia, quæ non bibunt, aut pa=
rum; tamen talia animalia ueſcuntur cibo humido.
Quoniam omnis ſuccus ptiſanarius, ſi debet nutrire;
debet eſſe humidus. Quoniam, quæ nutriunt; debent
eſſe actu humida, ut dicit Ariſt. & nè intelligatis il=
lud (plerunq;) quòd illud non fiat interdũ chylus (quo=
niam ſemper fit chylus) ſed referatis illud (plerunq;)
ad aquam. & ualdè impropriè loquitur. Dicit autem;
quòd, ubi ſit confectus cibus ptiſanarius; attrahitur à,
uentriculo, & inteſtinis; per uenas meſeraicas. et ſunt
nonnullæ uenæ circa fundum, uentriculi, & inteſtini;
quæ attrahunt ipſum chylum ad hepar. et hepar tra=
hit huiuſmodi alimentum per has uenas, tanquàm per
brachia; quoniam eiuſmodi uenæ ſunt ueluti brachia
ipſius hepatis, per quæ trahit chylum. Et hæc omnia
ſunt*

*ſunt enarrata in quarto de uſu partium à Gal. et Aui.
dicit, quòd* vbi iſtæ venæ ſunt repletæ; portant
omnia hæc collecta ad vnum locum. nam
vniuntur ad venam magnam; quæ dicitur
porta, *& imaginemini hepar eſſe urbem; quæ ha=
bet portam, per quam ingreditur totum nutrimẽtum.
&, cùm nutrimentum eſt in illa nena magna; quoniam
uis generandi ſanguinem eſt in hepate, & non eſt in
uenis; ideo fuit neceſſe, ut diuideretur alia uena ma=
gna in paruißimas portiones, quæ trãſeunt per totam
ſubſtantiam hepatis. Quæ poſtmodùm uniuntur; &
faciunt unam uenam, quæ caua dicitur; quæ diſtri=
buitur in totum corpus. At dicet quis; Quo modo po=
teſt penetrare chylus, alioqui craßior, per uenas tam
paruas? Dicit Auic. quòd illa portio potiùs adiuuat ad
penetrationem. &, quoniam aliqua animalia rapacia,
habent meſeraicas admodùm breues; ideo à natura ijs
non datus eſt potus, quoniam non egent tali potu. Ha=
ctenus Auic. optime proceßit; Sed nũc uideamus, quid
dicat. Deduxit nos ad hunc punctum; ut cibus iam de=
uenerit ad hepar, & amplexus ſit chylus ab hepate,
& modo factus ſit ſanguis. et, cùm factus ſit ſanguis
neceßitate materiæ, ſequitur neceſſariò, ut fiant qua=
tuor partes ex illo ſucco.*

Ponit Auic. *et dicit; quòd omne ſedimentũ in om=
ni ſucco tendit deorſum, ut melancholia naturalis per
hypoſtaſim. Nos autem ponimus, aliquod ſedimentum
fieri per aduſtionem; ſed tale non eſt naturale. Sed di=
catis, quòd confundit melancholiam, naturalem, et non
naturalem;*

naturalem; et dicit; quòd naturalis est; quæ fit in loco, ubi sanguis concoquitur; ubi non fit adustio; sed tantummodò calor naturalis, agit et cõcoquit sanguinem in hepate; et subtilis pars fit bilis, crassa fit melancholia. Vbi autem contingit adustio; fit cholera, mala, et flaua, siue uitellina, siue æruginosa; et talis fit ex adustione partis subtilis. pars uerò crassa, si aduratur; fit melancholia non naturalis. et audiuistis, quòd omnes humores naturales fiunt à calore naturali, non naturales à calore præternaturali; ut uidimus superiùs, et ideo stant cum fundamentis Galeni. Quarta pars huius succi dicitur sanguis, et duo sunt humores naturales. Tertius humor dicitur sanguis. Quarta pars est illa, quæ non est bene concocta. At quæret quis; Cùm humores quatuor in hepate generentur; cur dicimus, locum pituitæ proprium esse uentriculum? De pituita enim, improprie dicta, quæ generatur in multis partibus corporis, etiam num in capite; nunc non loquimur. Respondet Auic. eam partem, quæ non uertitur in naturam sanguinis in hepate; dici pituitam. & hãc non esse excrementum sanguinis; quia est sanguis non coctus. & dicit Auic. quòd est illa pars, quæ non est bene cocta. & ideo optimè dicit Auic. in hoc loco. Aduertendum tamen, cum dicimus pituitam crudam; dici crudam, quoniam effugit cõcoctionem hepatis. Quoniam pituita ita se habet; ut effugiat, coctionem, & conuersionem in sanguinem. & dicitur pituita cruda; quando effugit coctionem in uenis, quia iam effugit intentum naturæ. et, cùm in uenis non uertatur in sanguinem;

guinem; dicitur meritò cruda, quia non concoquitur. Quoniam effugit coctionem; quando deberet concoqui. Sed in hepate debet esse cruda; quoniam seruatur tanquam thesaurus pro usu. et oportet aduertere; quòd mouentur multæ quæstiones. Nonnulli enim dicunt; quòd, Auic. et Galenus; posuerunt quatuor humores, cùm tamen sint quinq;. Quoniam est aquositas sanguinis; qui quidem est humor, et habet suos usus. Si tamen aduertatis ad mentem Galen. secundo de facul. nat. cap. 9; dicit, quòd quò ad nutrimentum sunt excrementa. et, quòd nihil aliud exquirũt; quàm, ut expellantur è corpore. Sed omnis humor est, in quod in primis nutriens conuertitur; ergo oportet, ut humor nutriat. Ideo serum, cùm non possit nutrire; non erit humor, quoniam non conuenit illi definitio humoris. & sic clara erit sententia Auic. Et, ut habeatis omnia; plurimùm utilis est cognitio harum serositatum. Ideo bene aduertatis; nam Gal. 6. Epidem. sec. 2. circa finem; dicit serositatum, quandam naturalem esse, quandam non naturalem. Naturalis; quædam est excrementum, quod redditur propter potum. nam animalia indigent potu; ut cibus attenuetur. &, nisi adderetur potus; chylus nõ penetraret usq; ad hepar. et, cùm transit per uenas capillares transit. Ideo oportet, ut adsit quoddam aqueum, dilatans hoc nutrimentum; ut possit penetrare hæc aquositas. Dicitur naturalis. Quædam est in singulis humoribus propria. & nullus est humor, qui non habeat aliquod serum proprium secum. nam & succus melancholicus

habet ſerum hoc. Et, ſi non eſſet hoc ſerum; non poſſet fieri acidus, ut dicit Gal. in loco allegato. & quilibet humor habet ſuum ſerum; & non uidebitis ſanguinem, quin etiam adſit ſeroſitas. & hæc ſunt duo genera ſeri. Vnum, quod eſt ex potu. Alterum; quod eſt pars tenuis humoris. Sunt modò alia, & ſunt, quæ fiunt propter putredinem; quando humi dum intrinſecum extrahitur, uel per aduſtionem, uel per putredinem. & hæc ſeparatio fit per colliquationem; Primò autem fit per defluxum. &, cùm eſt per aduſtionem; tunc aquoſitas exprimitur, uel ex tota maſſa ſanguinis, uel ex aliquo humore. & tale ſerum facit ulcera maligna; ut tertio de cauſis ſymp. Primò igitur, quòd hæc genera ſeri faciant proprias ægritudines; manifeſtum eſt. Quoniam ſerum, ſi fuerit naturale; ubi retinetur in corpore; facit hydropem. Sicut uidetis contingere in corporibus, ubi propter obſtructionem, factam in uenis emulgentibus, ſic retinetur ſeroſitas humorum naturalium. Secundo modo faciũt puſtulas in corpore; & eſt aquoſitas, quæ nõ poteſt expelli è corpore, & deuenit ad cutim. Sed, ubi eſt ſerum, per colliquationem extractum; ſi detinetur intra uenas, facit febres continuas. ſi extra uenas ſupra muſculos; facit febres intermittentes, ſi ad certa loca; facit inflammationes. ſi ad alia loca; facit diuerſa ulcera maligna. & ſic habemus de iſta aquoſitate ſanguinis, tum, quòd ſit ex toto genere præter naturam quantùm ad hoc, quòd non nutrit; tum quod harum ſint plura genera, alia naturalis, alia non naturalis.

ralis. Non naturalem; dicunt Græci ἰχῶρα. Naturalem autem; ὀῤῥὸν. Ichor autem; à nobis dicitur ueluti ſanies. Et talis ſeroſitas diuerſificatur pro diuerſitate humoris, cuius eſt aquoſitas. Et non eſt uerum (ut uerba ſonant Auic.) quòd talis ſeroſitas tanquàm ſpontè tendat ad renes. Quoniam renes attrahũt ſua facultate ipſam ſeroſitatem; & talis aquoſitas tranſit per ambitum omnium uenarum. Et huius ſeroſitatis una pars expellitur per urinam; alia pars expellitur per ſudorem. Et nihil aliud eſt ſudor; quàm hæc ſeroſitas. &, ubi eſt plurimũ de hac ſeroſitate; eſt plurimũ de ſudore. Modò adeſt ſecunda pars huius cap. hactenus enim egit de cauſis uniuerſalibus humorum; nunc uerò agit de cauſis particularibus humorũ particularium, & primò de ſanguine. Et per potum intelligatis potum, uini; & non aquæ, quæ nihil nutrit. Et notetis, quòd cùm dicitur, quòd forma ſanguinis eſt decoctio; intelligere debetis decoctionem bonam; prout eſt, terminus bonæ decoctionis, & terminus boni ſucci, & deuenit ad proprium terminum. In hepate enim efficitur ſanguis; & forma ſanguinis acquiritur per illum motum. Sic ergo exponatis. Concoctio bona; id eſt finis bonæ concoctionis. Choleræ autem rubeæ. Et notetis modò; quòd iſti errant, ſequentes Auicennam; quoniam aſſumunt principium malum. Iam monſtrauimus, quòd humores materiales fiunt à calore naturali. Sed hic dicit Auicen. contrà. Naturalis quidem fit ab igneo; ſed non naturalis à quonam fiet? Præterea, Videmus; quòd cor-

pus, temperatum, & ēt frigidius; habet bilem. et, quod Auicennam decepit; fuit, quòd non aduertit necessitatem materiæ. & uidemus, quomodò necessitas materiæ iungitur cum necessitate finis; & erat intentum à natura, ut generarentur omnes humores. Necessitati autem huius finis Deus adiungit necessitatem materiæ, ut dicit Gal. contra Mosem; qui ponebat, necessitatem finis, & non necessitatem materiæ. & arguit etiam contra Democritum; qui ponebat necessitatem agendorum ex necessitate materiæ. Sed Deus gloriosus elegit materiam; quæ haberet hanc necessitatem, quæ iungeretur cum necessitate finis. &, cùm in hac materia sint partes dissimiles, & agens sit idem; ex parte crassiori, & terrestriori; fit melancholia; ex subtiliori autem fit bilis. & omnia terminantur; quando agens temperatum est, & materia conuenientes. & eos uidemus homines optimè degētes, qui utuntur materia conuenienti. &, si agens fuerit conueniens, & materia non sit proportionalis; humores non erūt naturaliter dispositi. Et in generatione bilis ponebat Auic. calorem igneum; cum tamen fiat à necessitate materiæ. Nam hoc etiam ipsum cogitur Auic. concedere. &, si augeatur calor, & ignescat; fit plus de bile. & totus error Auic. fuit, quoniam non aduertit necessitatem materiæ. Ex superfluitate decoctionis non fit bilis naturalis; sed ex decoctione moderata, et temperata, & id, quòd diximus de generatione bilis; idem iudicetis de generatione pituitæ. & generatur à calore diminuto. Sed hoc est falsum;

falsum; quia calor naturalis agit. &, si peccet calor, & sit minor; generatur plus de pituita; sed non est naturalis, quia naturalis non peccat in quantitate: Modò Auic. cùm dixerit, quòd alij duo humores (scilicet bilis, & pituita) generati sunt à calore immoderato; dicit, quòd melancholia naturalis generatur à calore temperato, & non naturalis à calore igneo. & optimè dicit, cùm tamen superiùs aliter dixerit de alijs humoribus. & aduertatis ad hunc locum; quia fecit errare multos uiros. Dicit enim; quòd generantur, aut propter materiam, & debilitatem splenis. Quantùm ad caliditatem uehementem; hoc uerum est de melancholia non naturali. Quantū uerò ad debilitatem splenis; imbecillitas eius multiplicat melancholiam in corpore, quoniam non attrahit ipsum humorem melancholicum; non; quòd generet ipsam, quoniam generatur in hepate. & dicit Auicen. quòd propter uehementiam frigiditatis generatur melancholia. Sed frigiditas, quatenus frigiditas, generat melancholiam. nam pituita, generatur à frigiditate; quoniam humores sunt crudi ex generatione pituitæ. &, si frigiditas adiungatur siccitati; generatur melancholia. Sed adnertatis; quòd complexiones, frigidæ, & siccæ; generant plurimum de melancholia; sicut senum; qui, frigidi, ac sicci; sunt. & hi abundant succo, melancholico, & pituitoso; propter cruditatem. Ex succo melancholico generatur; quoniam quodq; generat sibi simile, & nutritur simili. nam ossa generantur ex succo melancholico;

& eo nutriuntur. Nam (ut monstratum est) unumquodq; corrumpitur à contrario; & nutritur, & generatur; à simili. & sanguinem, tandiu alterãt; quàm diu uertunt ad suum, frigidum, & siccum, & membra, frigida, & sicca; debent nutriri succo, sibi simili. & non sequitur propter hoc; quòd omnis temperatura, frigida, & sicca; generet melãcholiam, sed à determinato gradu caliditatis.

LECTIO. XL.

VIDIMVS *hactenus, quemadmodùm exposuit Auic. tàm causas uniuersales humorum, quàm particulares. & uidimus; quæ nam esset causa efficiens humorum. & uidimus; in quibus descrepat, à Galen. & à rei natura; maximè in causis efficientibus. &, cùm numerasset singulas causas; tandem unum uniuersale protulit. & dixit* omnes humores generari à frigido, & calido *sed hoc erat satis cõfusum; quoniam & alia mista generantur à calido, et frigido. Sed hoc non erat docere causas generationis humorum; nisi, quatenus dixit, quòd habet causas communes cum alijs generabilibus, & dixit; humores fieri à calido, & frigido; cũ alijs causis, & uidimus; quomodò Auic. tenebat, pituitam fieri à frigido. Si autẽ frigidum maximè intendatur; fieri melancholiam. Sed nos dicebamus; quòd frigiditas, quatenus frigiditas, non generat humorem melancholicum; quoniam frigiditas non facit aliquam concoctionem, sed solummodò cruditates. & uidimus; quòd Auic. superiùs ponebat, hunc humorem fieri à calore naturali; & ideo sequitur, quòd nullus succus fiat à frigiditate, quod tamen dicit hic Auic. qui dicit; quòd, quando aliqua frigiditas aduenit alicui humori (ut dicit Arist. quarto meteor.) quia plurima est; exprimitur humidum, sicut uidemus separari humidum à sicco. & sic humidum exprimitur. et sic exprimitur per frigiditatem exprimentem. et imaginatur; quòd, quando aduenit maxima frigiditas humori alicui; exprimat humidum, & restet materia sicca. Tamen, si hoc uelitis profundiùs considerare; hoc non dicit Arist. sed solùm dicit, exprimi quasdam partes uaporosas. & non exprimitur humidum excrementitium, sicut in succo melancholico; quòd calidum semper, magis, ac magis, indurat. Ideo non possumus dicere, quòd melancholia sit congelata per frigiditatem, cùm non dissoluatur à calido, sed magis indurctur. Ideò malè imaginatur Auic. quòd per frigiditatem fiat succus melancholicus. hoc autem maximè erit; sequendo uiam ipsiusmet Auic. qui nõ tenet, quòd succus melancholicus fiat per omnimodã expressionem humidi à frigido. Sed nunquàm succus melancholicus fit à frigiditate. quatenus frigiditas est; bene tamen à temperatura, frigida, & sicca; ut dicit Gal. secundo de temperamentis; ubi dicit, quòd temperatura, frigida, & sicca; generat plurimum de pituita; Nam senes plurima abundant pituita. Sed, quomodò intelligitur, quòd frigida, & sicca; temperatura generet melancholiam? Aliàs uidimus; magnam esse differentiam; quando dicimus, frigidam temperaturam*

ram aliquid facere. Quoniam temperatura est quædam proportio; & mira quædã resultant ex his qualitatibus. præsertim; si uelimus tenere secundùm Gal. quòd anima sit temperatura. & aliud est dicere, aliquid fieri ex temperatura; & aliquid fieri ex qualitatibus, &; ubi, calidum, & frigidum, etc. conueniũt; faciunt proportiones quasdam, quæ possunt facere miranda quædam; sicut uidemus de corde; quòd alioqui est in se temperaturæ, frigidæ, & siccæ; tamẽ generat calorem. Sic, si dicimus; unumquodq; membrum agere secundùm propriam temperaturam, & generare humorem, similem suæ temperaturæ; sicut uidemus de osse; quod, ut nutriatur; uertit sanguinem in substantiam, frigidam, & siccam. &; si corpus sit, frigidum, et siccum; nutrietur frigido, et sicco; et generabit humorem, frigidum, et siccum; et talis est succus melancholicus. et, frigidi, et sicci; redundant multa pituita; quoniam fiunt inconcoctiones, cùm habeãt diminutum calorem, quãtùm scilicet ad excremẽtum. Quantum autem ad proprium alimentum; generant plus de humore melancholico; quoniam, ut nutriantur; debent nutriri ab humore, sibi simili; et talis est melancholia. et, si intelligatis propter congelationẽ, ut exprimatur ex humore illud humidum; exprimitur, et fit humor melancholicus. Sed faciliùs exequemini rem per meth. quam uidimus. et uidimus, quòd cholera naturalis generatur à calore naturali; et hæc omnia uidimus in proprijs locis. et, ubi uidit Auicenna, quòd complexio generat sibi contrarium per accidens;

accidens. et, quòd frigida et sicca; complexio non generat sibi simile, sed dissimile; et generat, frigidum, et humidum. Non bene dicitur contrarium; quoniam uerè non est contrarium, sed potius dissimile. et calor naturalis intendit generare succum, sibi similem; sed propter diminutionem agentis non potest assequi proprium finem; quoniam à diminuto, calore, et agente; fiunt formæ diminutæ. et sic; cùm agens intendat humorem, frigidum, & siccum; per accidens generat, frigidum, & humidum, propter debilitatem agentis. & hæc omnia transtulit ex Gal. in secũdo de temp. & secundo artis med. Debes autem scire; quomodò sanguis. Vidimus, quomodò Auic. agat quatuor in hoc capite. nunc adest tertia pars, in qua agit de causis singulorum excrementorum quorumcunq; humorum. & excrementum est illud, quod effugit coctionem; ergo uidetur excrementum habere quandam relationem ad cõcoctionem. Ideo, quot sunt species coctionis; tot sunt species excrementorum. & uidemus, quomodò ponat quatuor coctiones; & sic ponit quatuor excremẽta. Fit ergo prima concoctio in uentriculo. hæc concoctio habet proprium excrementum. Secunda in, hepate, & uenis; secundùm Gal. Secundùm uerò Auic. in hepate tantùm. & tertia in uenis. Secundùm quidem Gal. tertia in membris; secundùm uerò Auic. hæc est quarta. &, cùm nihil aliud sit excrementum; nisi separatio alicuius succi, qui effugit coctionem; sed horum excrementorum, quædam sunt naturalia, quædam non naturalia. naturalia dupliciter

pliciter diuidũtur; quædam quidem ita sunt purè excrementa ita, ut nullum habeant usum; quædam uerò habent aliquid utile; ut, lac, & semen; quæ sunt excrementa naturalia, & ad aliquem usum facta; aliqua sunt excrementa tantùm, & nullum habent usum; ut, sudores, egestiones, & sordes aurium. Hæc igitur est explicatio excrementorum naturalium. Non naturalia autem sunt illa, quæ recedunt à fine naturali; quoniam habent causas non naturales, & deficiunt à suo fine. Quantùm ad excremẽta naturalia in prima coctione pura; sunt fæces naturales; quæ, quando sunt naturales; sunt in quanto, & in quali; debitè; & non habent moram, nisi consuetam, ut aliàs uidimus. Ea uerò, quæ non sunt purè excrementa; sunt fæces quando ex intestinis gracilibus ad uasa. Neq; tamen ita sunt excrementa; ut non habeant aliquid, crassi, et boni; nutrimẽti. Quoniam etiam uenæ meseraicæ quædam transmittunt ad illa intestina crassiora. Excrementum autem non naturale; est; quod, uel in quanto. uel in quali; peccat, uel in utroq;. Si in quanto tantùm; non dicitur ex toto genere præter naturam, & sic, reliqui humores, & sanguis; interdum peccant in quanto. Vbi autem isti humores peccant in quanto tantùm; dicuntur excrementa non naturalia, ratione solummodò quantitatis, & non ex toto genere præter naturam. Excrementum, peccans in quali; est ex toto genere præter naturam. Vt, cùm, fuerit, uel humidum, uel siccũ, uel pessimi odoris, uel saporis acerrimi, ut abradat intestina; hæc excrementa ex toto genere

genere sunt præter naturam, Si autem peccabunt, in quanto, & in quali; magis dicentur ex toto genere præter naturam. Secunda concoctio fit in, hepate, & uenis; & habet propria excrementa secundùm eandem diuisionem. Purum igitur excrementum naturale; est aquositas, quæ transit ad urinam. Erat enim necessarium, ut esset plura aquositas; ut chylus posset transire per uenas meseraicas arctissimas. &, ubi non est ampliùs usus istius aquositatis, excernitur talis aquositas, & maxima pars huius aquositatis; separatur. & talis aquositas est excrementum, purum naturale; intentum à natura, considerata in se ipsa. et est intentum à natura propter necessitatem. huic serositati est admistus sanguis; ratione cuius trahitur à renibus. Quoniam illa portio sanguinis est apta nutrire ipsos renes. Excrementum autem non naturale; Vel peccat in quanto tantùm; & tunc, uel deficit, uel excedit; ut propter magnam frigiditatem corporis, &c. Vel peccat in quali; ut si sit, uel tenuior, uel crassior, uel in colore, odore, &c. & sic multipliciter potest peccare. et hoc satis. Sed sciatis, quòd Auicenna ponit tertiam coctionem in uenis; & nescio, qua ratione hoc fecerit, uel quo authore. nam nullus author hoc dicit; quoniam omnes ponunt tres coctiones tantùm. Sed, si dicas, quòd sit aliqua alteratio in uenis; Ergo concoctio; nego consequentiam, quoniam ponit Auic. quòd nutriens in ore mãditur; tamen ponit eandem concoctionem, in ore, et in uentriculo. Alteratur enim in ore; tamen non est coctio. et, quare magis posuit

ſuit coctionem, quæ fit in uenis, diſtinctam ſpecie à coctione iecinoris; & nõ diſtinxit coctiones, in ore, & in uentriculo, aut in inteſtinis; nam in his omnibus locis fit alteratio. In lib. quidem de cibis, boni, et mali; ſucci; Galenus ſcribit; naturam noluiſſe pati mẽbrum aliquod ocioſum eſſe; neq; eſſe aliquod tempus, quo non operetur. Ideo natura prouidit; ut, cùm cibus præparatur in ore; etiam ibi recipiat aliquam alterationẽ. et omnia conſpirant in unum finem. Sic in ipſis membris debet fieri aliqua præparatio; ergo uenæ præparant hepati; ſicut os præparat uentriculo, in quo fit chylus, ſicut in iecore fit, ſanguis. & coctiones, & alterationes; denominantur ſecundùm finem acquiſitum; ideo eſt, una, & eadem; concoctio in uenis, & hepate; cùm non acquirat nouam formam. Sed in uenis eſt forma ſanguinis imperfecta; in hepate fit perfecta. & ſunt tantùm tres coctiones; quoniã ſunt tres formæ diuerſæ; quæ acquirũtur in hoc toto corpore, in quo fit nutritio. et ſic uidemus, quomodò Auicenna aberret à ueritate, & ab authoritate Galeni; Quoniam una eſt tantùm coctio in, uenis, & hepate, & eſt unum excrementum; et eadem eſt materia, ſudoris, et urinæ; et uenæ remotiores excludunt materiam aquoſam ad partes magis propinquas. et dicebat ille; quòd ſudor non eſt excrementum naturale; quoniam illud, quod eſt excrementitiũ in corpore, bene diſpoſito; tranſmittitur ad proprium locum. Si igitur propter aliquam cauſam fiat ſudor, erit excrementum non naturale, quoniam fit à nõ naturali cauſa. et

ſa. et ſic audiuiſtis, quomodò non ſit purum excrementum; et, quomodò nõ naturale excrementũ. Tertia concoctio fit in membris; quando nutrimentũ ſpargitur ueluti ros; et ibi fit tertia concoctio, et tertium excrementum. Quoniam enim alimentum ſemper eſt contrarium nutriendo; Ideo oportet, ut ſit aliquod excrementum. & excrementum naturale eſt illud, quod eſt purè excrementum; ut, quod quotidie diffla tur per ſudores, uel per halitum. nam quotidie diffla tur aliquod excrementum; unde ſordeſcunt panni. et hoc eſt excrementum purum naturale, quoniam non habet aliquem uſum. Aliud eſt excrementum, ſed non purum; & eſt illud; quod tranſit, uel in pilos, uel in ungues. Videmus enim creſcere, pilos, & ungues. De unguium uſu; dicit Galenus, quòd pertinent ad res minutiſſimas præhendendas. & hoc excrementum habet aliquem uſum; & etiam, pili, & cornua. Aliud excrementum non naturale, quod peccat in quanto tantùm; ut propter plurimos labores plurimum ſudãt homines. & hic ſudor peccat in quanto tantùm; ut in Aph. Qui plurimum ſudant. Sed, ſi exceſſerit in quali, uel in ſubſtantia; ut, ſi ſit craſſior; facit, apoſtemata, & ſcirrhos, &c. Si fuerit pituita. Si melancholia; facit uarios abſceſſus ſecũdùm uarios gradus. Si materia ſit ſubtilis; facit impetigines, uariasq; puſtulas. & ſic habetis fundamenta totius artis medicæ. et hæc ſunt confuſiſſimè dicta ab Auic. cùm tamen clariſſimè dicta ſint à nobis. Quarta pars huius capitis eſt de affectibus humorum. & dicit; quòd, qui habent humores

res subtiles; hi sunt subiecti quibuscunq; resolutionibus. & sic ubicunq; homines habent humores tenues; oportet magnopere aduertere; quoniam non tolerāt ieiunium, & euacuationes omnes. Affert secundam passionem humorum; & dicit, quòd habēt causas suorum motuum. & dicit, quòd commotiones, animi, & corporis, multùm mouent humores. & in passionibus animi; primò mouetur bilis, quoniam facilè inflammatur, & ex qualibet motione, tum animi, tum corporis. & humores, crassi, frigidi, & quieti; fiunt ualidiores. & ad pituitam generandam nihil efficacius est; quàm ipsa quies. sicut motus, auget, & multiplicat; bilem. et succus melancholicus medio modo sese habet; quandoq; enim à quiete fortificatur. Sed succus, qui fit per adustionem; fortificatur à motu. &, qui imaginatur res rubeas; in eo abundat sanguis. Vnde spiritus mouent imaginationes; spiritus autem eleuantur ab humoribus. & in illo, in quo abundat sanguis; ad illud sedandum remouentur res rubeæ, et luminosa loca. &, si uelimus expellere ipsam melancholiam; remouemus res nigras, & addimus claras. & post dicit; quòd reliqua, quæ supersunt de humoribus; potiùs attinent ad sophistas. Et tangit ipsum Galenū; qui contra Erasistratum disputat has quæstiones ad longum, et inquit Auic. nos talia prætermittemus. et, cùm hoc faciat Auic. et nos faciemus.

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN Primæ, Doctrinæ quartæ.

De Membris. Cap. Primum.

LECTIO. XLI.

AVDIVISTIS; *quemadmodùm fuerat propositum ab Auic. tradere doctrinam per ordinem compositiuum. et hic ordo oritur ab ordine resolutiuo; ideo optimè in prima doctrina, primò fecit resolutiones. et in secunda doctrina; incepit doctrinam secūdùm compositionem; et proposuit differentiam, ex qua oriebatur resolutio; et dixit.* sanitas corporis salubris, &c. *Deinde cepit tradere totam scientiā ordine compositiuo. nam primò est sanitas, quæ est ultimus finis; et ab hac incepit Auic. deinde ad causas efficientes accessit, postea ad materiales sicut facit ædificator domus. primò in compositione est materia, sic facit Auic. Primò enim agit de subiectis, quæ sunt materia. et sic à principijs est incipiendum usq; ad principiata, quæ sunt nobiliora. non loquor modò in metaphysica; quia principia sunt nobiliora. Auic. itaq; prosequens, primò secundùm compositionem; incepit à principijs; uidelicet, ab elementis, et ab humoribus. Postmodum deuenit ad principiata, hoc est ad membra; et accedit ad subiecta, maximè propria sanitatis. Primò ponit definitionem membrorum. tractat primò de affectibus membrorum; uidelicet, quòd quædam sunt similaria, quædam principalia, quædam non;*

quæ omnia declarabimus. Non debent relinqui considerationes membrorum. In secundo enim de partibus animalium, cap. primo; dicit, Aristot. quòd unumquodq; membrum respicit propriam operationem. Præterea hæc consideratio est necessaria ad cognoscendum, membrum ægrotans, et naturam ægritudinis illius. Non autem poteritis hoc cognoscere; nisi sciatis; an membrum sit ægrotatiuum, uel non; uel similare, uel non; uel principale, uel non. et hoc facit ad curationem, et ad prognosticationem. nam, si fuerit morbus in membro principali, uerbi gratia in hepate; illud membrum principale trahit secum alia membra in consensum. Ideo primùm refert scire de istis communibus affectibus in membris cõmunibus. De membris igitur est agendum; quæ membra sunt subiecta sanitatis. Quoniam autem Auic. in cap. primo dixit, spiritum, et membra; esse subiecta sanitatis; oritur dubium, quare Auic. hic non fecerit mentionem de spiritibus? et si non sunt subiecta; quare ibi fecit mentionẽ. Vt igitur uideamus, an spiritus sint subiecta; oportet uidere, quid sint spiritus; utrùm sint animati, etc. Spiritus ergo est multiplex, loquor; autem de eo; prout est pars naturalis; non de flatu, etc. Spiritus igitur, prout est in corpore humano; triplex est. Vnus est in communißima significatione; et appellatur spiritus complantatus, et hecticus. et nihil est aliud iste spiritus; quàm spiritus in rebus, metallicis, et animalibus. Primò; igitur si consideretur hic spiritus in, uegetabilibus, et metallicis; est calor complexionalis. In quo est

est hoc terminans? In animali (licet non sit terminans quidem, et ultimus actus) et est calor, sed in potentia; ut actuetur, et influat; à corde. et tunc est animal, quotiescunq; ponatur hic spiritus complãtatus, et reducatur ad actum à corde. Membrum igitur est; quoties habebit hunc calorem complexionalem in potentia; ut recipiat calorem in actu. Nam manus abscissa habet manus formam; sed non uiuit. Et habet calorem complexionalem, sicut metallica; ideo hæc manus corrumpitur, quia non accipit calorem in actu. spiritus igitur dicitur, complantatus, et hecticus; quia est calor complexionalis, existens in membro. Et dicitur complantatus; quoniam non est infusus. Secundo modo dicitur spiritus; qui nobilior est eo spiritu, primo modo dicto. Hic autem est in animali tantùm; et est in corde, et diffunditur per singulas partes, dans actum unicuiq; membro. Qui actus dicitur uita, et, cùm est unitus illi spiritui complexionali, facit omnes operationes, quæ fieri possunt in corpore. Nam hic spiritus in omnibus membris inuenitur; sed uario modo. In quibusdam enim est magis materialis; in quibusdam magis formalis. Hæc est sententia Galeni. Et hic spiritus uocatur à Gal. naturalis. Præter quem spiritum, aliqui dixerunt dari. Tertium spiritum, qui uocatur naturalis; Cùm sit contra seipsos. Cùm Gal. non ponat hunc tertium spiritum; sed dixerit naturalem, qui facit operationes naturales. Tertius est spiritus omniũ perfectißimus; qui quidem, & est in arterijs, et fluẽs; pro optimis operationibus. Nam per hunc spiritum

fiunt optimæ operationes; & generatur secundùm medicos tantùm in cerebro, secundùm philosophos in corde. Quantum autem attinet ad primum spiritum; nunquàm uidebitis Galenum loquentem de hoc spiritu, nisi sub dubio. Tamen ponendus est hic tertius spiritus secundum Galen. Auer. autem, magis respiciens ad ueritatem; posuit duos spiritus; uidelicet, animalem, & uitalem. Iam igitur satis dictum sit; quid sit spiritus implantatus. Secundus dicitur uitalis, Tertius animalis. habita hac cognitione; quæritur modò an spiritus sit subiectũ sanitatis. Videtur enim, quòd non; quia operationes non sunt in componentibus, sed in compositis; ideo in membris erit sanitas, non in spiritibus. Est autem sanitas in spiritu improprié. & loquimur de primo spiritu. Vtrũ modò sit in spiritu uitali; quæritur. Neq; autem in hoc est sanitas; quia, uel est anima, uel sedes animæ. & ideo est potiùs effectiuus, quàm subiectiuus. Neq; etiam est in animali. Quo intellecto; facilé poteritis respondere, an spiritus sit animatus. Si enim accipiatis primum spiritum implantatum, cùm unitur cum spiritu uitali; tunc dicetur animatus, sed improprie est animatus, quatenus recipit spiritum uitalem. Et, dum uniuntur; non dicitur animatus, quia illi simul uniti faciant operationes animæ. Sed, quia unitus spiritus est tanquàm, forma, & anima; cui unitur; tanquàm materia; unde uidetur quasi resultare corpus animatum, sed improprié; ita spiritus implantatus non erit proprié animatus.

In hac declaratione reliquimus unum, quod erat; quòd; quando uidemus apud Galenum spiritum naturalem; debemus intelligere esse eundem cum calore innato, & distingui sola ratione. Quare, quando hic spiritus, concoquit, distribuit, & facit tales operationes; tunc dicitur calor naturalis. Quando uerò, palpitat, & mouet, &c. tunc dicitur spiritus. Modò accedamus ad tractatum de membris. Membrum est corpus, &c. *Primò definit membrum antequã accedat ad paßiones; quia nõ possumus scire paßiones, nisi mediante definitione. Primò igitur incipit à definitione. Circa quòd fortaßis est animaduertendum; Auic. fuisse præposterum. Ideo primò distinguemus, quia definitio non potest competere æquiuoco. Cùm igitur membrum sit quoddam multiplex; priùs erant distinguenda hæc membra, quòd scilicet sit membrum, uel simplex, uel compositum, &c. Postea definiẽdum; sicut Arist. in primo de animalibus. Qui, uolens ipsa membra definire; incepit distinguere; & dicere, quædam membra sunt similaria, quædam dißimilaria. Aui. autem præposterè facit; ideo obscuram definitionem fecit. Nam hæc definitio, posita à Gal. non est bona, quia manus componitur ex, carne, neruis, uenis, &c. & non ex compositione humorum. Pro quo dicẽdum est, Auicennam hic definire membrum similare.* Dicit membrum est compositũ ex humoribus, etc. *Sciuistis, quemadmodum definitio debet habere proximum genus. Quòd non fecit Auicen. quia dicit, quòd membrum est corpus; corpus autem nõ est genus pro-*

ximum, quia multa sunt intermedia. Ideo debebat dicere; quòd membrum est instrumentum corporis animati. Cùm definierit membrum per genus generalissimum; fuit coactus dicere esse ex prima cõmistione. Et, licet metallica possint dici esse ex prima cõmistione; addit secundam differentiam, (qui quidem humores ex prima commistione ciborum sunt) Et per hoc distinguuntur à metallicis; quæ non sunt ex prima commistione ciborum. Sed, quoniam plantæ uidentur habere talem humorem, et aluntur; ideo uidentur habere membra. Ideo addit tertiam differentiam; dicẽs, qui cibi oriuntur ex elementorum commistione prima. Tamen cibi illi non fiunt ex prima commistione elementorum. & hæc est definitio secundùm Auic. Circa quam est aduertendũ. Quia enim dicit, (primò membrum generari ex humorum prima commistione) non uidetur esse uerum; Quia non principaliter ex humoribus, sed ex humiditatibus. Circa hoc debetis notare illud uerbum (ex prima cõmistione.) Nam per illud intellexit prima semina, sicut prima semina sunt cibi. Non enim inuenitur aliquod semen, nisi cibus; & sunt sunt etiam quatuor elementa. Nam Auic. non intellexit ultimum, ex quo efficitur membrum; sed semina ipsa. Sicut enim semina humorum sunt cibi; ita seminà membrorum sunt humores. Secundò dubitatur, quomodo dixerit (ex prima commistione ciborum) cùm sint aliqui, qui cibantur tantùm unico cibo. Pro quo dicendum est; quòd in succo cibi sint quatuor partes. Nam ex parte aquea fit urina,

urina, ex parte crassiori fit succus melancholicus; & sic ex unico cibo fiunt quatuor humores, & ex hoc apparet; quòd corpus efficitur ex, elementis cibi, & humoribus. Primo enim oportet; ut sint, elementa, cibi, & humores; & sic fit ex, elementis, mediantibus cibis, & humoribus. & etiam corpus, sicut componitur ex elementis; ita resoluitur in elementa. Non tamẽ eodem modo, sed diuersimodè; resoluitur. Quare autem hoc est? Natura seruat eundem gradum in generatione. & hoc est; quia natura habet, materiam propriam, & finem. Nam nõ generat corpus immediatè ex elementis; sed ex humoribus. humores etiam habent propriam materiam, uidelicet cibum; & sic ex elementis generatur cibus. Non tamen ex quibuslibet elementis; sed ex, certa commistione, & determinata. Sic etiam humores ex, certa & determinata; commistione ciborum; & membra ex; certa humorum; & sic omnia ex certa cõmistione, & propria materia fiunt. & sic sequuntur proprium finem. In corruptione autem non est ita; quia est calor non naturalis. Et corruptio non est finis naturæ; quia illam non intendit natura. & sic; quia non habet propriam, materiam, & finem; ideo nõ acquirit eundem finem; sed secundùm diuersitatem caloris, & materiæ. &, cùm sint diuersi fines; diuersimodè fit corruptio. Auicen. igitur facit resolutionem. Primò enim resoluit membra in humores. Secundò in cibos. Tertiò in elementa. Galen. autem facit resolutionem in primo de elementis. Resoluit enim similaria

ria in,humores,& elementa; tacendo cibos. In sexto autem circa medium,de tuen.ual.tacuit cibos. In primò uerò de differentijs morb.cap.3. tacuit elementa, & cibos,Quare autem hoc fecerit; uidendum est nam in primo de elementis,&c.

Desunt nonnulla.

LECTIO. XLII.

IN SVPERIORIBVS *audiuistis; quēadmodum dixerat Auicen.* panniculum esse contextum. *oritur igitur modò quæstio inter Galen.& Auicen.de textura panniculorum, & etiam, non solùm inter, Gal.& Auic.est discrepantia de substantia panniculorum, sed inter ipsum met Galenum. Videtur enim sibi contradicere. Primùm enim; in sexto de aggressibus anatomicis dicit,membranas esse simplices; &, quòd nullum est aliud membrum magis simplex, quàm membrana. Idem etiam confirmat in quarto de usu partium; ubi loquitur de peritoneo. Nam dicit;quòd membrana debet esse tenuissima, quia est simplex. Tertiò debet esse operimentum. In lib. etiam, de formatione fœtus, atq; de semine; nullibi ponit membranam esse contextam fibris. Contrarium autem dicit in lib.quinto de usu part. hoc est membranam constare ex fibris. hoc idem repetit in decimo de usu part. dicens;*

dicens; membranas habere fibras, quæ oriuntur ex ossibus. hoc idem ait in lib.de motu musculorum. et loquitur de membrana periostia; & hæc est propriè membrana. Multi autem quærunt has quæstiones pro Thesauro,& occupant suas lectiones in his; Tamen uidebitis eas esse inutiles. Sed ego quæro; ut cognoscatis, non esse innitendum authoritatibus, ut hi innituntur. Dicunt enim (hoc inquit Gal.illud negat Galen.)et nesciunt postea quid Galen.dicat. Volo igitur, ut faciatis, ut scribit Gal.in lib.ad Trasybulum. Vt scilicet soluatis quæstiones ex natura rei; non ex authoritatibus. Quando itaq; proponitur quæstio (& sit ex, subiecto,& prædicato) qualis est quæstio de membrana, & fibris, primò debetis cognoscere naturam membranarum,postea fibrarum; & sic cognoscetis, non esse in eius dictis contradictionem. Propriè igitur membrana dicta est,sicut tela Aranea; &,ut sic; cooperimentum. fibræ autem intelliguntur sicut filamenta, quæ conueniunt in tela. & sit subtilis tela, quantum uultis; semper erit contexta ex filamentis. Ideo necesse est ad hoc,ut sit membrana; ut sit contexta ex filis. Fibræ uerò dicuntur partes neruosæ;quæ attrahunt,& expellunt, & continent; & hæ fibræ dicuntur filamenta neruorum. &,si intelligatis fibras hoc modo; cognoscetis,membranam non esse ex fibris; quia membranæ officium est,ut cooperiat. habet quidem fibras; sed non sunt fibræ; quæ,attrahant,et contineant,uel expellant. Texitur etiam membrana ex fibris,improprié dictis; non ex fibris neruorum. hoc

igitur modo non erit contradictio inter Gal. Cũ enim dicit in lib.de anat.agg.quòd membrana non habet fibras; intelligit de fibris; habentibus officium, attrahendi,expellendi,& continendi. Quòd autem hoc sit uerùm; inferiùs dicet, quòd uentriculus habet fibras; quia,continet,attrahit,& expellit. & sic intelligatis de fibris, proprié dictis. Quando postea dicit, quòd membrana est contexta ex fibris; intelligit fibras improprié, quæ contexunt ipsam membranam. & sic soluenda est quæstio ex natura rei; postea est adducenda authoritas. Dicit deinde Auicen.quòd postea sunt panniculi neruosi,hoc est ad similitudinem nerui. In unoquoq; membro est uirtus naturalis, *hic facit fundamentum notandum. Dicit enim, quòd in membris,iam dictis; est una uirtus naturalis, insita à natura ita; ut horum unumquodq; membrorum habeat uirtutem naturalem; mediante qua possit facere suas operationes naturales. Nam in uno quoq; membro sunt quatuor uirtutes; hoc est attrahendi,continendi,concoquendi,& expellendi. Debetis scire; in membro esse calorẽ innatum sicut in plantis; nam faciunt mẽbra sicut plantæ. Sed quare membrum præcisum non nutritur? Quia calor est in potentia. &, ut faciat operationes suas; oportet,ut reducatur ad actum à calore cordis. Plantæ autem non habent cor,& suum calorem habent in actu; ideo, si ramus plantetur; nutritur, & augetur. & sic etiam ramus præcisus non corrumpitur; sicut membrum. Posito igitur hoc fundamento; Videlicet; quòd unũquodq;*

membrum habeat uirtutem naturalem; quæ continet,attrahit,&c.supponendo has quatuor uirtutes, fit quadruplex diuisio; hoc sanè modo; Quædam membra,siue similaria,siue non; tribuunt alijs. et participantur ab alijs. Secunda diuisio; sunt quædã, quæ suscipiunt,& non tribuunt; Quædam,quæ tribuunt, & non suscipiunt; quædam, quæ, nec tribuunt, nec recipiunt. Dicit igitur Auic.quòd duæ primæ diuisiones sunt concessæ ab omnibus medicis; uidelicet; quòd quædam membra accipiunt,& tribunnt; sicut,hepar, & cerebrum. nam cerebrum accipit nutrimentũ ab hepate; postea alijs tribuit. Necnon hepar accipit calorẽ à corde; ipsum tamen tribuit uirtutem alijs membris. Hæc igitur est sententia, Medicorum, atq; Philosophorum; quia hoc idem sentit Aristot.secundo de partib.anim.cap.decimo. Nam dicit ibi; quòd recipit à corde calorem; & tribuit alijs membris uirtutem coquendi. Quantùm uerò ad secundam diuisionem; quòd quædam,accipiant,& non tribuant; sicut sunt, caro, & os; hoc membrum est notum. Tertia diuisio,quædam tribuunt,& non accipiunt; non ita conceditur ab omnibus.Nam,Gal.Plato, & alij; dicunt; quòd non sunt membra,quæ tribuunt,& non participent. Arist.autem uult, quòd sint quædam membra; quæ,tribuant,& non participent. Secundùm quidem sensum; opinio medicorum manifestior est. Secundùm uerò rationem; opinio Arist.est melior. Galen. igitur multis in locis (ut in lib. de formatione fœtus, & alijs locis)disputat hoc; & semper sequitur sensum.

Lectio

LECTIO. XLIII.

In *superioribus uidimus, diuisionem membrorum secundùm opinionem Auicennæ non ita constare; sicut de duabus primis, quæ conceduntur ab omnibus. De hac igitur opinione (uidelicet; quòd sint quædam membra; quæ, tribuant, & non accipiant) est difficultas. Dicit enim; quòd si accipiamus rem secundũ sensum; uerior erit opinio medicorum. Si uerò medullitus, & secũdùm rationem; uerior opinio philosophorum. Quamobrem dicimus pro philosophis; quòd non est aliquod membrum; quin, accipiat, & tribuat, & non indigeat nutrimento, et non intelligatis de nutrimento, sicut aliqui moderni; sed de uirtute. Medici igitur dicunt; Videmus nos neruum deuenire à cerebro per pericardion, & inseri in cor sensibiliter; ad dandum, sensum, et motum. Quòd etiam cor indigeat uirtute concoctiua; ostenditur per uenas, deuenientes ab hepate ad cor. et ita omnes rationes medicorum sunt tales; uidelicet, quòd non sit aliquod membrum (principale uidelicet) tribuens, et non accipiens. Aristot. autem longè meliùs determinat. Supponit enim unum (ut in decimo met. primo, & secundo; et alijs in locis) quòd in unoquoq; genere sit deuenire ad unum; quòd debet esse causa omnium illorum, quæ sunt sub eodem genere. Vbicunq; enim est pluralitas; non potest esse, quin ea pluralitas sit sub aliquo communi. &, nisi esset unum commune, nõ esset pluralitas. & illud commune est causa, generationis, et cõseruationis ita; ut, si*

remoueatur illud primum; remoueatur essentia, et conseruatio. et omnia, dependentia ab illo, peribunt; nam sub omni genere animalium conseruatur ordo propter illud primum. Veritas igitur propositionis Aristot. est manifesta. &, sicut uidemus in animalibus, & alijs; aliquod primum; Ita in corpore nostro est unum primum. &, (sicut dicit Arist. secundo de partibus animal.) non est bonum, ut in corpore sint plura principia, sed necessarium est, ut sit unum principium. &, si non esset unum principium, sed diuersa; non communicarẽtur membra inter se; quia, quæ non sunt eiusdem generis; non communicantur inter se. Sed oportet, ut sint eiusdem generis; ideo oportet, ut in corpore animalis sit unum principium. Ideo, si consideretis secundùm rationem; apparet; quòd sit unum membrum, tribuens, & non accipiens; & tanquàm principium; à quo alia membra accipiant. Inter, Aristot. Galen. et medicos igitur non est tanta discrepantia quantam aliqui putant. Sed pauca quidem est; magna tamen uidetur propter nostram ingenij debilitatem; non bene contemplantis opinionem illorum insignium Virorum. & notetis; quòd etiam Galen. ex suis principijs (uelit, nolit úe) dicit idem, quod Aristo. Primò enim dicit; quòd est conspiratio. & hoc non potest esse; nisi sit unum principium. Nam, cùm dicit omnia membra conspirare; tũc oportet ut per unum membrum principale hoc faciant. Præterea; nonne ponit principium in corde, & cor esse tanquàm regem? nonne uidemus; si cor patiatur, omnia membra

pati; & hoc conceditur à Galeno: &, si alia membra patiuntur, non ita cor patitur; igitur à Galeno ponitur cor, tanquàm principium. et rationes Galeni contra Arist. nullius sunt momenti; cùm ex suis principijs cogatur idem dicere, quòd Arist. Præterea uidemus, nullum aliud membrum facere uniuersalē morbum in corpore; nisi, quando cor patitur. Aristot. autem non ita impugnat illa tria principia. Nam in primo, & secundo; de partibus animal. ponit illa membra principalia. In secundo de partib. animal. cap. decimo; dicit, cerebrum esse principium, sensus, et motus. Etiam ponit hepar principium coctionis, et ponit cor esse principium, sed tanquàm Regem. Et sunt duo principatus, habentes suum Regem; sicut est, cerebrum, & hepar; quæ habent, & agnoscunt suum Regem nempe cor. & habeatis pro exemplo, (ut dicit Cōciliator) quòd nerui oriūtur ex corde, et ascendunt ad cerebrum; & ibi, dissipantur, & faciunt multos riuulos; qui nerui dant, sensum, & motum; corpori. et etiam cor mittit uenā ad hepar; quæ uena etiam ibi ramificatur, et facit multos ramos; et postea tribuit sanguinem corpori (et sic; non est tanta differentia inter, Gal. et Aristot. Nam Aristot. nō negat; quin cerebrum det, sensum, et motum; et sit quasi principium.) Sed postea huiusmodi nerui habēt principium à corde. Ita est etiam in hepate. Nam Gal. dicit, quòd ueniunt etiam uenæ ab hepate ad cor, ut uirtutē concoquendi capiat à corde. et Aristot. retorquendo argumentum, dicit, quòd uenæ oriuntur ex corde; et tendunt

tendunt ad hepar, ut dent uirtutem cōcoquendi. et sic ratio Aristot. uidetur efficacior. Postea dicit Auic. quòd sunt quædam membra; quæ, neque tribuunt, neq; accipiunt, et inter medicos est quæstio de hoc; Quia aliqui uolebant, ut acciperent nutrimentum ab hepate. alij ex sua natiuitate; et haberent uirtutem cōcoquendi, non ab hepate, sed à complexione sua. Auic. enim ostendit, quòd hæc membra accipiunt uirtutem concoquendi ab hepate. et sic ut manum, quæ (uerbi gratia) habet neruos pro, sensu, et motu; si ligentur eius nerui, uidebimus amittere, sensum, et motum; ita (dicit Auic.) si ligentur uenæ; descendentes ad, ossa, et carnem; tunc, ossa, et caro, quia non habebunt uirtutem concoquendi, peribunt. Ergo dicendum est, quòd habeant uirtutem ab hepate. hæc est opinio Auic. quam nolumus ita improbare; Sed aliter uolumus dicere; quòd, caro, et ossa; habent uirtutem concoquendi ex se, ex suo calore complexionali. Bene autem hepar ministrat materiam, ut membra illa nutriantur. et hoc modo respōdetur ad argumentum Auic. Quando enim dicit quòd; Si ligentur uenæ, tendentes ad, ossa, et carnem; illa membra amittent uirtutem concoquendi; dicendum (ut diximus) quòd hepar præbet tantùm materiam. qua prohibita; membra illa non nutriuntur, et per consequens non possunt habere uirtutē concoquendi. Absoluimus iam diuisionem membrorum; quantùm unum membrum participet uirtutem alteriùs; et erant quatuor membra; examinauimus omnia hæc quatuor membra; et ostendimus

ostendimus rationes, medicorum, et philosophorum, et uidimus; quòd non sit tanta discordia inter, Galen. et Arist. sicut aliqui putant. Vidistis etiam circa quartam diuisionem discrepantiam inter medicos. Dicit enim Auic. nullum esse membrum, tribuens, et nõ accipiens; quia non nutriretur. Dicimus enim aliqua membra, tribuentia, & non accipientia; quantùm ad uirtutem, non quantùm ad materiam; quia tunc indigent materia, ut nutriantur. Sed Auic. loquitur de uirtutibus; & membra illa habent ex se calorẽ complexionalem, qui reducitur ad actum à corde. Postea Auic. ponit aliam diuisionem, quæ sumitur secundùm principale; & dicit, quòd, cùm quædam sint membra, tribuendia, suscipientia, et non suscipientia, &c. Ex hac diuisione sumitur alia, uidelicet diuisio principatus. Circa hæc igitur mẽbra debetis scire (quò ad hæc membra principalia) quòd uario modo intelliguntur. Principale enim intelligitur; ut, quando primum generatur. & circa hoc est difficultas. nam Arist. dicit; quòd illud membrum; quod est causa, ut animal generetur; est principale principalitate temporis. Aliud autem membrum dicitur principale principalitate dignitatis. Gal. enim 6. de usu part. cap. 6; dicit, quòd membrum illud dicitur principale; quod exercet, meliores operationes, & nobiliores; & hoc erit cor, quod dat uitam animali. & ex hoc loco Galenus uult, quòd cor sit principale membrum. & cõcordat cum Arist. in hoc. Sed differt; quia Gal. uult, quòd habeat nutrimentum ab hepate. Aliud uerò membrum dicitur

tur principale; quia, si animal debeat uiuere; oportet; ut habeat, sensum, & motum; & hoc facit cerebrum; Tertiò, si animal debet uiuere; oportet, ut nutriatur et hoc fit ex hepate. Hepar igitur erit membrũ principale; Ventriculus autem est membrum præparatorium. Quoniam autẽ oportet, ut indiuiduum pereat, & generentur indiuidua; Ideo facta sunt membra, quæ sunt testiculi; qui numerantur inter mẽbra principalia; ratione, quidem, non indiuidui, sed specierum. Membra cõsiderantur dupliciter, ut sunt similaria, et, ut sunt dissimilaria. Si, cerebrũ, & cor; considerẽtur, ut similaria; non erunt nobiliora. Sed mẽbra nobiliora similaria erunt spiritus. Sed, quoniam hæc membra considerantur, ut instrumenta; & componuntur ex pluribus similaribus; tunc membra hæc non dicentur secundùm totam partem nobiliora, sed cuspis erit nobilior; ut dicit Galenus in sexto de usu partium, cap. sexto. & sic illa pars erit nobilior; quæ exercet operationes optimas. Oculus igitur est membrum nobile; quia exercet optimam operationem. &, si factus sit ex multis partibus; erit una pars principalis, quæ erit humor crystalinus. reliquæ uerò partes sunt propter illum humorem. Auicen. modò dicit, quædam esse membra principalia, &c. *& non explanat, sicut nos fecimus; sed historicè hoc facit. Quando enim deuenit ad quartum principale; enumerat testes; & dicit, eos habere necessitatem; quoniam generant semen. & habere iuuamentum; ut distinguant sexum maris à fœmina. & ita habent testes duplicem usum.*

usum. Circa primum; optimè dicit secundùm opinionem Gal. Sed miror, quòd aliquando declinet, modò ad Arist. modò ad Galenum. In lib. enim de animalibus, declinat ad Arist. In hoc autem lib. declinat ad Galenum. Arist. uult; quòd testes non sint necessarij, sed utiles, quia, si essent necessarij; in omnibus animalibus inuenirentur. Sed sunt multa animalia, quæ carẽt testibus; ut pisces; ergo non sunt necessarij testes; Sed habent utilitatem; non (ut aliqui exponunt) uidelicet, ut extendant uasa seminaria; sed sunt utiles; quia uasa seminaria faciũt illas inuolutiones circa testes, per quas inuolutiones optima fit concoctio seminis; non, autem ut suspendant uasa seminaria. Quantùm ad secundam partem; quando dicit, testes esse genitos, ut discernantur fœminæ à maribus; sed, quo modo hoc erit, cùm fœmina habeat etiam testes; sed testes fœminæ sunt, imbecilliores, & imperfectiores. et, quod natura fecit in homine; idem uoluit in fœmina; sed propter debilitatem caloris non potuit perficere. & sic credo, uerum esse figmentum Auic. Vidistis iam; quòd quædam sint membra principalia, quædam seruiẽtia. Principalia; autem uel seruiũt seruitute præparatoria, ut uẽtriculus seruit hepati; uel seruitute latoria; ut, uenæ seruiunt hepati, & arteriæ seruiunt cordi. et uirtus præparatoria semper præcedit uirtutem, ad quam defertur, et uirtus delatoria succedit. et hoc dicit Auic. et optimè. Hæc quidẽ sunt facilia, licet Auic. sit aliquatenus obscuriusculus. Notetis unum, quòd Auicen. discrepat à Gal. Cùm dicat, quòd hepar (6. de placitis,

placitis, Hippo. et Pla.) seruiat cerebro uirtute præparatoria. Nam Gal. dicit; quòd, si membra debeant esse præparatoria; oportet, ut tantùm illa membra præparatoria tendant ad unum membrum. Sicut uentriculus est membrum præparatorium hepatis; & ita omnes uenæ tendunt ad hepar. Sic etiam retiformis (ut dicit Galenus) est uerè instrumentum præparatorium. Sic item pulmo cordi; et multa alia, quæ narrat Gal. in sexto de plac. Hippoc. et Pla. et miror, quo modo hoc dicat Auic. Ponit aliam diuisionem ex mente Galeni; ut in primo de causis symp. et alijs locis. Dicit enim Galenus, quòd quædam sunt membra, quæ propriè exercẽt operationem principalem. Reliqua uerò adiuuant. Vt in oculo humor crystalinus principaliter facit operationes; reliqua adiuuant. Hæc est diuisio Galeni; quam non intellexit Auic. cùm dicat ex mente Galeni, quòd quædam sint mẽbra, &c.

Cùm determinauerit Auic. diuisionem mẽbrorum; quòd quædam sunt tribuentia, quædam suscipientia, &c. *Nunc aggreditur aliam diuisionem. Dicens, quòd* membra, quædam habent operationem tantùm, quædam iuuamentũ; quædam verò operationẽ simul, & iuuamentum. *Circa quam diuisionem; debetis intelligere per iuuamentum; non, finem, siue usum; ratione cuius usus genita sunt membra: sed adiutorium pro operatione. Sed intelligatis actionem, factam pro aliquo usu. His suppositis; dicit* membrorum quoddam habere operationem tantùm, &c. *Exemplificat autem*

de singulis. et dicit; cor habere tantùm, operationem, et non iuuamentum. Pulmonem autem; non habere actionem, siue operationem; sed agere tantùm, ut adiuuet. Cor habere tantùm actionem. Pulmonem uerò tantùm præstare actionem. Quoddam membrum simul facit, actionem, et iuuamentum; ut pulmo agit, ut faciat sanguini necessaria. Præstat et iuuamentum; quia adiuuat coctionem, ut propter coctionem hepatis adiuuatur tertia coctio. et dicit, hanc diuisionem esse Galeni. Pro quo debetis scire, hanc diuisionē non esse Galeni. nam in octauo de usu partium dicit, in quolibet membro organico esse partem, cui potißima debetur actio; aliam, cui debetur iuuamentum; aliam esse; cui debentur, actio, et iuuamentum. Vt (exempli gratia Crus habet actionem ambulandi. et dicit Galenus; quòd in hoc membro principaliter est actio ambulandi, et etiam iuuamentum. Vndè os præstat iuuamentum, musculi uerò afferunt actionem ad mouendum; & præstant iuuamentum, & ad formādum Crus, & ad defendēdum. Similiter est in oculo. Quædam.n.in eo est pars, præstans tantū iuuamētum; quædam actionem; quædam actionem, simul & iuuamentum. hæc est diuisio Gal. quam confundit Auic. uidelicet membra adiutoria cum delatorijs. Postea facit aliam diuisionem; dicens, quædam esse membra spermatica, quædam eße generata ex sanguine. Circa quæ mouet quæstionem; dicens, quòd est opinio una, quæ uult omnia membra fieri ex sanguine; & est opinio medicorum. Alia est; quæ uult, quòd, quædam sint membra

membra spermatica. Circa hanc quæstionem non faciam, ut aliqui; qui confundunt se, & alios. Quatuor enim priùs sunt inquirenda. Primò, utrùm hæc membra, quæ dicuntur spermatica; sint generata ex sanguine. Secundò; utrùm fœmina emittat semen. Tertiò, si mittat, utrùm concurrat ad generationē. Quartò; si concurrat; an actiuè, an paßiuè. Quantum igitur ad primum; Gal. determinat, generari ex semine; Arist. dicit ex sanguine. Rationes Galeni plures sunt. Prima. Hæc quidem membra sunt, distensibilia, perforata, et dilatabilia; ut, nerui, arteriæ; &c. Hoc supposito; dicit Galenus. Sanguis non est extensibilis; & dicit, quòd natura semper eligit materiam cōuenientem. & hoc affirmat Arist. & cùm sanguis non possit, nec extendi, nec perforari; nemini est dubium, quin generētur ex semine. Secundò dicit. Secundùm Arist. generatio sanguinis fit in uenis. & omne membrum conficit alimentum pro se. Quod autem postea superest; mittit ad alia membra. Si igitur, uenæ, et arteriæ, sunt antequàm generetur sanguis; ergo ex semine sunt. Aliud argumentum Galeni. Si ex sanguine generentur membra; utiq;, si abscissa essent, possent restaurari; quia haberent materiam conuenientem, uidelicet sanguinem. Philosophi irridentes; dicentes; Galenum ignorare uirtutem formatiuam, existentem in semine. Etenim in principio est agens conueniens; & uirtus formatiua. Quæ uirtus formatiua postea non est in sanguine; sed tantùm nutritiua. & si præcidantur; quia deest uirtus formatiua, non possunt regenerari.

rari. & uidebitis, omnes tenere opinionem Arist. Videlicet, omnia membra generari ex sanguine. Quia, si est uerum (ut etiam dicit Galenus) quòd ex eisdem sumus, & nutrimur; sed hæc membra nutriuntur sanguine; ergo sunt generata ex sanguine. Præcisa autem non regenerantur; quia non adest uirtus formatiua, quæ erat in semine. Secundò uidendum, an fœmina emittat semen. Pro quo uidendum primò, quid sit semen. Nam in primo de animalibus, & in alijs locis; dicit Aristot. principium actiuum esse semen. Vbicunq; enim deest hæc conditio; non est semen secundùm Arist. uidelicet, quòd, sit principium actiuum generationis. Dicit enim Arist. quòd ubi sanguis in ultima concoctione assimilatur singulis partibus corporis; illud, quod superest; & est futurum alimentum; tantùm alit, et propter delectationem attrahitur hoc excrementum per singulas partes. & tunc sentitur maxima delectatio ante coitum. postea attrahitur ad testes simul cum spiritu; & circa illa inuolucra sentitur maxima delectatio. & sic opinio Arist. est, ut semen decidatur ex omnibus partibus corporis. et inde prouenit similitudo parentum. & ex hoc assignabit causam gonorrheæ Arist. dicens, quòd cùm semen decidatur ex omnibus partibus corporis. et, cùm propter maximum coitum membra debilitantur, & calor est factus debilis; tunc fluit semen, quia non retinetur in membris. Vel etiam potest prouenire, non solùm ex nimio coitu; sed ex debilitate etiam alicuius mẽbri. & malè faciunt uolentes curare gonorrheam, qui

qui applicant frigida, cùm magis impediãt coctionem, & maior fiat gonorrhea. Sed priùs membra sunt corroborãda, frictionibus, balneis aquæ dulcis, etc. Quoniam his mẽbra corroborata; concoquunt materiam. Qua concocta; statim membrum est refrigerandum, ex quo exit semen. Errant &, qui applicant astringentia ipsi mẽbro, ut non exeat ipse fluxus. Cùm quidem retineatur in corpore; & retentus, facit uarios morbos. Hoc supposito; Arist. determinat, fœminam non emittere semen. Contrarium autem dicit Galen. in sexto de usu part. Quia enim ex retentione seminis suffocatur uterus; Ideo iubet incalescere illa loca. Præterea dicit Galenus; nos uidemus, mulieres sæpè habere humiditatem in uulua; quid nam hoc est aliud, quàm semen? Arist. autem contrarium determinat; dicens; illam humiditatem, non esse semen, sed excrementum. Quantùm ad illud, quòd dicit Galen. quòd semen faciat maximam delectationem; dicit, hoc esse Arist. ex spiritibus. Sicut est in pueris; qui quidẽ sentiunt delectationem, tamen non mittunt semen. Respondet etiam ad illud, quòd dicit de suffocatione uteri; quòd hoc euenit ex illa humiditate, retenta in utero; quæ facit suffocationem ipsius uteri.

Quæstio tertia desideratur; An semen fœminæ concurrat ad generationem.

LECTIO. XLIIII.

SVPERERAT quarta quæstio de principijs generationis; uidelicet, utrùm semen, fœminæ, & uiri; concurrant actiuè, an paßiuè, uidelicet, quòd præstet sibi, materiam, et actionem. Inceperamus per Gal. arguere; qui uult semen fœminæ, tàm actiuè, quàm paßiuè; concurrere. In contrarium autem est Arist. ut recitabatur in præcedentibus. Gal. autem primum argumentum; quod erat probans semen fœminæ concurre, actiuè, & paßiuè, tale est. Si fœminæ semẽ non concurreret, tàm actiue, quàm paßiuè; nulla esset similitudo matris. Quia (per te ò Arist.) si mater præstat materiam, et pater formam, et similitudo per formam fit; ergo. Sed uidemus similitudinem matris; ergo concurrit actiuè etiam. &, siquidem ualidior sit actio in semine patris, quàm in semine fœminæ; semper similitudo erit, patris, & nõ matris. Cui oppositioni respondet Arist. hoc esse propter maximã moram fætus. Quòd uerò concurrat semen, actiuè, & paßiuè; Gal. probat in lib. de semine. & primò experientia argumentatur, & dicit, se uersatum cum fœminis, quæ dixerunt sibi multa, &c. Postea rationibus, & primò contra Arist. dicentem, quòd semen uiri concurrit actiuè. Quia, cùm semen defluit in uterum; dat formam. &, cùm propter illum generatur fœtus; tunc materia seminis difflatur cum spiritu. Ad hanc rationem dicit Galenus; Si hoc esset uerum, quòd semem post conceptum difflaretur; sequeretur maximus dolor uteri. postea attribuit Galen. Arist. quòd ex, menstruo, & semine uiri; fiat miscella quædam. Argumentatur itaq; contra hanc opinionem; dicens. Si fit hæc miscella; oportet, ut sanguis mẽstruus sit in utero; & tunc fiet globus, & corrumpetur sanguis ille menstruus; & ex illo sanguine corrupto generabitur fœtus, quod est inconueniens. Præterea argumentatur contra Arist. dicens; Istec (ò Aristot.) est tua opinio; quòd natura non deficit in necessarijs, nec abundat in superfluis. & arguit contra Aristot. quatuor argumentis, quæ uidebitis in lib. de semine. Arist. autem habet multas rationes in contrarium; ut apparet in lib. de generatione animalium. Primum argumentum Aristot. (quòd semen uiri concurrat actiuè tantùm) est hoc. Causa, agens, & materialis; non possunt simul concurrere, cùm sint diuersæ. & non potest imaginari; quòd causa aliqua, patiatur, simul & agat. Nam, si aliqua materia sit apta ad recipiendum formam; ad agendum non erit apta. Secundum argumentum Arist. Si principium actiuum esset in semine fœminæ; non esset necessarium, ut cõiungeretur cum uiro; cùm in se habeat, materiam, & agẽs. Dicet quis (ut dicit Gal.) habebat principium, sed non sufficiẽs Dimittamus illud inconueniens, quòd natura non tentat, quod non potest perficere; & deueniamus ad rationes Aristot. Nemini dubium est; quòd in muliere calidiori erit maior actio. &, si potest intendi ad gradum sufficientem, ut poßit agere; tunc aliquãdo aget. Si igitur optimè examinemus opinionem Aristot. uidebimus

debimus optimam esse. Quantùm ad primũ argumentum Galeni; dicentis, quòd semper similitudo erit patris; dicebat Arist. in secundo de generatione animalium, cap. quarto; quòd ex semine fœminæ fit corpus. ex semine uiri fit anima. Arist. autem non expressè dicit quòd semen fœminæ non agat actiuè; cùm dicat, quòd fit ouum sine semine galli; sed illud ouũ nunquàm erit animal, nisi concurrat semen galli; ex quo ouo fit animal. & uidemus, in piscibus esse oua; tamen sine semine masculi non nascuntur pisces. & sic in semine fœminæ est, actio, & uirtus deliniandi; sed non eodem modo, quo est in semine uiri; Cùm semen fœminæ habeat uirtutem agendi, circa corpus, nõ circa animam. Semen enim uiri habet principium, animandi, & formandi; semen autẽ mulieris formandi tantùm. Quantùm ad secundùm argumentum; quando dicebat Gal. quòd in utero fieret magna moles; Nescio, quomodo hoc dicat Galenus; scilicet, quòd generentur spiritus; qui subtiliantur, & difflantur extra corpus; sine, dolore, & inflatione. Sunt enim alij spiritus, qui incrassantur; & tunc bene hoc probaret. De hoc tamẽ non intendit Arist. sed tantùm primum modum, quem tacuit Galenus. Quantùm ad tertium argumẽtum; cùm dicebat Galenus; quòd Arist. dicit, quòd semen agit actiuè tantùm. &, cùm deliniauit; eijcitur materia seminis, quia materia non indiget ampliùs. Ad hoc respondet Arist. quòd, cùm semen uiri sit tenax; erit optimum ad generationem uenarum, & natura non deficeret. At, cùm Galenus non intellexerit Aristot. imponit

ponit ei multa, quæ non dicit; Cùm materia seminis post conceptum sit, fluida, & non tenax. Cùm dicat Arist. in secundo de generatione; quòd natura seminis est, dum calidum est. Incrascescit enim; dum, frigidum, & aqueum; fit. hoc dicit Arist. in secundo de generatione animalium, cap. secundo. Cùm uerò post conceptum semen sit aqueum; non est idoneum ad generationem uenarum. Quòd autem semen concurrat tantùm actiuè, & formaliter; patet in plantis, ut (uerbi gratia) in faba. Cùm enim semen sit agens, terra uerò materia; cùm semen ipsum dederit formam plantæ; incipit postea, siccari, & decidi. et sic non concurrit passiuè, sed actiuè. Rationes igitur Arist. sunt meliores rationibus Gal.

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN Primæ, Doctrinæ quintæ.

De Membris. Cap. Secundum.

MEMBRA sunt corpora. Propositum erat Auicennæ, ut traderet artem medicam per ordinem compositiuum, & cùm ordo compositiuus præsupponat ordinem resolutiuum, qui incipit à resolutione finis; & finis nil aliud esset, quàm conceptus, & essentia; definitionis; Ideo Auicenna fecit resolutionem; et incepit à definitione Medicinæ, à qua oriebatur resolutio. Cùm enim Medicina sit scientia, & scire sit per causas; Ideo oportebat intelligere causas omnes, quæ

quæ erãt in quatuor generibus. Hac resolutione propoſita; incipit poſtea tradere totã artem ordine compoſitiuo; incipiendo ab eo, ubi relatio deſijt. Id, quod ſemper ſolet fieri in reſolutione. Primo igitur proponit finem in reſolutione, quæ eſt Sanitas, uel cõſeruanda, uel reparanda, &c. Vltimum eſt materia; quæ inuenta, incipit ordo compoſitiuus, & ſicut materia in reſolutione erat ultima, ita in compoſitione fuit prima. & erat materia ſubiecta; quæ recipiebat ſanitatem. Vnde primò egit de ſubiectis remotiſſimis, et uniuerſalibus. ordine enim compoſitiuo proceditur ab uniuerſalibus & confuſis; ad particularia, & à principijs ad principiata. Cõſiderantur autem principia à componente; non in ſua eſſentia, ſed reſpectu ſuorum principiatorum. Et ita principiata fuerunt nobiliora. Incepit ergo ab elementis. Et, quia elementa non poſſunt eſſe ſubiecta ſanitatis, niſi ueniant ad miſtionem; ideo egit de complexionibus. Poſtea acceſſit ad ſubiecta, ut ſunt humores. Et ideo de humoribus egit in doctrina quarta. Sed, quia, neq; humores ſunt proximum ſubiectum, & immediatum ſanitatis; Ideo expleto tractatu de humoribus; deuenit ad ea, in quibus immediatè recipitur, ſanitas, & ægritudo. Ideo dicitur membrum proprium, & proximum; ſanitatis, & ægritudinis; ſubiectum. Hic igitur de membris agit Auic. exquiſitiſſimè. Et primò definitionem proponit membrorum; deinde tractat de affectibus membrorum in communi. Demum tractabit de ſingulis membris. De uniuerſalibus tractabimus; de particularibus

cularibus autem omittemus; quia & alij omiſerunt; cũ illa ex anatome meliùs, quàm ex cathedris habeantur. Sed affectus membrorum non debent prætermitti (et maximè in uniuerſali) quia uirtutes non poſſunt cognoſci; niſi affectiones membrorum ſciantur, quæ ſunt ſubiecta illarum uirtutum. Nam dicit Ariſtot. 2. de partib. animal. primo; membra omnia eſſe inſtituta ratione proprietatis operationum. Neceſſe eſt igitur ſcire membra; ad hoc, ut ſciantur operationes. Propterea hæc conſideratio eſt neceſſaria morborum curationi & cognitioni, & prognoſtico. Plurimum. n. refert ſcire, an ægritudo ſit in ſimilari, an in organico, an in membro miniſtrante, an in miniſtrato. & an in principali, an in non principali. Et hoc tantùm ad curationem, quãtùm ad cognitionem. Nã refert ad prognoſticum; quia, ſi morbi fuerint in principalibus iudicabitis morbum fore breuem. Si uerò non in principalibus; non ita breuem. De Membris igitur agendum eſt; quæ ſunt ſubiecta propria ſanitatis. Sed oportet remouere dubia; quia ſunt tanquàm ligamenta mentis, ut dicit Ariſt. 4. Metaphy. Auicenna doctr. prima cap. primo. dum enumerat cauſas ſubiectiuas; enumerauit etiam ſpiritus. Dixit enim ſpiritus, & membra; eſſe ſubiecta proxima. Quare igitur nullam mentionem hic fecit de ſpiritibus? &, cur ibi, & non hic; ſi ſunt ſubiecta proxima? Vt igitur uideamus; an ſpiritus ſint ſubiecta ſanitatis; oportet uidere, quid ſint ſpiritus. Quia ex mala intellectione ſpirituum multa fuerunt dicta malè de eis à recentioribus, & malè dubitata.

ta. Quia autem ſpiritus multiplex eſt; ideo non poteſt diffiniri, niſi diſtinguatur. Non loquor de ſpiritibus; ut ſunt, uenti, ſeu flatus; quia non ſunt partes in humano corpore. ſed de eis, ut ſunt in humano corpore. In humano autem corpore ſpiritus eſt triplex. Vnus enim in communiſsima ſignificatione dicitur, & appellatur à diligentioribus ſpiritus hecticus, & ſpiritus complantatus. Hic autem ſpiritus quidnam eſt? Nil profectò aliud eſt; quàm is, qui communis eſt, & lapidibus, & plantis, & animalibus; & habet diffinitionem analogicam. &, ſi conſideretur; ut in lapidibus, & plantis eſt nil aliud, quàm calor complexionalis; qui eſt actus ultimus formalis eius, in quo eſt; uniens, & terminans; actum, & eſſentiam. In aliquibus autem eſt ſpiritus; & ipſe eſt quoddam uniens, & terminans; ſed imperfectum. Eſt enim calor complexionalis, in membris exiſtens in potentia. Non eſt autem ultimus actus, ſed eſt in potentia, ut perficiatur à calore influente ex corde. Qui calor influẽs ex corde, unitur iſti ſpiritui complantato; & tunc fit unus ſpiritus, & fit actu, & tunc illud animal, uiuet, et eſt actu. Et hoc eſt illud, quod dicit Ariſt. quando dicit, animam eſſe actum corporis phyſici, organici, poſtea uitam habentis. Auerr. diuinè intellexit hunc locum. Membrum enim potentia uitam habet; quando habet calorem complexionalem, ratione cuius eſt aptum ad recipiẽdam ultimam formam, qua in actum reducitur. Habet enim hoc modo uitam in potentia; quando habet calorem ſuum complexionalem in potentia ad actum

actum uitæ. Sic membrum, ut manus abſciſſa ex corpore, licet habeat formam manus; tamen nõ habet formam manus uiuæ. oportet enim ut uiuat; & influatur calor naturalis actualis. Et inde eſt, quòd hæc manus corrumpitur, quia eſt ſeparata à calore influente à corde. Non enim poteſt nutriri, & non poteſt reſiſtere calori extrinſeco eo, corrumpenti. Credo iam uos intelligere, quid ſit iſte ſpiritus; &, in quibus ſit; &, quomodo ſit in ſingulis. Dicitur autem complantatus; quia implantatus eſt in membris, et non eſt infuſus; Eſt enim complexionalis, exiſtens in membris. Et hunc dicit Auer. in lib. Colliget eſſe in potẽtia etc. Dicitur etiam hecticus; quia ibi eſt, in habitu. Hæc eſt communiſsima ſignificatio, et hoc modo eſt communis omnibus quæ habent formam miſti; licet diuerſimodè. Secundo modo dicitur ſpiritus, qui eſt nobilior, et formalior primo. & hic generatur in animali, et in corde tantùm, & infunditur à corde, uel à proportionali cordi. & diffunditur per ſingulas partes corporis, dans actum ſingulis membris, & perficiens uitam, (ut dicebamus ſupra) Ideo dicitur ſpiritus uitæ. Hic ſpiritus, ubi unitus eſt complantato; fit unus; & facit omnes operationes, quæ poſſunt fieri in humano corpore. Vnde etiam ſpiritus naturalis appellatur à Galeno, quando facit operationes naturales. Inuenitur autem in omnibus partibus, ut dicit Gal. Sed diuerſimodè; In una uerò magis materialiter, in alia formaliter, ſecundùm, quòd diuerſa membra; et ſubiecta; exigunt. Varijs enim in locis ſortitur uariam naturam; ſecundùm

secundùm dictum subiecti uariã dispositionem. Hic ẽt spiritus à Gal. uocatur naturalis. Qui tamen spiritus naturalis à pluribus ita confusè intellectus est; ut ex hoc Galeni loco dixerint dari spiritum naturalẽ; Cùm tamen Gal. intelligat de spiritu uitali; qui quidem dicitur naturalis, quando exercet opera naturæ in membris distinctis operationibus naturalibus. Hoc igitur est secundum spiritus significatũ. Tertius spiritus est omnium nobilissimus, & purissimus; nimirùm animalis, deueniens ex sinistro cordis uentriculo ad cerebrum, ubi iterũ excoctus fit lucidissimus ita, ut faciat pro nobilissimis operationibus, id est pro cognitione animæ, & est consequenter in cerebro, uel proportionali cerebri; secundùm Medicos. Nam secundùm Peripateticos eiusmodi spiritus reperitur in animalibus tantùm; Quia est principale instrumentum, sensuum, & cognitionis. Hæ igitur sunt tres spiritus species secundùm rei ueritatem. Quantùm ad primum, nunquàm uidebitis apud Gal. quòd loquatur de eo, nisi sub dubio; Cùm etiam, neq; affirmauerit, neq; negauerit. Moderni; nihil scientes, nisi ex commentarijs; clamant contra ponentes tertium spiritum, & si Gale. negasset; profectò moueret me tanti uiri auctoritas. Isti autem contra Auerr. insurgunt, & Aristot. Quia Gal. non dicit. Iste enim error nascitur; quia nesciũt aliud dicere, nisi Gal. non dicit. Sed ex scientia, non sciunt, quid dicant. Sunt itaq; tres spiritus reuera; licet apud Gal. ex professo de duobus tantùm sermo habeatur. Quare & alij Medici secuti Galen. duos tantùm

tùm posuerunt. Solus autem Auerr. qui uoluit sequi ueritatem, non uerò Gal. authoritate; posuit tertium spiritum complantatum. Author introductoris, ubi loquitur de humoribus, licet fuerit Medicus, & secutus fuerit Gal. cognouit tamen & ipse spiritũ complantatum. Cùm igitur iam explicata sit uobis natura trium spirituum, quæritur, utrùm sit subiectum sanitatis. Nam uidetis spiritum primo modò dictum, non propriè esse subiectum sanitatis, quia opationes non sunt componentium, sed compositorum. Nam legere, & cogitare; non sunt animæ operationes, sed animalis facultatis, ut dicit Aristot. In membro autem sunt tria componentia, solida, & humores, & spiritus. Quare non erit in his, sanitas, et ægritudo; propriè, quemadmodum in elementis, & humoribus. Sed tantùm impropriè. Sic igitur sanitas erit tanquã in composito. Et hoc de spiritu complantato. Vtrùm autem sit in spiritu uitali instrumentaliter? Quia ista effusio spiritus uitalis est causa instrumentalis, & efficiens; sanitatis; longè etiam remotum est, ut dicamus sanitatem esse in spiritu nobilissimo. Et ita habetis, quid dicendum sit ad illam Quæstionem propositam. Connumerauit enim Auicen. spiritus inter causas naturales proximas; quia aliquo modo est subiectum. hinc etiam nil tractat; quia non est propriè subiectum. Consequenter, quando quærunt; utrùm spiritus sit animatus; facile est uidere. Nam, si accipiatis spiritũ complantatum; dicimus hunc spiritum eo modo materiam esse. Quoniã, accedente spiritu uitali; recipit actum uitæ

uitæ. sed non proprie dicitur animatus; quia nõ exercet opera uitæ, nisi instrumentaliter, & concurrit potiùs, ut forma, quàm subiectum. Dicitur etiam aliquo modo anima animalis, seu animæ actus; si consideretur; ut, natura & subiectum; spiritus uitalis. Et, cùm fuerint uniti; tũc illud unitũ est forma, et instrumentũ; animæ. Nam solum membrum reuera est animatum.

Hîc insuper notandum; quòd quando Gal. calorem naturalem, et spiritum naturalẽ; nominat; Idem sunt. Et Author diffinitionum definit, calorem naturalem esse spiritum innatum. Non differt igitur spiritus à calore naturali. Sed, quando facit operationes animæ; dicitur naturalis. Quando uerò uegetat; dicitur spiritus. et hæc de spiritu. Membra autem sunt corpora, &c. Incipit definire membrum; antequàm accedat ad paßiones ipsius. Et ita faciunt docti uiri. Definitio enim subiecti proprie est medium in demõstratione, circa quod quæstio est. Notandum Auic. fuisse forsam præposterum, quandoquidem multiplex debet priùs distingui, antequàm difiniatur. Quia alioqui definitio erit æquiuoca, et non competet omnibus. Quod est præceptũ Platonis in Philebo, et Gal. 5. de placitis. Cùm igitur membrũ sit multiplex; uel similare, uel compositum; debuit priùs distinguere, et pòst definire. Oportet igitur dicere, quòd, hic definitur mẽbrum, scilicet similare tantum, quod priùs etiam definiuit quia est membrũ simplex; et à simplicioribus ad compositiora est procedendum. Ita ergo est dicendũ. Non autem seruauit hoc Auicen. in hac declaratione, sed multa

multa sunt intermedia genera. Inter membrũ, et corpus. oportebat igitur dicere, Membrũ est instrumentum corporis animati. hoc enim est genus proximum speciei. Sumpsit autem genus ualdè remotũ; quia coactus fuit, ponere hanc differentiam, (quæ alioqui non fuisset necessaria) ut remoueret corpora simplicia metallica; quæ etiam fiunt uaria proportione chyli sulfurei, et chyli argenti Viui. et hoc scientes Alchimici; torquent se in generatione, sulfuris, argenti Viui. Secunda differẽtia etiam propter hoc est. Dicit. n. quòd fiunt ex prima ciborum commistione. Humor enim est illud, in quod nutriens primi conuertitur, et propter hoc distinguit Membrum à metallicis; quæ licet fiant ex humoribus; non fiunt tamen ex humoribus factis ex commistione ciborum. Sed, quoniam plantæ uidentur habere membrum, quæ tamẽ non habent, nisi metaphoricè; Ideo addit ultimam differentiam. Quia, licet plantæ nutriantur; attrahuntur tamen exterius ex terra, circa quam sunt multa, notatu digna. Primò dicit, quòd sunt ex prima humorum commistione. Hoc autem uidetur non esse uerum. fiunt enim membra ex secundis humiditatibus, non ex prima humorum commistione. Videtur itaq; fuisse diminutus, quia uult notare prima semina, ex quibus membra constituantur. sed prima ipsorũ humorum semina sunt cõmunia ipsi; cibus enim est primũ seminale. Ipsorum humorũ. Primum autem seminale ciborum sunt quatuor elemẽta. Est autem aliud dubium. Dicit enim prima ciborum commistione fieri humores. Siquis itaq; utatur unico

cibo; quomodò ex commiſtione ciborum fient humores, cum ſanè miſtio requirat diuerſitatem ciborum? In quolibet cibo ſunt quatuor humores diſtincti. (Intelligendo per cibum chylum.) Inſunt enim diuerſæ partes, ex quarum uaria diſpoſitione fiunt diuerſi humores. Et ita ex commiſtione ciborum fiunt, licet quis ueſcatur unico ciborum. Et ita humores ad cibos referuntur; Cibi autem ad elementa. Et debetis notare; quòd reſolutio, quæ tendit in generationem, et fit à natura; per omnia ſua media ſeriatim. At reſolutio, quæ fit in corruptione; non ita. uerbi gratia, in reſolutione naturali, cibus primò conuertitur in chylum, chylus in humores, humores in membra. At in ea, quæ tendit ad corruptionem. atim cibus coſtnuertitur in uarias ſpecies putredinis. Cauſa autem eſt; quia reſolutio illa tendit ad generationem, et fit à natura; et ideò fit reſolutio debita, et per ſuos gradus. At in reſolutione tendentis ad corruptionem; calor eſt præter naturam. Reſpondemus ad propoſitum quòd primò membrum ex humoribus, humores fiunt ex cibis, cibi ex quatuor elementis. Gal. primo de tuen. ſanit. facit aliam reſolutionem, reſoluens ſimilaria ſtatim in elementa, & tacet, cibos, & humores. At in primo de differentijs morborum reſoluit ſimilaria in humores tantùm, & tacet cibos, & elemẽta. uidetur ergo ſibimet contrarius. Dico, quòd Gal. hoc habet proprium, quòd, quando rem ex profeſſo non tractat; exquiſitè ibi rem non tractat. Sed hic unum dicit, & illic unum. Aliud igitur innuit in. 6. De tuen. ſanit. ubi præ-

termiſit,

termiſit, cibos, & humores; quia ibi uoluit oſtendere triplicem compoſitionem. Vna eſt compoſitio diſſimilarium ex diſſimilaribus; ut corporis ex manu, pedibus, capite, etc. Alia diſſimilarium ex ſimilaribus. Alia ſimilarium ex elementis. Cùm igitur hoc intenderet; non erat neceſſariũ, ut de, cibis, aut humoribus loqueretur. At in primo de differen. morb. 3. non intendebat facere reſolutionem. Quia, cùm uellet habere tres differentias morborum; faciebat tres compoſitiones ſimilarium ex humoribus, ex quo reſultabat primum genus morborum in complexione. Secũdum autem ex ſimilaribus diſſimilarium. Tertium uerò in unitate partium. In qua, ſi fuerit uitium; oritur tertium genus morborũ in unitate continui. Facit itaq; triplicem compoſitionem. Et ita uerum eſt, quod dicit Ariſt. hoc eſt; non debere fieri concluſionem ex negatiuis. Membrorum etiam alia ſunt ſimplicia, &c. Hic facit diuiſionem membrorum. Debebat præcedere; ut diximus. Primum membrum ſimilarium. Hic facit catalogum omnium membrorum, quem omittimus. Illud unum dicemus; quòd ubi dicit. Deinde ſunt panniculi, qui ſunt corpus ex filis neruoſis, non ſenſu perceptis. Quia uidetur eſſe diſcordia inter Gal. & Auic. de textura panniculorum. Immo uidetur eſſe maxima diſcrepantia in ipſo Galeno. Alibi enim dicit membranas eſſe contextas ex fibris; alibi uerò non. Per panniculos etiam ſemper intelligendo id, quod Latini membranas appellant. Nam, qui tranſtulerunt Arabes; pro mem-

 branis,

branis, panniculos dicunt. Videtur itaq; discrepantia in Gal. quia in. 6. de administ. anat. in fine; dicit; membranas nullis fibris esse contextas, & esse corpus exquisitè simplex. Id confirmat in tertio anat. administr. circa finem. Immo dicit esse ueluti telam Araneæ, ubi loquitur de peritoneo. Dicit enim antiquos appellasse membranam corpus simplicissimum, & tenuissimum, & operimentum membrorum. Et ita, si debeat dici membrana; habeat oportet tres conditiones. Quarum prima est, ut sit simplicissimum corpus. Secunda; ut sit tenuissimum. Tertia; ut sit cooperimentum membrorum. In de formatione fœtus, et primo de semine; dicit non esse ex fibris, sed ex semine. & in sexto de anat. admin. dicit expressè, nullis fibris esse contextum. Ita, ut locus ille non possit glossari. In lib. autem de partib. medic. in principio expressè dicit constare ex fibris. Est igitur contradictio in Gal. Hoc idem in. 10. de usu part. asserit; ubi loquitur de cute frontis. Dicit nanq; membranas illas periostia dici. Idem in primo de motibus musculorum, in principio. Et, siquis diceret, in his locis intelligit de membranis, proprie dictis; non potest tamen hæc stare conclusio; quia ipse Galen. in. 7. de aggress. anat. distinxit membranas proprie, & improprie dictas; quæ sunt circunstantiales. Et ita est contradictio in dictis Gal. & multi reputant contradictionem tanquàm thesaurum; sed equidem reputo illas inutiles. Quando igitur & tu dicis, propono hanc contradictienem eadem causa, ut uideatis, quàm periculosum

culosum sit fidere authoritatibus, & quàm miseri sint hi, qui rem suam ita probant, (Hoc dicit Galen. ergo) cùm tamen id Gal. non dicat. Quando igitur aliquid proponitur; faciatis, quod monet Galen. in lib. An ars tuendæ sanitat. &c. hoc est rei naturam inspicite; etenim à rei natura; sunt soluendæ quæstiones. Hoc. n. & ipse facit, & Arist. & omnes magni uiri. Ita ergo & uos faciatis in hac dubitatione. Non enim est contradictio; si consideretis naturam fibrarũ. Nanq; ad solutionem quæstionum consideranda sunt, subiecta, & prædicata. Natura enim membranæ est subiectum, & natura fibrarum est prædicatum. Membrana nil aliud est; quàm corpus, simplicissimum; & tenuissimum, ut tela araneæ, quæ fit periostium. et est significatio membranæ proprie dictæ. Cùm igitur natura membranæ ita se habeat, uidendũ, modò est, quid sint fibræ; et ita patebit solutio. Fibræ possunt accipi pro filamentis quibuscunq;, quæ conueniunt in qualibet textura; nam ẽt in tela araneæ sunt fila. Et ita uidetis araneas texere telas. Et, licet sint tenuissima tela; tamen semper inserunt fila. Et non poteritis unquàm imaginari texturam aliquam; quæ non habeat, fila, et fibras. Fibræ igitur, hoc modo intellectæ; sunt communi, & largo; modo; intellectæ. In proprio autem modo, & apud medicos; non ita intelliguntur; sed, duræ, & neruosæ; partes; quæ faciant aliquod opus; ut in, uentriculo, aut intestinis. & sunt quidem aut longitudinales, aut latitudinales, aut rotundæ; ad hoc; ut dent, aut sensum, aut motum. Et, si in hoc significato

gnificato intelligantur; patet, quòd nulla membra constant ex fibris. Ex quo enim membrana nil aliud facit; quàm ut operiat; non indiguit filis neruosis, quæ sunt propter motum. Membrana itaq; texitur ex fibris improprié; sed ex filis propriè; nequaquàm. & hoc dicit Gal. in primo de motu muscul. & .10. de usu partium, ubi asserit quasdam fibras deuenire ad membranas ab oßibus. Hoc quidem est uerum, non tamen constituunt membranas, sed agglutinant ipsas oßibus. Non sunt igitur contextæ ex illis fibris, sed accidunt illæ fibræ, ut darent sensum. Et primo de usu part. Gal. dicit aliquã membranã deuenire ad cor; non ut tegat ipsum; sed, ut det sensum. Et ita nulla est contradictio, si consideretur natura rerum. Et hæc satis sint de membranis; &, quomodo contexantur ex fibris; &, quomodo non. Et, si notentur uerba Auic. ita est. Dicit enim; quòd sunt corpora ex filis neruosis, non sensu perceptis. Per fila enim, non sensu percepta; intelligit fibras illas communes, improprié dictas. Appellatq; neruosas; non, quia sint reuera ex neruis; sed quia uidentur habere naturam nerui, & similitudinem; quia membrana est, dura, alba, densa. De filis igitur intelligit, quæ sunt similia neruo. Solemus enim per nomina terminantia in osus; notare similitudinem aliquam. Et ita patet, quòd nõ est discordia inter dicta Galeni; Neq; inter Galen. & Auicen.

In unoquoq; membro est uirtus naturalis. Facit unum fundamentum utile ad ea, quæ sequuntur. & dicit in omnibus membris esse uirtutem naturalem

insitam à principio ita; ut omnia membra simplicia habeant hãc uirtutem naturalem ita, ut per eam poßint operari omnes suas actiones. Sed, quæ est ista uirtus naturalis, & quænam sunt suæ operationes? Prima est attractio. Secunda est retentio, quæ tamdiu retinet, quàm diu fit. Tertia est concoctio. Quia autem in omni re, quæ concoquitur; sunt partes diuersæ, neq; omnes possunt conuerti; sed sunt quædam excrementosæ, quæ debent expelli; Ideo sequitur necessario quarta operatio, quæ est expulsio. Hoc uerò ita insitum est omnibus; ut etiam cõmunicetur plantis, & naturalis dicitur. Ideo autem naturalis dicitur; quia, licet plantæ dicantur habere animam; tamen non ita proprié animam habent. Sed animalia proprié dicuntur animata. cùm animal ab anima dicatur. Quia Galenus, & Medici, uitam plantarum, non, animam, sed naturam esse uoluerunt. Melius autem fecit Aristot. qui appellauit hanc partem uegetantem, non naturalem. & uidetur, quòd hoc nomen (uegetabile) sit medium inter naturale, & sensitiuum, quia naturalis actio non extenditur ad augmentum, (nam est secundùm omnem dimensionem) atq; etiam ad alimentum; ut est uidere in metallis, hæc sunt opera animæ. Non igitur naturalis est actio. multo minùs sensitiua (Plantæ enim non sentiunt.) Est igitur media inter naturalem, et sensitiuam. Quod, si sit; etiam tertia uirtus uitalis, quæ ponitur à Medicis, & non à Philosophis; non erit uerè media ista uegetalis; Sed, quando pars corporis nostri abscissa nõ moritur, & non uiuit.

Rami autem in planta abſciſſi adhuc uiuunt. Ideo autem hoc eſt; quia calor naturalis, ſeu complexionalis in membris noſtris eſt in potentia, & indiget calore, influente à corde. Aliter autem eſt in plantis. Singulæ enim partes plantarum habent ſpiritum complantatum actu, quo uiuunt; quòd non neceſſariò corrumpitur, quia habet proprium alimentum. Nam ſi poneretis membrum abſciſſum etiam cum ſuo calore actuali; dato hoc impoſſibili, nõ nutriretur; quia non nutriretur ex terra. At in ramis plãtarum ſecus quia terra eſt proprium alimentum. Rami enim plantæ ſurgunt ex terra tanquàm ex ubere, ex ea ſumentes nutrimentum. Sed de his ſint ſatis obiter dicta. Et poſt quidem hæc membra diuerſa ſunt enim eorum. *Suppoſito igitur, quòd unum quodq; membrum habeat uirtutem naturalem; quia, attrahit, retinet, concoquit, & expellit; & ſuppoſito, quòd etiam præter hanc uirtutẽ ſint adhuc duo genera uirtutum.* (*Ita enim pro nunc dicamus*) *modò his ſtantibus, fit quadruplex membrorum diuiſio, ſecundùm quòd participant de his tribus uirtutibus. Quædam enim ſuſcipiuntur. & bene notetis, quòd ſecundùm uirtutem tantùm fit diuiſio, & non ſecundùm materiam. Quare Moderni, non animaduertentes in hoc; turpiter implicãtur.* Quædam verò ſuſcipiunt ab alijs, tamen non tradunt alijs. Alia membra non ſuſcipiunt, ſed tribuunt alijs. & iſta ſunt Regia membra. Quædam, neque ſuſcipiunt, neq; tradunt, alijs. *Has omnes diuiſiones non*

non concedunt, medici, & philoſophi; æqualiter & primò, quòd ſint quædam membra, quæ accipiunt, & retribuunt; conceditur & à philoſophis, & medicis. Exemplificat autem Auicen. de, cerebro, & hepate; quia uult quòd cerebro tradatur uirtus uitalis à corde, & naturalis ab hepate, ita; ut accipiat cerebrum à corde ſpiritus, & ab hepate, uirtutem nutriendi. Quòd cerebrũ etiam alijs tribuat; patet quia tribuit, ſenſum, & motum; omnibus alijs. Et hoc patet ſecundùm Medicos. Sic & hepar recipit calorem innatum à corde, tribuit autem uirtutem nutritiuam alijs omnibus; ſecundùm Medicos. Ariſt. autem in. 3. De partibus animalium. 6. dicit; cor, & hepar; primaria eſſe membra, & præcipuæ dignitatis in corpore. Sed hepar ob concoctionem, factum eſſe ita, ut habeat à corde calorem naturalem, & alijs membris det uirtutem concoctricem. De cerebro uerò aliter ſentit, quàm Medici ipſe Ariſt. ſecundo de partibus animalium; ubi dicit, cùm ſint quinq; ſenſus; duos prouenire ex corde, auditum ſcilicet & uiſum. Duos uerò ex cerebro; olfactum, & guſtum. Tactum uerò eſſe quodam modo medium. Videtis igitur ſecundùm Ariſt. quomodò cerebrum communicet etiam alijs, ſcilicet, auditui, & oculis; Virtutem ſenſitiuam. Et de primo quidem membro ſatis eſt declarare, in qua re conueniant, Medici, & philoſophi. Quantùm autem ad ſecũdum membrum, quòd ſint quædam membra, quæ ſuſcipiant, & non tribuant; alijs, patet de oſſibus, & carne; quæ nullam uirtutem tribuunt alijs, cùm non, ſint

ſint principia ita, ut poſſint tribuere alijs aliquã uirtutem. Et hoc patet apud, Ariſtot. & Gal. Quòd autem ſuſcipiant uirtutem uitalem à corde; patet. De tertiò autẽ membro; quòd quædam ſint, quæ tribuunt, ſed non recipiunt; in hoc dicit Auic. nõ conuenire philoſophos, & medicos. Ariſt. enim uult, quòd ſit unum tantùm membrum; quod tribuat alijs, nil tamen recipiens ab alijs. & ſit membrum regale, et ſit tanquàm prima cauſa diuina in hoc paruo mundo. At Medici, et Plato; uoluerunt nullum membrum, tribuens tantùm, & nõ recipiens; eſſe. Hoc ita ſtante, dicit Auic. quòd, ſi rem cõſideraremus in ſuperficie, & ſecundùm ſenſum; melior apparebit opinio medic. At, ſi interiùs inſpexerimus, & ſecundùm rationem; potior apparebit opinio, Ariſtot. Nam Gal. in de placitis, Hippocr. & Plat. & in de format. fætus; dum probat non eſſe principatum in corde, ſemper ſumit argumẽta à ſenſu. Dicit enim ſenſu uidere nos, quòd ex cerebro ueniunt nerui, & ueniunt ad præcordia. Et iſti nerui infiguntur in corde & dant illi ſenſum. & ita cor recipit à cerebro. Propterea dicit, quòd recipit cor ab hepate concoquendi uirtutem. Et hoc probat ſenſus. Quia ex anatome uidetur, quòd ab hepate deueniant quædam uenæ, quæ tranſeunt ad cor; & ita per illas uenas recipit uirtutem concoquentem. Quod itidem his ſignis probat Medicus. Nam, ſi ſcindatur, aut ligetur; neruus, qui tẽdit à cerebro ad cor; intercipietur uis ſenſitiua cordis. & ſimiliter, ſi abſcindantur, aut ligentur uenæ duæ ab hepate; non nutriretur.

Medico

Medico tamen attinet, &c. *Quoniam Auic. propoſuerat circa illam partem diuiſionis membrorum, in qua dixerat membrorũ quædam eſſe tribuentia, & non recipientia; duas operationes; alteram Ariſt. quæ eſt talis, quòd quædam ſunt, quæ tribuunt, & non recipiunt; & hoc eſt ſolum cor. Alteram, Platonis, & Gal. quæ eſt, quòd nullum eſt tale membrum, quod tribuat tantùm, non autem ſuſcipiat; Ideo, propoſitis his; dicit Auic. quòd, ſi iudicemus quòad ſenſum; potior eſt ſententia Medicorum. At, ſi quò ad rationem conſideremus; melior erit illa Ariſt. Et inceperamus demonſtrare, quomodò hoc ſit. Dicebamus; quò ad ſenſum nullum apparere membrũ in corpore quòd non recipiat. (Semper autem intelligatis ſuſcipere uirtute influente, nõ de materia. ſic enim dicit Ariſt. etiã cor indigere materia alimenti.) Et ſemper uidetur Gal. longè uerius ſentire quò ad ſenſum. Arguebant Medici ſenſatis argumentis ex anatome. Nerui deſcendunt ad præcordium à cerebro & inſeruntur in corde ad dandum ſenſum. Neq; enim ſentiret; niſi eſſet neruus. Demõſtrat etiam Gal. per ſenſum; quòd indigeat uirtute concoctrice, infuſa ab hepate. Oſtenditq; per uenas, quæ deueniunt ab hepate ad ipſum cor, & dicit, quòd, ſi laqueo intercipias neruum, deuenientem à cerebro ad cor; priuabis cor ſenſu. Sin intercipias uenas, uenientes ab hepate ad cor; cor non nutrietur. Et ita Medici per ſenſum probant rem iſtam. Sed Ariſt. non ita procedit; ſed rationibus demonſtratiuis, ſupponendo hypotheſim ueriſſimam;*

ſi ulla

ſi ulla alia in tota philoſophia; Quam probat in ſecundo Metaph. &. 10. & alibi; ſcilicet, quòd in unoquoque genere entium neceſſe eſt deuenire ad unum primum quod ſit cauſa omnium, quæ ſunt ſub ipſo; &, ad quod omnia habent attributionẽ. Quia ubi eſt pluralitas entium eiuſdem generis; fieri non poteſt, quin iſta communitas habeat unum commune, quod omnia communicant; aliter non eſſet pluralitas eiuſdem generis. Et iſtud unum, non ſolùm eſt cauſa eſſentiæ; ſed permanentiæ; & ordinis. Et quantò magis aliquid participat de illo uno; tantò perfectius eſt. Ita, quòd, ſi remoueret illud unum; remouebitur eſſentia & ordo. Et quantò magis diſtinctè particulariter procedetis; ſemper ex hoc magis apparebit unio. Nam ſub uno communi genere animalium uidetur, quomodo ſeruetur, diſtinctio, & communicantia ſingulorum. At, ſi poſtea accipiatis magis particulare, ut ſpeciem; uidebitis, quantò maior ſit, unio, et communicantia. Quòd, ſi accipiatis indiuiduum; adhuc magis apparebit unio. Veritas itaq; huius propoſitionis apparet in omnibus, Ideo dicit Ariſt. 12. Metaph. ex Homero; quòd non eſt bonus multorum principatus; ſed unus debet eſſe Princeps; ſicut & Plato affirmat, quòd nullum genus politiæ eſt perfectius Regno. Quodq; Regnum eſt omnium Principatuum nobiliſſimum. Et ita in naturalibus, & moralibus neceſſariam illam propoſitionem uidebitis. Quare etiam in hoc idem erit. Et ideo dicit Ariſt. 3. de partibus animalium. 4. quòd non eſt utile animalibus, ut habeãt plura principia; ſed neceſſe eſt,

ſe eſt, ut unum tantùm ſit principium. Illud autem dictum habet neceſſitatem maximam. Niſi eſſet unum principium, membra non conſpirarent ſimul; quia ea, quæ ſunt diuerſorum generum; non communicant ſimul, neq; agunt, neq; patiuntur. Qui etiam ponunt multa principia; non rectè concipiunt, quidnam ſit principium. nam principium eſt id, ante quod nil aliud eſt. Si igitur plura erunt principia; erunt diuerſa genera. Et, ſi diuerſa genera; non erit unitas, animalis in indiuiduo, quia Caput erit ſub uno genere; Cor ſub alio, & hepar ſub alio; & ita erit Chimera. Quare neceſſarium eſt dicere ſecundùm Ariſt. quòd unum ſit principium, quod eſt cor, nõ autem ſecundùm Medicos; quòd tria ſint principia, cerebrum, cor, & hepar. Circa hanc quæſtionem quieſcemus; Nam (ſicut dicit Auic.) Non eſt Medici intromittere ſe in quæſtionibus his. Id eſt, quæ non multùm faciant ad rem, et ad finem artis. Sed quænam opinionum reuerera tenenda eſt? Primò ſciendum eſt, quòd non eſt diſcrepantia, quam multi credunt; ſed ex debilitate intellectus noſtri hoc accidit; ut, cùm nõ poſſimus penetrare in ueram, & intimam; ſententiam ipſorum; putemus propterea ipſos inuicèm diſſentire. Et idem contingit, quod nauiganti, cui uidetur littus ipſum moueri propter uiſus debilitatem. Quãtùm ad, Galeni, et Hippocr. opinionem non uidebitis, quòd non faciant principium cor. Præcipuè autem Hipp. qui non mouetur ambitione contra Ariſt. ut Gal. Licet Gal. ipſe cõcedat hoc uelit, nolit. Primò enim fatetur

tetur, quòd est conspiratio membrorum. At, si hoc est; necessariò est unum principium tantùm, sub quo conspirent; & non multa principia. Hæc est prima ratio. Præterea nonne ponunt principium, uitæ, & caloris innati; Ipsum cor? Sed, quid nam aliud est; quàm ponere principium rationis formalis? Neq; enim cerebrum est cerebrum, neq; hepar est hepar; nisi spiritus influant à corde. Cor est tanquàm Rex in medio, qui omnibus dat, quod debet; et uitam præbet. Ad hæc uidemus; quòd, ubi patiantur, hepar et cerebrum; non planè omnia membra patiuntur. Sed, si patiatur cor; statim patiuntur omnia membra. Insuper; Cerebrum, & hepar; possunt pati abscessus; at cor non potest (hoc cõcedit Gal.) Vnde est igitur hoc; nisi, quia cor habet rationem principij? Et ita Gal. ex principijs suis etiam dicit, cor habere principatum in membris. Et quia calor cordis ponit in actu uitæ, cerebrum, & hepar; Ideo habet rationem causa, formalis, & efficientis. Et hæc est demonstratio à priori. Patet etiã à posteriori; quia nullum aliud membrum facit affectionem in toto corpore. Et ita tùm à priori, tùm à posteriori; res demonstratur. Propterea, cùm conspirent omnia membra; necesse est esse unum principium, sub quo conspirent. Arist. ex altera parte non ita impugnat illa tria principia, quin etiam illa admittat. In secundo nanq;, tertio, et quarto, de partib. animalium, asserit cerebrum, & hepar; esse nobilißima membra; & in septimo dicit, quòd cerebrum est principium sensus. Et non dicit (ut multi putant.) Cerebrum

brum esse tantùm ad refrigerandum spiritus ex corde manãtes. Et de hepate dicit, quòd hepar est causa concoctionis alijs membris. Concedit & ipse Aristo. tria esse membra principalia; quæ principatum habent totius corporis; sed inter ipsa principalia est unus Rex, qui habet istos magnates, quos præficit suis puincijs, & sunt isti maximi Principes. Sed tamen tota rerum summa reducitur ad unum, tanquàm ad Regem. Cerebrum est maximus Princeps, oriuntur ab eo nerui, (quod Conciliator cognouit) sed fons ipsorum est cor. Imaginemini (dicit Conciliator) cor esse fontem, à quo producuntur multi riuuli, qui postea faciunt lacus, & ex istis lacubus oriuntur fluuij. Ita igitur ex corde emanant tanquàm ex fonte; parui nerui, qui sunt tanquàm fluuioli; & accedunt ad cerebrum; ubi postea fiunt maximi nerui, tanquàm lacus. Idem dicemus de uenis. Et ita saluantur Arist. & Gal. Nãq; non negauit Arist. in cerebro apparere maximam copiam neruorum, & in hepate uenarum; sed dicit fontem neruorum, & uenarum; esse in corde. Nam, si spiritus intercipiantur ita; ut non ascendant ad cerebrum; statim intercipiuntur; motus, & sensus; & fit apoplexia ex prohibitione spirituum ascendentium ad cerebrum. Et quidem; licet habeat cerebrũ principales operationes, sensus, & motus; habet tamẽ meritò cordis, similiter nullum membrum haberet facultatem concoquendi; nisi influat in ipsum à corde spiritus uitalis, qui ponit uirtutem illam naturalem in actu. Sed dicit Gal. quòd neruus deuenit à cerebro ad præcordium.

cordium. Respondeo, ut legatis in. 5. de usu part. 13. Ibi enim dicit; neruum quidem sensibiliter deuenire ad pericardium; sed non audet affirmare, quòd deueniat ad cor; Sed dicit uideri spargi. Et licet uideatur non propterea est. & ita non necessariò concluditur, quòd cor capiat à cerebro uirtutem sensitiuam. At dicat quis; uenire ad hepar ob materiam, non ob uirtutem. Verùm iam antè dixi; quòd membra, quæ dicuntur tribuere, uel non tribuere; dicuntur penes uirtutes, non penes materiam. Immo positum est (dicit Arist.) quòd uenæ illæ deueniant ad cor, ut accipiant ab ipso uirtutem concoquentem (quod est longè probabilius) ut, quod est inferius; accedat ad nobilius; causa potiùs accipiẽdi, quàm tribuendi, nisi fortè accedant, ut tribuant alimentum, sicut rustici portant in urbem triticum, & alia alimenta; ipsis nobilibus. Et ita uidetis, quòd Arist. fundamentum est in rationibus demonstratiuis. Et ita, iudicium Auic. fuit dictum circa determinationem huius quæstionis. In ultimo membro dicit; quòd quædam erant membra; quæ neq; recipiunt, neq; tribuant. & dicit hic esse quæstionem inter medicos. Nonnulli enim uolebant, quòd membra hæc, sicut caro, & os; neq; recipiant, neq; tribuant uirtutem, &, quòd non recipiant in se uirtutem concoquendi; & ita non indigere uirtute hepatis. Non tamen idem intelligatis etiam de uirtute cordis; quia omnes indigent beneficio cordis. Quidam econtrà dicunt; quòd suscipiant ob hepate uirtutem concoctricem. Auicen. igitur dicit, quòd licet non sit ualdè curandum

randum de istis quæstionibus medicorum, conferẽdum tamen esse primam sententiam ueriorem. & ita assentitur secundæ opinioni in antiqua translatione; licet in castigato à Bellunense testu assentiatur alteri opinioni, scilicet, quòd membra ista indigeant hepate ad concoquendum. Quæ quidem hisce fundamentis innititur. Sicut se habet in reliquis partibus, ita etiam se habet in, carne, & osse. Sed si nerui omnes, tàm sensitiui, quàm motiui, ligentur; intercipitur eis uis sensitiua ita, ut membrum illud, ad quod ipsi deueniunt; non sentiat ampliùs. Cùm igitur hæc instrumenta non ampliùs sentiant ob neruorum constrictionem; quia non ampliùs influit uirtus à corde, pariter iudicãdum de arterijs, osse, & carne, scilicet, quòd si intercipiatur uirtus cõcoquens, quæ deuenit ad ipsam ab hepate; non nutrientur. Hoc dicit Auic. tamen (quicquid sit) nolo improbare tantum uirum. Illud tantùm dicam; quòd probabilior est opposita opinio; & magis est secundùm medicos, & philosophos. Quia dummodo habeant uirtutem influentem, et alimentum, quàm diu dabitur alimentum, semper nutrietur absq; hepatis uirtute, & hepar nihil aliud facit; nisi, quòd tribuit alimentum. Est enim omnibus membris insita uirtus concoquendi; quæ est causa efficiens, id est calor complexionalis innatus, & actuatus à calore cordis. ubi etiam fuerit causa efficiens concoctionis; indigemus tantum materia. Probabilior itaq; & uerior est opinio eorum, qui dicunt, ossa, & carnem, neq; recipere uirtutẽ nutritionis ab hepate, neq; tribuere alijs.

Et ſimilitudo Auic.uana eſt. Si enim neruus non mouetur, niſi influat à cerebro uirtus; hoc eſt propter nobilitatem uirtutis animalis, ſenſitiuæ, & motiuæ. Nam anima uegetatiua eſt æqualiter diffuſa per omnia membra. Et ideo uidetis ramum; ſi abſcindatur, & figatur in terram; uiuere, & nutriri; quia uegetatiua anima eſt ualdè materialis; anima autem, ſenſitiua & motiua; ob ſui nobilitatem non eſt ita diffuſa. Sed exijt à corde calor influens, qui ponit in actu calorem complexionalem. Qui calor influens, ſi intercipiatur; deficit uita. Examinauimus ſingula membra illius quadruplicis diuiſionis, oſtendimus item in membro illo de membris influentibus, et non recipientibus; opinionem Ariſt. eſſe præferendam ſententiæ Galeni, quoniam uerior; et quòd Gal. argumenta ſunt coniecturæ tantùm. & uidiſtis, quòd nõ eſt multa differentia inter Ariſt. & Gal. & quòd Gal. potiùs contradicendi ſtudio diſputat; Quodq; Hipp. etiam inuitum in ſuam opinionem trahit. Poſtea in quarto membro uidiſtis differentiam inter medicos. Quodq; Aui. probabat illorum opinionem; qui dicunt, nullum membrum eſſe, quòd, neq; tribuat, neq; recipiat. Omnia.n. accipere, etiam carnem, & oſſa; ab hepate. Nos autem oppoſitum determinauimus; &, quòd, caro, & os; neq; accipiant uirtutem ullam ab hepate, neq; alij, tribuant. Et ratio determinationis aſsignata fuit. Vidiſtis inſuper; quænam ſint principalia membra. Modò ſubſequenter aliam ponit diuiſionem Auicen. quæ ſumitur ſecundùm nobilitatem, & principalitatem; quatenus

quatenus unum membrum eſt magis principale, quàm aliud. Et dicit quòd ferè ſumitur à prima quæ eſt per retributionem. Nam quòd tribuat, & non ſuſcipiat; illud eſt maximè principale. Circa hoc igitur, ut remoueantur omnes quæſtiones, quæ poſſunt accidere; debetis ſcire circa mẽbra hæc principalia, quòd membrum principale dicitur multipliciter. Vel ratione temporis, quòd. ſ. ante omnia alia membra genitum eſt; et hoc modo hic intelligitur. Dubitatur quodnã ſit tale membrum principale. Dicit Gal. ante in lib. An animal ſit in utero (Modò liber ille Gal. ſit) ſolũ Deum hoc ſcire. In lib. autem De formatione fœtus dicit, membranam quãdam generari primò ex ſemine. Hæc erat regula Ariſt. 4. de partib. anim. quòd illud quod eſt cauſa augmenti, & nutrimenti, eſt primò genitũ, & certè ueram rationem inuenit Ariſt. poſtea uult hoc eſſe cor. Alio modo dicetur principale ratione dignitatis. Bene cognoſcetur principalitas talis ex Galeno. 6. de uſu partiũ. ubi dicit, quod debet dignitatem membrorum ſumi ab uſu, & fine. Nam, quod habet rationem nobiliſsimæ operationis; illud dicitur princeps. Propterea cùm ſit unum membrum, quod eſt cauſa uitæ, ſcilicet cor; Vita autem illa eſt, ſine qua nulla erit operatio, ideo cor illud erit principaliſsimum. Ex hoc loco Gal. dat principatum cordi. Sed in hoc diſcordat; quia uult cor ſuſcipere à cerebro uirtutem ſenſitiuam, ab hepate concoctiuam; Cor igitur eſt principium principalitate dignitatis propter rationem dictam. Oportet igitur neceſſariò, ut ſit actio

in animali,quæ facit esse animal,& est sensus,& motus: Ideo secundum principale secundùm Medicos est cerebrum. Tertiò,si debet perdurare anima; necesse est,ut nutriatur; ideo membrum, quod facit plurimum alimentum corporis,erit membrum principale. Tale autem est hepar;ergo hepar est principale membrum, quia facit sanguinem, qui est nutrimentum totius corporis. Et ista tria reperiuntur principalia membra in corpore humano, principalitate dignitatis,ad conseruationem ipsius indiuidui. Sed,quia indiuiduus est, mortale; ideo oportet,ut perpetuetur species. Quod,ut fieri possit, aliud membrum est necessarium, quod est principale huius actionis. & hoc instrumentum secundũ medicos, non secundũ Aris.sunt testiculi,in quibus est generatio seminis secundùm ipsos,quæ facit maximè ad generationẽ. et ita quatuor inueniuntur mẽbra principalia principalitate dignitatis.Sed sciẽdũ est omnia mẽbra principalia dupliciter cõsiderari,uel ut sunt similaria,uel ut sunt instrumentalia. Si ut similaria; cerebrũ ut similare non est nobile,sed infimum. Eadem est ratio de corde, & hepate. Principale igitur inter similaria sunt spiritus, deinde sanguis. Sed ut instrumẽtalia illa sunt, quæ diximus.Et,quoniã ista considerãtur,ut instrumẽta, ẽt instrumẽta sunt confecta ex pluribus similaribus, et habẽt partes diuersas;sequitur quòd nõ pariter sit nobilitas in omnibus (& hoc est Gal.6.de usu part.7.)& ita proponit exemplum de corde,& dicit cor habere hanc principalitatem; sed dicit hanc principalitatem esse

esse in cuspide cordis,et quia cuspis est nobilior cæteris partibus ipsius cordis,deinde dexter uentriculus, ignobilior sinistro, in quo perficitur spiritus. Postea Gal.dicit oculum esse nobilissimum post illa principalia. Nobilitas autem stat in humore crystallino,qui facit uistonem. Reliquæ autem partes sunt adiuuantes. &,quia adiuuant, dicuntur principales. His stãtibus dicit Auic.quædam membra esse principalia, quædam deseruientia principalibus. Quædam,neq; principalia, neq; deseruiẽtia principalibus. Principalia enumerat; sed historicè tantùm, & dicit, quòd ratione durationis sunt tria, cor, cerebrum, & hepar. Ratione speciei adiunguntur & testes, quos dicit habere prineipalitatem ratione usus, qui est duplex, ob, uel necessitatem, uel utilitatem. Necessitas est, quia in ipsis fit semen necessarium ad generationem. Vtilitas autem est; quia per eos distinguuntur sexus. Circa primum usum bene dicit,secundùm Gal. sed miror inconstantiam Auic.cùm declinet, modò ad Gal.modò ad Aristotelem, qui uult testes ipsos ratione utilitatis genitos esse non necessitatis. Et ratio est: quia, si essent necessarij; omnia animalia generantia haberent testes. Sic oculus est necessarius ad uisum, quia nullum animal uidet sine oculis: cor est necessarium ad uitam; ideo nullum animal uiuit sine corde, uel proportionali cordis. & hæc non est inanis sermocinatio,ut dicit Auicen.in.7.cap.9.de anima de Gal. quòd Gal.in philosophia uidit tantùm rerum medietatem. Vsus autem testium secundùm Arist.est, quòd uasa seminaria

minaria deueniunt ad illos; & faciunt ibi multas reuolutiones, quæ faciunt ad generationem, & concoctionem; seminis. At non dicitur, quòd non solùm appendant. Quod inde patet; cùm dicit; quòd, quando uasa illa amputantur; fiunt homines steriles. Sed nolo hanc rem nunc tractare. Obiter autem hoc uolui dicere, ut sciatis Arist. spernendum non esse, & certè equidem ualdè indignor contra Gal. quia, quicquid habet Gal. boni; habet ab Arist. & miror, cur fuerit ita ingratus in Præceptorem. Quantùm autem ad secundum testium usum; dicit Auic. quòd usus necessarius est ad distinctionem sexus. Sed hoc stare non potest; quia etiam fœminæ habent testes, sed imperfectè, & in hoc differunt; non etiam in eo, quòd uiri habent testes, fœminæ autem non. Sed, quia hæc membra in fœminis sunt imperfecta, & etiã, quia in fœminis sunt intra; in uiris extrà; quia defecit caliditas in fœminis, quæ protruderet extra. Ideo dicitur; quòd fœmina est peccatum naturæ. Sed hoc est figmentum Auicen. Non enim posuit hoc Arist. nec Gal. quod facilè in sequentibus patebit. Membrorum deseruiẽtium alia sunt, &c. Dixit de membris principalibus; nũc dicit de deseruientibus. Hæc deseruientia dupliciter diuiduntur. Quædam enim seruiunt seruitutem præparatoriam; Quædam autem seruitutem latoriã. Pulmo enim præparat spiritum cordi; ideo seruit ei seruitute præparatoria. Stomachus præparat nutrimentum hepati seruitute præparatoria; Arteriæ uerò seruitute latoria cordi deferunt spiritus, per totum corpus

corpus; necnon uenæ seruitute latoria, hepati deferunt sanguinem itidem per totũ corpus. In hoc Auic. rectè notauit, præparatoriam præcedere latoriam seruitutem; & dicit; seruitutem delatoriam esse absolutam; quia sunt mera instrumenta præparatoria. Et est seruitus utilis; Dicit Auic. Cerebri uerò seruiens præparatorium est etiam hepar. In hoc decipitur Auicen. quia hepar non est præparatorium membrum cerebri propriũ, neq; alicuius membri, sed totius corporis; neq; minus præparat nutrimentum alijs omnibus, quàm cerebro. Regula est Galeni; quia nunquàm dicit aliquod membrum præparare materiam alteri mẽbro; nisi, quando habet meatum, & transitum; ad illud solum membrum. Quia, si etiam ad aliud; tunc non habet unum proprium, cui seruiat. Et fuit speculatio digna Galeno. Et dat exemplum de membris principalibus. Stomachus est membrum seruiens hepati uirtute præparatoria. quia omnes uenæ stomachi deueniunt ad hepar solum. Deinde dicit retiformem plexum esse uerum præparatorium cerebri; quia omnes rami, deuenientes à retiformi deueniunt ad cerebrum. Si pulmo, quia est præparatorium cordis; eius cannales deueniunt ad cor. Præterea in testiculis est idem. Habent usum illa uasa spermatica præparatorium; quia ipsa uasa deueniunt tantùm ad testes. & ita hepar nõ est præparatorium cerebro; quia non soli cerebro, sed omnibus æqualiter præparat. & mirum est; quòd Auic. non uiderit hoc. Alia sunt clara in textu.

Gal. autem dixit; quòd membrorum alia ſunt, &c. *Cùm determinauerit Auic. quomodo diuidantur ſecundùm participationem & tributionem; uirtutum; &, quatenus ſunt principalia, aut deſeruientia; Et, quomodo diuidantur, quæ ſunt ſeruientia; Aggreditur modò aliam diuiſionem, quam dicit eſſe Galeni; quæ eſt & ipſa ſecundùm uirtutum participationẽ. Et dicit membrorum quædam præſtant operationem tantùm; quædam iuuamentum tantùm; quædam; operationem, et iuuamentum ſimul. Circa quam diuiſionem, ut rectè poßimus aſſequi uerba Auic. quæ ſubſequuntur; Sciendum eſt (ut ipſe dicit;) quòd per operationem hoc loco intelligit reliquam uirtutem neceſſariam, pro conſeruatione, uel indiuidui, uel ſpeciei. Iuuamentum autem hoc loco non intelligitur pro fine; intento ab, actione, & paßione (ut apud Galen. in De uſu part. et alibi.) Sed pro eo, quòd præſtat auxilium alteri ad obeundum aliquam actionem; ſine quo auxilio non ſequeretur operatio. Vndè diceretur hoc loco magis proprie adiutorium. Et ita, ſi rectè uultis aſſequi, quæ hîc dicit Auic. oportet ita intelligere terminos. His ita ſuppoſitis; dicit, Auic. membrorum; quædam habere operationẽ tantùm, & non iuuamentum; quædam iuuamentum tantùm, & non operationem; quædam utrunqúe. Operationem tantùm habet cor, & non eſt adiumento alicui. Pulmo autem è contrariò non habet uſum aliquem principalem determinatum, ſed tantùm, ut adiuuaret. Non enim reſpiratio habet uſum principalem uitæ neceſſarium; ſed tantùm*

tantùm modò, ut foueat, & euentet calorem innatum in corde. Vnde pulmo præſtat tantùm adiumentum. Quòddam membrum habet, & propriam operationem, & adiumentum; ſed ſecundùm diuerſos reſpectus. Vt hepar præſtat quidem operationem neceſſariam, quia ſanguinem generat. Præſtat & adiumentum; quia adiuuat tertiam concoctionem, elaborando ſanguinem. Et ita habetis triplicem iſtam diuiſionem Auic. ſecundùm mentem Gal. Ex qua re debetis ſcire hanc non fuiſſe mentem Galen. Et poteſtis torquere, quantùm uultis. Sed tamen nunquàm dicit Gal. hoc. ſed de diuerſis partibus unius membri, nõ autem de membris diuerſis; in. 6. & . 5; de uſu partium, & primo de cauſis morborum; talem proponit diuiſionem. In quolibet membro, nõ autẽ in diuerſis mẽbris; eſt una pars, quæ habet principalem operationẽ, et perficit. Quædam pars adiuuat tantùm, & agit. Et notetis bene, quòd iſta diuiſio Auic. coincidit cũ illa diuiſione membrorum, quoddam eſſe principale, quoddam deſeruiẽs. Quod tamen non poteſt dici de iſta diuiſione. Exẽplificat autem Gal. ibi de ipſo crure, & dicit, crus habet uſum proprium ad hanc actionem ſcilicet ambulationis. Dicit Gal. quòd in iſto crure eſt quoddam, cui debetur principaliter actio tantùm. quoddam, quod habet iuuamentum tãtùm; quoddam, quod habet utrunq; Quod peragit illam actionem; eſt hoc totũ crus. Quod autem præſtat iuuamentum tantùm; eſt os, ſubſtinet enim tantùm. Quod uerò præſtat actionem, & iuuamentum; ſunt ipſi muſculi, qui ſunt tanquàm propugacula,

pugnacula, neruorum, & oßis; & ita afferunt iuuamentum. Habent & operationem; quia mouent. Sic in oculis est humor crystallinus, cui datur principaliter actio uidēdi. Postea sunt aliæ partes, quæ præstant iuuamentum; ut tunicæ; Nam uuea aggregat spiritus, et continet. Quod ueró adiumentum præstat, & operationem; est neruus opticus. Adiumentū quidem, quia facit tunicam, quæ amplectitur totum oculum. operationem autem; quia dat sensum, & spiritus defert ad uisionē. Hæc est diuisio Galeni, quæ non potest coincidere cū illa de mēbro principali deseruiente, sicut incidebat illa Auic. Et etiā denuo dicemus, quòd membrorū; alia sunt, quæ generantur ex spermate, &c. Postquàm fecit hanc diuisionem Auic. aggreditur aliam diuisionem; quæ sumitur ratione, principiorum, & compositionis; quia fiunt membra. Et dicit, quód, quædam sunt membra spermatica, quæ generantur ex spermate; Quædam sanguinea, quæ generantur ex sanguine. Ex qua determinatione facit quæstionem; dicit, quód maximus philosophorum dicit membra omnia generari ex sanguine. Medici autem uolunt quædam generari ex semine. Et tandem determinat ueriorem esse sentētiam Arist. Patet autem, quód hæc quæstio pertinet etiam ad medicū. Quoniam autem de hac creber est sermo; Ideo, ut uideamini docti (ad quam opinionem sequitur postea lucrum) debetis eam diligenter considerare. In hac igitur quæstione non faciam, ut alij, qui confundunt quatuor quæstiones; sed dicam fundamenta rerum.

Quatuor enim sunt inquirēda. Primum; utrùm mēbra ista, quæ dicuntur spermatica; generētur ex semine, an ex sanguine. Secundū; utrùm mulier eijciat semen in coitu. Tertium; si eijciat, utrùm admisceatur cum semine uiri. Quartum; si admisceatur; utrùm concurrat mulier effectiuè, an non; Et uir concurrat paßiuè; an non. Quantùm ad primum quæstū; utrùm membra spermatica generentur ex semine; Gal. & Medici; tenent quòd sic (teste etiam Auic.) excipientes, adipem, & carnem. Negat autem hoc Arist. Rationes, quæ persuadebant Galeno; sunt primus modus generationis, & substantiæ; ipsorum. Videbat enim, membra ipsa esse, extensibilia, dilatabilia, perforata; et ita fuisse genita ex quadam materia, ualdè extensibili, & ualdè obediente calori. Præter enim hos; reliqua omnia sunt tenuia. Hoc supposito; dicit Gal. Sanguis non est extensibilis; ergo non generabuntur ista ex sanguine. Quod etiam per te (ò Arist.) probo. Natura enim per te eligit materiam conuenientem. Non erat autem materia conueniens ad generationem horum membrorum sanguis; quia non potuisset, extendi, & perforari; est igitur semen materia. Prætereà etiam arguit ab homine. Tu dicis (ò Arist.) 1. & 2; De generatione, semen generari in uenis illis inuolutis, quæ ueniunt ad testes. Argumentor igitur sic. Quodcunq; membrum alterat, et concoquit; aliquid in seipso; concoquit propterea, ut alatur eo. Nō enim conficit propter aliud; quia non habet sensum, ut propter utilitatem alienam præparet; sed ratione suijpsius,

ſtus, ut nutriatur. Quòd aũt poſtea ex eo ẽt alia membra nutriantur; hoc eſt per accidens; Nã, quòd ſupereſt poſt ipſam nutritionẽ; expellitur ut ſuperfluũ; non ad nutrienda alia membra; ſed, quia eſt ſibi ponderoſum. Si igitur per te uena & arteria; conficiunt ſemen; non utiq; hoc efficiunt; niſi, ut nutriantur eo. Sed, ſi appetunt nutriri ſemine; ergo fuerunt genita ex ſemine; quia unumquodq; eo nutritur, ex quo genitum eſt. In contrarium autẽ eſt Ariſt. dicens omnia membra generari ex menſtruo, tanquàm ex materia, & ſanguinem à calore naturali transferri in uarias formas per uarias coctiones. Quare derident Peripatetici has rationes Gal. Ideo Auerroes, & Auic. dicunt Gal. fuiſſe ſemidoctum, cùm præſupponit in primo argumento, arterias, et uenas; generari ex ſanguine ſub forma ſanguinis, quod eſt uanũ. præſertim, cùm etiam ipſe Galenus dicat fieri in ſanguine uarias alterationes. Ex ſanguine igitur dicant propriè generari, uenas, & arterias; ſed ex ſanguine, alterato, & mutato ad formam. quia illa mutatio nihil aliud eſt niſi præparatio ad formam. Hoc igitur, ſi intelligeres (dicunt Peripatetici) ò Galene; non diceres ſanguinem non eſſe conuenientem materiam pro generatione membrorum ſimilarium. Erat aliud argumentum Galeni (quod omiſeram) quòd membra iſta, ſi eſſent ex ſanguine; poſſent regenerari, ſicut alia ſanguinea regenerant abſciſſa; & nõ regenerantur, quæ ſunt ex ſemine. Cuius ratio eſt multa copia in corpore, ut ſufficiat ad regenerationem. Reſpondent Peripatetici deri-

dendo

dendo iſtam rationem, ipſum eſſe oblitum; & uirtutis formatiuæ, quæ eſt uirtus quædam, ſimilis diuinæ, 7. Metaph. 31. eſtq; in ſemine, & agit ueluti quoddam diuinum. Sed poſtquàm genita ſunt membra per uirtutem formatiuam; non poſſunt ampliùs regenerari; quia non ampliùs adeſt agẽs, neq; adeſt uirtus formatiua, exiſtens in principio. Et non eſt dicendum, quòd uirtus nutritiua idem poßit, quod formatiua. Bene igitur adeſt materia, et patiens; ſed non agens. Et ita uidetis, quàm ueræ, & uiuæ ſunt rationes Peripateticorum. &, quàm pungant Galenum. Quantùm igitur ad primum quæſitum. Quicunq; fuerunt Doctiores, et qui potuerunt pertranſire in ueras rationes, philoſophiæ; aſſentiuntur opinioni Ariſt. propterea nónne uidemus, omnia nutriri ſanguine? Neqúe enim ſemen tranſit ſub forma ſeminis ad nutritionem membrorum iſtorum ſimilarium. Quare, ſi nutriuntur ſanguine; etiam ex ſanguine ſunt generata ita, ut retorqueatur argumentum in ipſum Gal. Bene ſcio, quòd quidam dicunt, ſanguinem in, uenis, & arterijs; albificari; ſed non negabunt, Peripatetici. Volunt, quòd diuerſorum membrorum nutritio diuerſas patiatur alterationes. et ſic erit tantùm quæſtio in uerbis, non in re. Quantùm ad ſecundum, utrùm mulier ſperma eijciat; Negat Ariſt. mulierem eijcere ſemen, ſed uirum tãtùm; quamuis non ignorarit humiditatem illam ſeminalem, quam eijciunt mulieres. Sed pro declaratione iſtius rei, & opinionis; debetis ſcire (ut docet Ariſt. primo De partibus animalium, & ſecundo in multis cap.) ſe-

men

men esse principium actiuum generationis in omnibus, quæ generantur ex semine, & habere potentiam in se generandi. Ita enim formaliter diffinit. Quicquid igitur non erit principium generationis non erit semen secundùm Arist. Materia enim istius seminis fuit etiam cognita ab Arist. & est talis. Dum sanguis diffunditur per uenas ad partes corporis; apponitur, et aßimilatur; membris singulis. Dum ita aßimilatur, id, quod redundat, atq; ibi est tanquàm aliturum; non tamen alit; cùm propter, uoluptatem, frictionẽ, & imaginationem; incalescant membra; circa pudenda attrahatur à singulis partibus corporis illud excrementum, quod quidem est plenum spirituum, & est moderatum; unde titillant homines, & irritantur; mira quadam, uoluptate ante coitum. Quando autem delata est hæc materia ad testiculos; turget. (dicuntur autem animalia turgere; quando propter impetum materiæ, stimulantis ad coitum nesciunt loco stare) et in turgitate illa excrementum exit, & plenum spiritu, & cum summa uoluptate incalescens. Et in partibus illis maximè sensilibus est maxima titillatio, quæ generat uoluptatem. Hæc est igitur natura seminis. scitis igitur; &, quid sit semen formaliter; &, quæ materia eius; &, unde etiam decidatur. Et hinc causa similitudinis prolis cum parentibus reddi potest. Quia semen, dum deciditur ex partibus; ferè erat illis unitum, & aßimilatum; & attraxerat aliquid in se ex delineationibus, & figuris, quæ erant in illis partibus. Causa igitur, quare materia seminis deueniat ad uenas

nas illas inuolutas; talis est, ut diximus, ex Aristotele. Cur autem in gonorrhæa sine uoluptate emittatur; alia est causa, ut dicit Aristoteles. diuiditur enim illa materia seminalis ex illis partibus, quotiescunq;, uel ratione superfluit coitus, uel ratione alterius causæ, dilatantur meatus, & debilitatur calor innatus; & tunc incipit materia illa sponte decurrere; quæ priùs propter uoluptatem decurrebat, & fit gonorrhæa. Aut certè fit propter debilitatem membrorum; quæ non poßunt ita rectè aßimilare; et ideo redit ad uenas; et à uenis transit ad penem per quam exit. His causis cognitis; uidetis quantùm erretis. Curatis enim gonorrhœam refrigerantibus; magis autem refrigeratis corpus, & debilitatis. Constringitis enim uias, quod tum est maximè cauendum in quolibet fluxu, ut dicunt Gal. & Auic. Vera igitur curatio erit augere concoctiones, & corroborare membra recipientia debilia. Sed oportet plus prouidere, ut membra poßint concoquere materiam illam, & ipsam uertere in nutrimentum. Et ita poteritis curare gonorrhæam. Nam, cùm sit uitium tertiæ concoctionis; oportet adiuuare hanc tertiam concoctionem moderatis frictionibus, balneis dulcibus, & similibus; non autem frigidis, nisi in uno casu; quando scilicet propter nimiam uoluptatem nimiùm sunt aperti meatus. Aliter; semper moderatè calefacientibus, et humectantibus; procedendum est. Maximè balneis; quia hæc ualdè iuuant tertiam concoctionem; necnon frictionibus. Habetis igitur, quid semen sit ex Arist. quæ materia, & qua

qua de causa in gonorrhæa, & à quibus partibus decidatur. Supponendo igitur semen esse (ut diximus) principium actiuum generationis; consequenter concludit, mulierem non emittere semen. Argumentatur autem Gal. contra in. 6. De locis affectis, ubi loquitur de prefocatione. ubi dicit; mulieres aliquando incidere in suffocationem uteri, propter semen retentum. Cuius signum est; quòd ipse iussit sæpe obstetricē inijcere digitos, & confricare partes illas; & exijsse semen cum uolùptate, & ita curasse. Deinde dicit. Non ne uides, quòd in coitu delectātur mulieres? hæc delectatio non pōt esse nisi, à semine spumoso. Hæ sunt rationes Galeni contra Arist. Habentur autem hæc omnia. 1. de generat. animal. cap. 19. Dicit enim ibi has humiditates non esse semen; sed excrementum matricis. Quæ, neq; faciunt ad generationem, neq; ad uoluptatem. Immo dicit, quòd quædam etiam concipiant, nihil emittendo; & ita dicit, quòd non est semen. Dicetis, cur igitur delectatur mulier in expressione ipsius? Delectatur utiq;, quia materiæ illæ faciunt delectationem ratione spirituum; non secus, quàm pueris contigit; qui nunquàm emittunt semen; delectantur tamen, quia expirant spiritus per penem. Sed omittamus hoc. Quantùm ad apparentiam illā, quòd fiant sæua accidentia ex illa materia; concedo; sed non est necessarium, ut sit semen. Illud est maximum argumentum; quòd dicit Arist. quòd fit, generatio, et conceptus sine humiditate illa alba. Et ita quantùm ad secundum quæsitum; uidetis opinionem Arist. stare firmam,

firmam, neq; ualere rationes Galeni.

Pro quæstione famosa de principijs generationis, & quomodo semen uiri, & mulieris; concurrāt ad generationem; oportet omnia esse clara in istis quatuor præcedentibus quæstionibus, ut sciamus principalem intentionem. Prima igitur quæstio erat; utrùm membra spermatica generentur ex semine, uel ex sanguine. Secunda autem, utrùm mulier emittat semen, ut uir. Tertia erat, utrùm semen mulieris (qualecūq; sit) misceatur cum semine uiri. Quarta, utrū semen hoc muliebre, si misceatur; concurrat actiuè, an non. Hæ quæstiones licet ualdè sint coniunctæ; sunt tamen diuersæ. Potest enim esse unum, & non erit aliud. Suprà expedita tractatione de prima conclusione, tractabamus secundam quæstionem, scilicet, utrùm mulier emittat semen. Et uidistis, quòd semen secūdùm Arist. decidebatur ex omnibus partibus corporis. Hic uidetur esse contradictio in uerbis Arist. Dicebam, ex omnibus membris semen decidi secūdùm Arist. Quod quidem ex diffinitione patet, quæ est superfluitas ultimi alimenti utilis. Præterea, clariùs dicit Ipse; quod illud ultimum alimentum apponitur membris, ut uniatur. Sed, si fuerit nimium in quantitate; aut peccet in qualitate; ut quia sit crassius; aut, quia tenuius; calidius, aut frigidius; fit semen inutile. Ex his igitur patet, quòd Arist. tenet semen decidi ex omnibus partibus. Sed idem primo De generat. anim. 20. dicit expresse, semen non decidi ex toto. Quòd si à toto decideret; animalia multipara, ut sus; non generarent.

generarent. & tunc ex professo dicit nõ decidere semen ex toto. & tamen in. 19. dicit expresse; quòd deciditur ex omnibus partibus corporis. Quid igitur est dicendum? Facilis est solutio, siquis da bene intelligat, quæ ibi dicit Arist. in toto libro, nam est totus legendus; ut totum sciatis, quod uelit Arist. In eo igitur libro tripliciter capitur semen. Quandoq;, pro materia: ut in loco præallegato. Quando dicit (ab omnibus partus, &c.) & affert exemplum, ut deciditur calx ex pariete, quando nimia est. Secundo modo; quando est in proprio loco, & est semen actu cũ spiritibus. & hoc modo in secundo libro. 4. cap. intelligit; ubi dicit semen excretum habere propriũ locum. Omnia enim excrementa habent loca propria, delegata à natura; ad quæ decumbunt. Ita semen habet uenas illas conuolutas. Videtis igitur, quòd semẽ primo modo decidetur ex toto. Secundò uerò non deciditur ex toto, sed ex proprio loco. Tertio, ut est semen, nutritum semine alio, quando potentia est proximè planta, ut accipitur in primo de generat. animalium; cap. 20. ubi dicit etiam, quòd ex uno grano frumenti generatur unus cespes (melius enim ita uertetis; quàm uertit Theodorus, & non generari duos cespites.) Habitis his definitionibus; & habito hoc, quòd ex uno semine non generetur, nisi unum animal, aut unus cespes; subijcit (& in hoc differt semen animalis à semine plantæ; quòd scilicet semen animalis potest plura generare.) Postea subdit, (& ideo semen humanum, ita unitum, nõ deciditur ex omnibus partibus

tibus corporis; nam alioqui sequeretur, quòd ex uno membro elicerentur plura membra.) Ideo Arist. diuersa dicit. Quia non idem modo semen intelligit Arist. cùm dicit (semen est superfluitas, decidens ab omnibus partibus corporis) Ibi enim definit materialiter, quod indicat ipsum genus, superfluitas. Sed, quando dicit, quòd à proprio loco deciditur; definit formaliter. Veniamus modò ad tertiam quæstionem, ex quo habuimus mulierem non emittere semen. Intelligo semen propriè, formaliter, non materialiter. Emittit semen mulier, secundùm etiam Aris. Nam definitio illa materialis competit, tàm semini mulieris, quàm uiri. Est enim etiam in muliere superfluitas illa utilis. Vtrùm autem semen istud mulieris misceatur cum semine uiri; Recentiores ualdè anxij sunt. Nos autem breuiter dicimus, quòd secundùm Arist. & Gal. concorditer est mistio istorum seminum. &, quòd aliter non fit conceptus. Et, quòd hæc sit sententia Arist. dicit ipse. 1. de generatione animal. cap. 19. quòd ex mistione duorum seminum fit conceptus; &; quòd ex uno conceptu fit tantùm unum animal, quia ista mistio est animal potentia, & potentia unum. Potentia autem, & actus; sunt contraria. Quare ad unum potentia sequitur & unum actu. Est tamen multa discrepantia inter utrunq;. Nam Galen. uult, quòd illa mistione, fiat unum, uidelicet ex mistione quatuor elementorum: & Arist. uult, quòd fiat unum ex materia, & forma; ut ex materia fiat unum, quia natura est intra materiam suam, non aliter; quàm dicimus

ex artifice; & materia; fieri unum. Quia artifex est extra materiam, & dat ornatum in superficie, quia est extra, et intus sunt omnia informata. Si quæratur, igitur tunc, nunquid misceatur semen uirile cum muliebri; admiscetur quidem, sed non unitur. Sed, quoniam erat necessariũ; si uirtus actiua, quæ est in ipso semine uirili; debebat inueniri, & agere in semẽ muliebre; ut approximaretur agens patienti; ideo miscetur semen uirile, sed non proprie miscetur. Et notetis Gal. insurgere contra Arist. dicendo esse contra experientiam. & ad memoriam reuocat illam saltatricem, quæ emisit semen; & quiddam, quod erat simile ouo. & ibi dicit (uidebant expresse semina duo commista) & membrana circũtesta. Ad quid igitur natura ita contegeret; si uellet semen illud eijci? Affert etiam rationem talem. Appetit uterus deglutire semen; quare ergo abijceret id, quod appetit? esset enim hoc modo stultus appetitus iste naturalis. Arist. fatetur quidem commisceri primò duo hæc semina; sed ita, ut miscetur artifex cum sua materia. Quòd, si miscetur etiam corpus seminis uirilis; miscetur per accidens; & postea expellitur, & euanescit. Ad rationem autem Galeni; dico, nõ esse mirum; sicut nec, quòd uentriculus meus appetat chylum; & postea saturatus expellat, tanquàm superfluum. hoc enim est naturalissimum. Simili autem ratione uterus appetit semen, quando est cum spiritibus. Sed quando exhalarunt spiritus; eijcit, quia est molestum. Et miror istam rationem Gal. Ad experimentum tamen illud; concedit

concedit Arist. misceri duo semina cum suis corporibus; Sed dicit corpus illud non misceri per se; nisi, ut deferens uirtutem formatiuam, quæ agit; non, quæ coeat in partem materiæ. Sed, quomodo excernitur, si est illa membrana? Eodem modo, quo expelluntur materiæ, purulentæ, & crassæ; in ossibus, & cauitate; pectoris, in quo casu necessarium est pertransire membranam pulmonis. Hæc autem concedit Gal. alibi dicens, naturam inuenire occultas uias expellendi. Hic tamen uidetur immemor sui. Notetis modò, quàm bene consequenter loquatur. unde Arist. cùm fiat talis mistio, sicut diximus; subdit; quòd iste processus ita factus ex semine; puellæ; & uiri, quod est principium actiuum; in se iam habet uirtutem nutritiuam, & est animal in potentia, & ideo incepit trahere nutrimentum ad se. Hæc materia attrahitur; igitur non est pars conceptus, sed alimentum. pars autem conceptus: est materia illa, quæ fuit unita cum principio actiuo. & proportionalis est hic cõceptus grano frumenti; quod, in terram sparsum, latissimè augetur. Frustra igitur Gal. contra Arist. insurgit, & nimis est proteruus. Vndè Auer. cogitur illum aliquando appellare ignarum philosophiæ, & audacem. Themistius etiam. 4. physic. tractatu de tempore; appellat importunum. Rabi Moses, qui alioqui adorat Galen. carpit tamen illum, quia deridet Mosen, quòd dixerit (Dixit, & facta sunt.) & dicit; eum carpere, quæ non intelligit. & hoc satis de tertia quæstione, utrum modò semen mulieris concurrat actiuè, an passiuè; in

actione debile; & è contra semen uirile in actione ualidissimum, in passione autem debile? Debetis scire, mulierem habere duas superfluitates albas. Quarum altera est humiditas illa salualis alba, quæ non est semen ipsum, & assimilatur gonorrhæa in uiris; nec habet spiritus in se, neq; emittitur cum uoluptate, nec concurrit ad conceptum, nec est excrementum utile. Altera uerò est superfluitas alba, quæ est excrementum utile, & dicitur semẽ muliebre: & hæc quidem illa est, quæ concurrit ad generationem passiuè tantùm, secundùm Arist. secundùm autem Gal. & actiuè, & passiuè. Galeni etiam rationum summa in Aristot. est sumpta à similitudine matris in filijs impressa. Dicunt enim; si semen muliebre est materia tantùm; nullo modo poterit reperiri similitudo; cùm quidem materiæ sit recipere tantùm, &, ut sit subiectum solùm. At delineare, & effingere; est ipsius formæ. Quare, si semen muliebre concurrit tantùm passiuè; &, ut materia; nunquàm reperietur similitudo ulla matris in filijs; quod tamen est manifestissimè contra experientiam.

Restabat de quarta quæstione, utrùm semen uiri, & mulieris; concurrant, & actiuè, & passiuè. Hoc est; an semen uiri præstet materiam, mulieris formam. & dicit Gal. utrunq;, & actiuè, & passiuè; concurrere ex opinione Hippo. Arist. autem uult semen uiri tantùm præstare formam, mulieris tantùm materiam. Et, quia hic duo proponuntur, uidelicet, utrùm semen uiri det formam, & mulieris materiam. Ideo distinctè

distinctè procedendum est. Primo igitur de semine mulieris agendo; dicimus quòd (ut dicit Gal.) nisi concurreret actiuè; nulla similitudo inueniretur matris in filijs, quia materia tantùm est subiectum. Ergo ex parte uiri esset omnis delineatio, & figura; & non ex parte mulieris. Consequens tamen est falsum, & contra experientiam. Istud argumentum credit Gal. insolubile. At posset quis dicere; Quomodo aliqua ex parte mulieris fit similitudo, cùm per te sit longè debilior uirtus in semine mulieris, quàm in semine uiri? Hoc non concedit ipse Gal. quia semper à proportione maioris. (& ita semper uiro assimilari deberet) inæqualitatis sequeretur actio. sequeretur ergo hoc inconueniens; quòd actio erit ex proportione minoris inæqualitatis. Consequens est falsum; ergo similitudo erit adhuc ex parte patris. & dicit Galen. quòd licet semen uiri sit ualidius; tamen postea temporis extensione uires suas amittit, aut certè debilitatur; quia in nouem mensium spacio nutritur sanguine mẽstruo, ita; ut, quod non potest fieri in primo illo conceptu; fiat in longitudine temporis. Hoc modo roborat Gal. suum argumentum. Quòd autem semen uiri concurrat cum passione in primo libro, de semine ualdè se iactat in hoc contra Aristotelem, & incipit cum præclaro principio. & dicit, se uelle ex rei natura monstrare; & postea affert experientias multas, quas potestis uidere. Historicè postea arguit rationibus dicendo; Semen uiri, cùm non concurrat passiuè; ubi est factus conceptus; dicit Aristot. quòd

transit in spiritum & extrà difflatur, & ita non ampliùs reperitur in matrice, postquàm dederit uirtutē formatiuam; Et ita, quod non est in semine; non est necessariò in conceptu; nisi, quia defert formatiuam uirtutem. Gal. deridet opinionem Arist. et dicit; Sequitur, quòd in ipsa generatione intumescat primò uterus ex fœtu ualde. Secundò; quòd sequantur colores magni, Tertiò; quòd sequātur multi crepitus. Nil autem horum uidemus. Propterea dicit Gal. fatuum est dicere, quòd fiat hæc flatuositas. Hoc est primum argumentum à natura rei. Secundum argumentum est ex supposito. Assignat Arist. opinionem; uideturq; innuere, se solum legisse quinq; libros De generatione animalium, & se solum intellexisse; cùm affirmet, Arist. opinari, quòd menstruus sanguis sub forma sanguinis, immo sub forma excrementi; & semen uiri faciat miscellam. Et pòst attribuit hoc Arist. quod tamen nunquàm dixit ipse Arist. Postea arguit contra ipsum, & dicit; Tunc iste sanguis menstruus uel erat priùs collectus in utero, uel deuenit huc. Si fuit primùm grumus sanguinis, ex grumo sanguinis, & semine; fit conceptus. Quod tamen est absurdum; quia grumus sanguinis est grumus corruptus. Si exit tunc uenas, et occurrit semini; oportet, ut occurrat ex singulis uenis. Non autem uidemus sanguinem talem in coitu. Et ita uidetur deridere Arist. qui crediderit in conceptu misceri sanguinem menstruum cum semine uirili. Deinde arguit ad hominem, dicens; Hoc quidem tuum est ò Arist. quod natura non deficit in necessarijs,

cessarijs, et non redundat in superfluis. At in ista opinione facis totum oppositum. Quia, cùm sunt generandæ, uenæ, arteriæ, et nerui; oportet, ut generentur ex materia conuenienti. Materia autem conueniens debet esse, alba, et uiscosa; ut possit distendi, perforari, & dilatari. At sanguis non est aptus ad hoc; sed bene semen. Postea dicit uide quantùm Arist. faciat naturam imprudentem. Vult enim naturam cùm habet materiam, idoneam, & præparatā; expellere eam, & quærere aliam non præparatam. Quartò probat contrà Arist. & ponit principium primùm in plantis, actiuis, & passiuis ita; quòd semen tritici habeat in se principium, agendi, & principium naturale. Sed in generatione animalis, quod est nobilius; non uult hoc idem esse. Et certè idem accidit Galeno, quod omnibus, qui opinionem falsam defendere conantur; ut conuitijs potiùs, quàm rationibus; contra Arist. inuehatur. Videmus nos rationes Arist. in contrarium, quinq; libris de generatione animalium. Quàmuis autem non omnes simul collectæ sint; collegimus tamen aliquas. Primum itaq; argumentum, quo persuadetur Arist. in semine uiri esse principium actionis tantùm, & mulieris passionis tantùm; est tale. Materialis, & efficiens; sunt causæ prorsus oppositæ. In altero enim est uis agendi; in altero patiendi. Actio autem, & passio; sunt prorsus oppositæ ita; quòd non possum imaginari, aliqua simul, agere, & pati. Et sic uidemus etiam in partibus corporis oculum habere passionem recipiendi, non autem iudicandi. Quam uim natura posuit

posuit in alio loco. Secunda ratio talis est. Si principium agẽdi esset in semine mulieris, sequeretur, quòd non esset necessarium misceri fœminam cum mare, sed fœmina per se conciperet. Et hoc argumentum uolẽs impugnare Galenus; incipit deridere Empedoclem. At diceret quis (ut etiam dicit Gal.) quòd habet principium agendi, sed imperfectum & inchoatũ. Prætermittamus, quòd nunquàm tentat natura aliquid, quod nõ poßit perficere (natura hoc est inconueniẽs) & deueniamus ad examinationẽ rei. Est principium agẽdi in semine mulieris, sed est debile; ergo in aliqua muliere calidiore erit ualidius. At per te ò Galene oportet, ut priuetur tẽperatura mulieris talis, ut deueniat ad hunc gradum, et poßit hoc sufficienter agere. Nam ex quo potest augeri; poterit etiam ad hanc perfectionem deuenire. Hoc argumentum est admittendum; quia hoc fieri potest. Multa alia argumenta Arist. omitto; causa breuitatis. Verùm, cùm magni uiri adeo inter se dissentiant; quid tenendum? Non est dubium, quin, si examinauerimus unãquamq; opinionem; potior uideatur Arist. opinio; nempe in semine uiri esse principium tantùm actionis, in semine uerò mulieris paßionis tantùm. Fundamenta autem huius opinionis audiuistis. Superest, ut respondeamus, ad rationes Gal. in oppositũ. Quantùm igitur ad primum illud argumentum, quòd semen mulieris cõcurrat etiam actiuè, quia non sequeretur similitudo in filijs; licet ipse profiteatur se solùm intelligere libros illos Arist. seq; solum legisse; hic tamen non intelligit

ipsum.

ipsum. Dicit enim Arist. semẽ mulieris esse semen aliquomodo, et habere principium actionis alicuius, non formalis, sed materialis. Præterea semen muliebre esse principium generationis corporis; uiri autẽ generare animam. Ponit itaq; principium, quod est materiale; esse semen mulieris. Sed nõ intelligit de principio materiali proximo. Exemplo autem id probat ouorum, quæ generantur ex gallina sine gallo; ex quibus tamen nunquàm potest animal generari; nisi concurrat semen galli, Sic & multa animalia faciunt oua sine semine masculi; ueluti pisces fœminæ, quæ oua emittunt in lictoribus maris. Inde pisces masculi transeunt, & suo semine ea irrorant. Admittit igitur Arist. semen mulieris habere principiũ generandi. Hoc sufficiat, ut sciatis, quomodo seruetur similitudo matris in filijs. Quantùm ad secundum Gal. argumentum contra Arist. Gal. uidetur sui esse immemor; & eorum, quæ alibi dixit. Tantùm potest ambitio, & studium contradicendi. Dicit enim dupliciter flatuari aliquid posse; Vel, ut diffletur materia per halitum, nõ conuersa in flatum, sed in tenuißimos spiritus; qui difflantur sine sensu, quoniam materia non est ualdè rebellis, et calor est ualidus. Vel per flatum, quia scilicet materia est, crassa, & debilis calor. Tunc enim inflatur materia, & sequuntur illa accidentia. Ergo possem dicere ea, quæ dicit ipse contra Aristot. contra ipsum Gal. Quare, cùm scias illam duplicem speciem difflationis; arguis tamen contra Aristot. ex una tantùm specie? Quantum ad secundum argumen-

tum

tum pro ſemine uiri, quòd concurrat paßiuè; erat illud, quod falsò ſupponitur ex Ariſt. Nam Ariſt. *uult, mulierem ſemen emittere; non quidem extra uterũ, & ſemen album; neq; ſanguinem menſtruum, ſed formam ſanguinis.* Vultq; *miſceri in conceptu cum ſemine uiri licet det uirtutem formatiuam.* Quantùm ad *tertium argumẽtum, in quo dicit ſanguinẽ menſtruum nõ eſſe materiam* Idoneam *generationi, uenarum, arteriarum, & neruorum; Sed bene ſemẽ eſſe idoneum;* Notetis, *quòd malè intelligit* Ariſt. Gal. *in his libris; qui tamen profitetur, ſe ſolùm intelligere illos libros. in 2. de generatione animalium dicit eſſe concretum ex duabus ſubſtantijs, ex ſubſtantia aquea diſſolubili; & ſpumoſa ſubſtantia.* Et *reddit rationem, quare ſemen, cùm eſt calidum; eſt craßius, tenax, concretum, & uiſcoſum; cùm autem eſt frigidum; tunc diſſoluitur? hoc enim accidit ratione ſpirituum; quòd ubi diffflauerint; tunc non ampliùs eſt uiſcoſum, nec extenſibile; & ideo non eſt materia idonea pro generatione illorum membrorum.* Ideo *merito natura expellit ipſum per difflationẽ ex utero; ubi dederit uirtutẽ formatiuam, & egerit in ſemen muliebre; quia eſt tanquàm pondus, omnino inutile.* Et *ita decipitur Gal. qui credit, ſemen illud eſſe materiam idoneam.* Quantùm *ad quartum argumẽtum de ſemine plantæ, in quo ponit* Ariſt. *(ut dicit Gal.) utrunq; principium, actiuum, & paßiuum; dico quòd in hoc Gal. decipitur.* Dicit *enim* Ariſt. *quòd in ſemine plantarum eſt principium augendi tantùm; & non principium molis, & materiæ, & dat exemplum de ficu.* Dicit *enim; quòd, cùm ſit tantulum ſemen; tamen oritur tam grandis arbor.* Quomodo *igitur tam paruum ſemen poteſt eſſe materia tam grandis molis.* Præterea; *ſi ſeminetis granum, frumenti, aut fabæ; uidebitis ipſum ſemen eſſe ſeparatum à radicibus, & non unitum.* At, *ſi daret materiam; eſſet unitum cum radicibus. Sed non eſt.* Hæc *igitur cum ita ſint; uidetur, quàm fuerit malignus* Gal. *& quàm friuola fuerint eius argumenta cõtra* Ariſt. Et *è contrà; quàm argumenta* Ariſt. *ſint ualida.* Propterea *ſi uolumus ſequi authoritatem hominum; uidebitur ex antiquis nullum; præter,* Hippocr. *&* Gal. *tenuiſſe hanc opinionem; ſed omnes adhæſiſſe opinioni* Ariſt. *tàm* Arabes, *quàm* Græcos. Immo *etiam ex* Neotericis; *quicunq; fuerunt paulo doctiores; tenuerunt opinionem* Ariſt. *reprobata opinione* Gal. Nec *tantùm* Medici, *& philoſophi; approbauerunt ſententiam* Ariſt. *ſed etiam iuriſconſulti, apud quos filius ſequitur patrẽ, & filius ex familia patris ſumit agnominationẽ; et pater cogitur ipſi filio dare alimentum.*

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN Primæ, Doctrinæ, Sextæ.

De Facultatibus. Caput.

VIRTVTVM, & operationũ; inuicem, &c. *Medicus uerſatur circa ſanitatem, tanquàm circa finem ſuum, ita; ut, quando adeſt ſanitas; conſeruetur, &*

& amissa reparetur. Quoniam autem sanitas nihil aliud est, quàm habitus corporis animalis, à quo procedunt bonæ operationes; Ideo, si uolumus scire causas, ex quibus prouenit sanitas; & scire ipsam sanitatem; oportet cognoscere istum habitum corporis, & causas suas, materiales, formales, efficientes, & finales. Habemus pro materialibus primis corpus humanum, cum suis partibus, & de his satis uidimus. similiter de elementis remotis, de humoribus, & temperamentis, quomodo locum haberent inter istas causas materiales. Superest modò; ut disseramus de causis formalibus, uidelicet de ipsa anima. A' qua; cùm sit corporis Physici organici actus; prouenient operationes omnes; & uera est hominis forma. Oportet igitur considerare in ista summa causas formales; & hoc est considerare de anima. Sed, cùm anima possit considerari; uel, ut forma; uel, ut finis; uel, ut principium motionis; quando consideratur, ut forma, uel finis, & perfectio quædam, pertinet ad Dialecticum, non ad Philosophum naturalem, nec ad Medicum. Nam, Medicus & Philosophus naturalis; considerãt, ut est principium motionis; Philosophus tamen naturalis nunquàm discedit à motu, et Medicus considerat omnia per respectum ad sanitatem; quæ etiam ipsa est quidam motus. Aliter tamen Medicus, & aliter Philosophus; considerant animam. Medicus enim non considerat aliquam eius operationem in seipsa; sed, prout refertur ad, sanitatem, & morbum. Philosophus autem considerat, prout est principium motus tantùm.

tantùm. Cùm igitur Medicus consideret animam; & anima habeat facultates quasdam in se, quarum quædam est in genere, & communis; quæ est actus uiuendi, operationes autem faciunt cognoscere, formas, & principium; Ideo ex ipsis operationibus; & per uitam præcipuè, quæ est propria operatio animæ; cognoscetur anima. Cognoscimus autem uitam per oppositum. Oppositum igitur; siue subiectum; deducit nos in cognitionem, uitæ, & operationum. & cognitio, uitæ, & operationum; in cognitiotionem animæ. Nam (ut secundo De anima dicit) nunquàm poterimus cognoscere aliquam facultatem animæ sine cognitione operationum; neqúe operationes, sine cognitione subiecti. Cùm igitur hæc ita se habeant; oportet cognoscere animã per suas motiones. Motiones autem sunt multæ; & cognoscuntur ex obiectis; quæ itidem uaria sunt. Et, ubi est pluralitas; oportet priùs reducere multiplex ad unum principium, quia non potest aliter fieri. Hæc enim fuit opinio Platonis primò in Thimæo, & Philebo; & postea Galeni. 9. De placitis Hippocr. & Plat. confirmata ab Arist. Non destiterunt igitur, neq; Philosophi, neq; Medici; redigere ad aliqua determinata has operationes; & quando cognouerunt hominem, tanquàm paruũ mundum, & uiderunt in magno mundo duo alterationis principia, alterum naturam, alterum animam mundi, Natura est principium eorum quæ fiunt per alterationem in materia, & erant istæ operationes uiliores. Sunt aliæ operationes longè nobiliores; quæ non sunt

ſunt immerſæ materiæ. Eſt primò unum principium operationum, quod appellatur natura illarum ſcilicet, quæ uidentur ſequi materiam, & reſultant ex complexione. Eſt aliud principium, quod appellatur anima; à qua procedunt operationes animales; quæ procedũt ab, intẽtu, et mouente. Et, ſicut illud primum principium non eſt uerè anima, ſed per quandam ſimilitudinem; ita etiam hoc ſecundum non propriè eſt intellectum; ſed per ſimilitudinem quandam. Duo igitur ſunt principia facultatum; Natura, et anima. Facultas etiam naturalis eſt multiplex. Vna, quæ dicitur facultas generatiua; alia, quæ augmentatiua; alia, quæ nutritiua. Cognoſcimus primò uirtutem generatiuã ab ipſis obiectis, quia uidemus quotidie animalia generare, et ita obiectũ deducit nos in cognitionẽ opationis. Quia, ſi generant animalia, eſt aliquid, et aliqua opatio, et hoc indicat aliquid eſſe, quòd facit eſſe uirtutem, quæ facit. Eſt tertio, et illud, quo fit; id eſt calor, & ſpiritus. Hæc enim ſunt inſtrumenta; actio autem eſt primum inſtrumentum facultatis. Secũdùm autem inſtrumentum ſunt, calor, et ſpiritus naturalis, & idem ſunt. Quod uidebitis apud Galen. & Auic. in libris facultatum naturalium; & apud Ariſt. Iſta quatuor commiſceri, ſubiectum, actionem, facultatem, & inſtrumentum. Nos nunc tractabimus de operationibus naturalibus. Hoc autem genus habet tres ſpecies ſub ſe. primo eſt generatio, actio iſta nõ cognoſcitur; quia actio in ſeipſa non cognoſcitur; ſed in ſubiecto, quod demonſtrat actionem: Actio poſtea indicat facultatem

cultatem ipſam. Ita eſt præcisè de facultate augendi. Quoniam non tantùm ſufficit animæ ut generetur (quia in generatione omnia ſunt imbecillia) ſed oportet augere. Ideo eſt altera facultas diſtincta, quia eſt actio diſtincta, & ſubiectum diſtinctum ab his, quæ ſunt in generatione. Virtus igitur augmentatiua diſtinguitur à generatiua per ſuam operationẽ, et ſuum ſubiectum. Ita eſt de nutritiua, quæ uult conſeruare; quod eſt, generatum, & augmentatum. ideo uis nutritiua nunquàm deficit, quia eſt uirtus conſeruatiua. Diſtinguitur itaq; & iſta per obiectum, & operationem. Videbitis igitur quomodo diſtinguantur hæ tres facultates per ſuas operationes diſtinctas. Virtus uerò nutritiua, etiam ſub ſe habet facultates alias, quæ miniſtræ ſunt, et licet habeant idẽ obiectum; tamen uario modo miniſtrant, & uario modo operantur circa, idem. Prima ergo dicitur attractiua. Secunda uerò retentiua; quia uerſatur circa nutrimẽtum per quietem, ut prima per motum. Et ita uidetis, quàm magna ſit differentia inter ipſas. Tertia dicitur alteratiua, ſeu concoctiua. Neq; n. ſufficiebat attrahere, et retinere; niſi eſſet; qd alteraret et cõcoqueret. Ideo una erat hæc uirtus, quæ uerſatur quidẽ circa idem ſubiectũ, ſed alio modo. Quarta dicitur expultrix; quia in omni cõcoctione, et alteratione; neceſſariò ſequitur excremẽtũ. Quia, ſi debet alterari; debet immutari de cõtrario in contrariũ. At in omni nutrimẽto ſunt partes diſſimiles, Quia ſi nõ eſſent diſſimiles; nõ opus fuiſſet alteratione. & ita, cùm ſint excrementa; debent

expelli, & uidetis progressum ab obiectis ad actiones; & ab actionibus ad facultates. His ita dictis; uidebimus distinctè apud Auic. de singulis. Nam ista sunt dicta pro introductione uniuersali. Satisfecimus primo generi, quod erat genus facultatum naturalium. Audiatis modò aliud genus operationum animalium; & hæ distinguuntur ab obiectis. Dicuntur autem animales; quia sunt nobiles. Cũq; non dicantur exire à materia; distinguuntur ab operationibus, & obiectis. Habent autem duplex genus subalternatiuum. Nã quædam mouet secundùm locum, quædam cognoscit. Prima habet ortum suum ab appetitu. Secunda autem quæ dicitur cognoscitiua; habet sub se aliam diuisionem. Nam cognoscitiuæ quædam sunt exteriores, quædam interiores. Exteriores sunt quinq; sensus; qui primò per subiectum, deinde per operationes distinguuntur. Interiores sunt triplices, Imaginatio, intellectus, & memoria. Et distinguo, sicut distinguũt, Aristot. & boni Medici. Nec facio illos quinq; sensus interiores; neq; distinguo inter phantasticam uirtutem, & imaginatiuam; neq; inter cogitatiuam, & discursiuam. Istæ distinguũtur primò ab obiectis; quia aliud est obiectum imaginatiuæ, aliud cogitatiuæ, & aliud memoratiuæ. Nam licet omnes habeant idem obiectum; illud tamen uario modo habent; ut de facultate nutritionis diximus. Distinguuntur primò per obiectum, & per suas operationes, & reliquæ omnes. Diceret quis; Tu posuisti duo tantùm uirtutum interiorum genera. Vbi autem relinquis appetitiuã, quæ tamen

tamen nobilissima uidetur. Notetis ex tertio de anima, quòd ipsa uirtus appetitiua, neq; habet obiectum unum, neq; unam operationem; sed quoddam mistũ. Appetitus enim habet uirtutem imaginatiuam; quando imaginatur aliquid iucundum. Insurgit enim tunc intellectus, qui iudicat; ideo fit sæpiùs pugna. Quia imaginatio tantùm considerat, quod præsens est; & sine discursu. Intellectus autem futura considerat; unde fit pugna (quòd aliter determinet intellectus, quàm imaginatio.) & ex hac pugna fiunt uarij appetitus. Quòd, si uicerit ipse appetitus præsens; erimus tanquàm belluæ; sin intellectus, erimus rationales, et habebimus uoluntatem rectam. & ideo hæc uirtus appetitiua non uidetur esse distincta; sed, uel imaginatio, uel intellectus mistus. neq; enim habet diuersum obiectum. Ideo rectè fecimus duo tantum uirtutum interiorum genera. Sed quæritur aliud; quia Arist. non uidetur cognoscere alias facultates; nisi animales, & naturales; Medici autem cognouerũt aliud genus medium, quod appellant genus uirtutum, & operationum animalium, & uitalium. Quia pulsatiua, neq; uidetur cognoscitiua, neq; motiua secundùm locum. Quia iste motus non fit ab imperio cognitionis, sed merè naturaliter. Præterea habere constantiam, & magnanimitatem, aut pusillanimitatem; uidetur esse à natura, & habere proprias imaginationes & operationes distinctas; ideo fecerunt Medici tertiũ istud genus. Quantùm sit uerum hoc; partim ostendimus, et partim ostẽdemus. Fortè enim reuera Medici rem non

non ita exquiſitè intellexerunt, ut philoſophi. Quia fortè iſtæ operationes ſunt de genere naturali. &, quæ ſunt in corde; habent ſuum principium.

Erat difficultas inter Peripateticos, & Medicos; Vtrùm tertium genus facultatis uitalis ſit diſtinctum à facultate, naturali, & animali. Secundùm nanque Ariſt.nõ datur tale genus facultatis diſtinctum. Nam ſecũdo de anima.13. et per multos alios textus, oſtendit uitam nil aliud eſſe, quam actum ipſum animæ. & iſta facultas uitalis non facit aliquam diſtinctionẽ; ſed eſt quoddam commune. & .2.de Anima.3. & .13.dicit, nutrire, augeri, & alia uitæ munia obire; neq; propterea diſtincta ponenda eſt ab alijs. Et ratio eſt; quoniam uita conſiſtit in calido, & humido. In calido quidem actiuè; in humido autem ſubiectiuè. Et, quia calidum debet habere aliquod principium; Ideo compoſitum eſt, in quo fundatur calor in animalibus; ſicuti in medulla in plantis, quæ proportionalis eſt cordi animalium. Ideo dicit conſequenter Ariſtot. cor eſſe principium uitæ. Gal.tamen uidit genus tertium eſſe contra diſtinctum uirtutibus animalibus, & naturalibus. Sed Galen.aliud intelligebat per uitam, aliud per fontem uitalem. concedebat, uitam omnibus eſſe communem; nec tunc contra diſtinguebat duobus alijs generibus; ſed functionem, & facultatem uitalem aliud eſſe concedebat; eſſe ſcilicet quandã animi potentiam; diſtinctam, primò pulſationem in arterijs, ſecundò quandam conſtantiam, aut ignauiam in rebus gerendis: Quæ duæ facultates non conueniunt, neq; facultatibus

tatibus naturalibus, neq; animalibus. Et primò, quòd pulſtua non faciat ad naturales; patet, quia non ad nutritiuam, attinet, non ad augmentatiuam, non ad generatiuam, quæ ſunt tres partes facultatis naturalis. Neq; attinet ad facultatem animalẽ, non ad motiuam, non ad cognoſcitiuam; nam licet uideatur habere motum; non tamen fit iſte motus ex uoluntate, ſed ex muſculis naturaliter. Non ad motiuam ſecundùm locum attinet; quia non habent cognitionem, alicuius loci. Vndè erit neceſſaria concluſio; quòd uirtus pulſatiua ſit facultas tertia contradiſtincta, & uirtutibus animalibus, et naturalibus. Quòd uerò conſtantia animi & ſuum oppoſitum; ſint alia ab illis duobus generibus patet. Non enim ad naturalem facultatem redigi poſſunt (Quod patet manifeſtè) neq; ad uirtutem animalem; quia nec ad cognoſcitiuam, nec ad motiuam; ſpectat. Ideo uidebatur Gal. quòd daretur iſta facultas uitalis à duabus facultatibus diſtincta (ut mõſtrat nono, De placitis) et uult loco etiam diſtinctam eſſe, et reponi in corde. Iſtæ ſunt rationes, quæ mouerũt Gal.ad ponendum tertium genus contra diſtinctum. Peripatetici uero deridet has rationes; et dicũt Galen.eſſe excellentem Medicum, ſed in philoſophia deridet; et admirantur, quod ita leuiter res uiderit. Nam quatenus attinet ad pulſationem; dicunt, uidimus iſtam pulſationem, & eſt materia, ſed nõ eſt actio alicuius facultatis, ſed eſt actio, conſequens ipſum inſtrumentum, qui eſt calor innatus. Qui, quoniam eſt calidus, ut in corpore perfectorum animalium; Ideo

oportet,ut palpitet; uel, ut moueatur; uel, ut fouea-
tur; uel euentetur; uel refrigeretur; ut uidemus in
igne extrinseco: & ideo oportet, ut ista pulsatio se-
quatur necessariò ex ipso calore innato, qui emanat
à corde,& diffunditur per totũ corpus,& dat actum
uitæ, toti corpori,& calori complexionali;ita; quòd,
si cesset hic calor, cesset & uirtus naturalis, et quæ
uis alia uirtus. Non est igitur actio alicuius facultatis;
sed est palpitatio caloris, ita materialiter agentis,ubi
sit potens. Sed,ubi sit debilis; non fit palpitatio; ideo
calor in animalibus imperfectis, & plantis; non facit
eam palpitationem, quæ sentiatur. & ita quãtùm ad
pulsationem non est, quod ponatur genus tertiũ con-
tradistinctum. Quantùm uerò ad constantiam in re-
bus gerendis; neq; hoc est proprium alicuius facultatis;
immo est in qualibet facultate, & est in omnibus
etiam membris. Vbi enim membra habent bonam tem
periem,& compositionem; tunc actio membri habe-
bit bonam constantiam. & est uerum hoc etiam in fa-
cultate naturali; sicut concedit etiam ipse Gal. multo
igitur magis esse debet in facultate animali; in, cogno
scendo,imaginando,& memorando. Idem est dicen-
dum de uirtute motiua. Fortius enim, & debiliùs;
mouentur animalia; prout habent meliorem tempe-
raturam, & compositionem. Quare non oportet po
nere istam esse actionem distinctam, cùm sit proprie-
tas omnium actionum; & mensura potiùs actionis,
quàm actio. Quantùm igitur ad istas duas actiones;
frustra ponis tertiam facultatem ò Galene; cùm suf-
ficiat

ficiat ponere facultatem naturalem,& animalẽ. Nam
quantùm ad uitam; illa profluit anima; & est com-
munis,& principium omnium actionum. Audiuistis
opinionem Gal.& Aristot. cum fundamentis utriusq;
partis. Vtrùm modò debeatis adhærere Arist.an Gal.
uestrum est. Ego nolo iudicare. Sed, ut eò reuerta-
mur,unde digressi sumus; quantùm ad textum; Auic.
Virtutum,& operationum inuicem. Auicen.
primò uersatur circa uniuersalia, Deinde accedit ad
particularia. & in prima parte dat modum cogno-
scendi,& procedendi. & dicit, uirtus, & operatio
ita se habeat inuicem; ut unum per alterum cogno-
scatur,ut superius diximus. quòd de quatuor istis si-
mul est agendum. Nam non potestis tractare de facul
tatibus; nisi tractetis de actionibus; & non de actio-
nibus; nisi de obiectis. Neq; rursus de obiectis; nisi de
instrumento, per quod fiũt omnes operationes. Scien
dũ est igitur; quòd facultas cognoscitur ex ipsa actio-
ne; & actio ex obiecto. & hæc fuit sententia Arist.
& Gal. 1. de facultatibus. Actio est efficiens ipsius
facultatis, per se,& proximũ. Postea est ipsum cor-
pus,quo efficitur etiam suus effectus; sed secundariò,
& mediante operatione. Verbi gratia; quia in hepa-
te est facultas sanguificandi; hepar habet propriam
actionem sanguificationem. Corpus autem, id est san-
guis, fit ab actione primò, & immediate. Fit autem à
facultate; sed non primò,& per se; sed secundariò,et
mediante ipsa actione id est, sanguinificatione. Dicit
etiam Gal. ibi, quòd ista se habent sicut correlatiua.

Nam, posito uno, ponitur & reliquum; & destructo uno, reliquum destruitur. Ideo alterum per alterum cognoscitur. Habent tamen se per modum, prioris, & posterioris; & propterea non sequitur de modo circulari; Quia est alia diuisio, quando ex actione ostendimus facultatem; & alia, quando ex facultate actionem. Nam, quando actionem ex facultate ostendimus; est demonstratio à priori; Quando autem facultatem ex actione; est demonstro à posteriori. Bene igitur dicit Auic. quòd non sunt facienda de his distincta capita. Virtutũ uerò genera, & operationum. *Vbi præmisit, quomodo essent tractandæ uirtutes; diuidit, & dicit tria secundùm Medicos esse genera; sed non probat, nec dicit, quomodò sint tria. Sed bene dicit secundùm Medicos; quia sciebat, quòd secũdùm philosophos sunt tantùm duo, immo unum tantùm. Sed postea in cerebro apparet facultas animalis. Dicit autẽ huiusmodi Auic. quòd singulis instrumentis sunt singulæ facultates; & ex numero instrumentorum colligitur numerus facultatum. & e contrà ex numero uirtutum colligitur numerus instrumẽtorum; &, quòd, cùm sint tria genera uirtutum; sunt etiam tria instrumenta principalia; et loca, ubi operant. Et bene dicit (secundùm Medicos.) Circa finem capitis dicit, quòd secundùm Medicos sunt tria principia. Secundum uero philosophos; unum tãtùm, quod est cor; quod est una anima, quodq; Arist. ueriùs sentit secundùm sermones demonstratiuos; et, quòd Medicus non debet disputare de his, ut Medicus.*

De

De Virtutibus Naturalibus. Caput.

Vbi modò de uirtutibus in uniuersali egit; facit se cũdum caput de uirtutibus naturalibus, si sunt tria genera uirtutũ. Secundùm Medicos meritò à uirtutibus inciperemus; sunt.n. et priores tẽpore, et notiores, & cõmuniores. Virtutum uerò naturalium aliæ sunt, quæ sunt ministrantes, &c. *Notetis, quòd Auic. utitur diuisione accidentium per hoc quidem ministrare, & non ministrare; nec est uera, et propria diuisio. At nos docuimus, quomodo sumeretur diuisio per Methodum, uidelicet ab effectibus, & obiecto; ut; quòd ex obiecto ostendebatur actio, & ex actione facultas; sicut ex facultatibus anima. Et hæc fuit methodus Arist. in. 2. de anima. Gal. tamen. 1. de facult. naturalibus, tractat hanc methodum, id est à notione finis. & dicit, quòd animalia, cùm non possent perdurare indiuidua; ut maneret species, fuit necessaria generatio. Sed, quia quod generatur; generatur paruum; Ideo, si debet exercere operationes; necessaria est augmentatio; quando, neq; poterat augeri, nisi adesset materia, quæ nutriret. Ideo tertia sequitur facultas animalis naturalis. Nam, si debeat nutriri animal; oportet habere sensum tactus, ut cognoscat cibaria. Sed quoniam animalia perfecta debebant exercere nobiliores operationes; Ideo indiguerunt cognitione, et ideo fuerunt necessarij sensus tactus, & exteriores, & interiores. et hoc uoluit breuiter innuere Auicen. per hanc diuisionem per accidentia, ut diximus. & dicit.* Quædam ministrant tantùm, & non ministrantur.

niſtrantur. *& ſunt quatuor illa, attractiua, retentiua, concoctiua, & expulſiua; quia ſeruiunt nutritioni. Quædam ſunt, quæ miniſtrant tantùm, ut uirtus formatiua. Quædam miniſtrant, et miniſtrantur; ut uirtus nutritiua, quæ miniſtratur illis quatuor, cui miniſtrant illæ quatuor. et miniſtrat augmentatiua generatiuæ. Ex hac diuiſione uult inuenire omnes ſpecies facultatum.* Virtutum uerò naturalium, aliæ ſunt, quæ ſunt miniſtrantes; aliæ ſunt. *Omittit unum membrum in diuiſione; poſtea id explicat. et eſt numerus uidelicet earum, quæ miniſtrant, et miniſtrantur.* Virtus uerò nutritiua eſt illa. *De hac uirtute. 2. de facultat. naturalibus, et. 3. tot, et tanta; egit Gal. ut non opus ſit illa repetere. Dicit Ariſt. 2. de anima; Hoc unum eſt ſciendum, quòd cùm calor continuè reſoluat, et diſſipet; fuit etiam neceſſarium, ut cõtinuè reſtauraretur deperditum per alimentum. Et, quia alimentum in principio eſt diſſimile; ideo neceſſaria fuit alteratio. et, quia alteratio perfecta fit per multa media, et in uno membro fit una tantùm immutatio; ideo modò fuerunt diuerſa media, donec fiat aſſimilatio ipſius nutrimenti ad membrũ, quod nutritur.* Virtus autem creſcitiua, &c. *Hæc eſt uirtus, quæ augetur; non ſecundum materiam, ſed ſecundùm formam. Eſt notandum (ut intelligatis locum Ariſt. 1. de generatione.) quòd fit augmentum ſecundùm Peripateticos formæ, non materiæ. Si enim tantùm ſecundùm naturam, fieret augmentatio; nõ fieret augmentum competens animalibus; ſed hoc fit ſecundùm formam; quia augetur animal cum ſuis lineamentis, quæ ſeruãtur; ſed fiunt maiora, ſicut, ſi eſſet tunc paruus circulus, qui augeretur, ſeruata forma circuli; eſſet augmentatio ſecundùm formam, licet aucta eſſet etiam materia. Ita dicimus de manu hominis, pueri et iuuenis; ſeruata forma augmentatiua. Et hoc eſt, quod dicit Auic. quòd fit augmentatio proportionaliter naturæ. Breuiter hæc diximus; quia non ex profeſſo hoc tractamus. Non deſinit autem augmentatiua, donec duxerit uſq; ad certam magnitudinem; & fiant actiones, robuſtæ, & ualidæ; qui eſt augmentationis finis.*

Nutritiuam verò virtus creſcitiuæ, &c. *Agebatur de uirtute argumentatiua, quæ eſt, uel ſecunda ſpecies, uel ſecũdum genus ſubalternum facultatum naturalium. dicebatur, uirtutem augmentatiuam uerſari circa augmentum formaliter, uidelicet circa materiam, ex qua fit augmentum, formaliter. Hoc loco aſſignat Auic. differentiam inter augmentum, ſeu augmentatiuam, & nutritiuam. Sed, quia circa idem ſubiectum alimenti uerſatur; uidentur, non eſſe diuerſæ. Dicit igitur; quòd, licet uerſentur circa idem ſubiectum; tamen nutritiua uerſatur circa augmentum materialiter, quia nutritiuam nil aliud facit; quàm, quòd reſtaurat materiam deperditam. quoniam enim neceſſe eſt continuè deperdi materiam per continuam reſolutionem ex ualido calore; ideo neceſſe erat inuenire uirtutem quæ reſtauraret deperditam materiam. Nutritiua autem nil addit, nec diminuit; de forma;*

forma; ſed addit tantùm de materia; ſed ſecundùm figuræ qualitatẽ. Et hæc eſt differentia inter augmentatiuã, et nutritiuam. licet enim uerſentur circa idem obiectum, & in hoc uideantur eſſe idem; tamen differunt, quia diuerſo modo circa obiectum occupantur. Ex quo ſequitur primò; quòd nutritiua eſt in ultimo gradu nobilitatis, quia tãtùm reſtaurat materiam deperditam. Augmentatiua uerò etiam auget formam. Vnde uidetur habere aliquid generationis. Differt autem; quia generatio facit de nouo formam; Augmentatiua autem augetur. Vndè media eſt inter generatiuam, et nutritiuam. Vndè perſeuerat uis iſta augendi usq; ad perfectionem animalis. Generatiua deſinit poſt formationem fœtus in utero. Nutritiua antẽ perſeuerat usq; ad interitum; diminuitur tamen in tempore ſenectæ. Et ita uidetis, quòd generatiua, tanquàm Regina; nulli inſeruit; & eſt tantùm miniſtrata. Augmentatiua autem, & nutritiua; inſeruiunt ipſi generatiuæ; & nutritiua inſeruit etiam augmentatiuæ. Quæ autẽ differentia ſit inter impinguationem, & augmentationem; ex his clare apparet. Impinguatio, non accreſcit; ſiue auget; niſi, materiam, & pondus; non ſecundùm formam, ut fit in augmentatiua. undè, qui pingueſcunt; non ſolùm nõ fiunt robuſti; ſed, debiles, & tardi ad motum. Et qui augentur; fiunt robuſtiores ad motum. Non, quia impinguatione non augentur corpora ſecundùm formam ſecundùm omnes dimenſiones, ſed eſt tantũ mollis appoſitio. Apparet ĕt tertiò; quòd, licet adoleſcentes iſti exareſcant

ſeu

ſeu propter ægritudines; tamen adhuc augentur, quia decreſcit materia, ſed non forma. Nã, ſicut impinguatio nõ fit formaliter, ſed materialiter, ita ĕt exarceſcẽtia, ſeu exareſcẽtia. Et tale decrementũ fit materialiter tantùm; & non formaliter. Et uidemus hoc in iuuenibus; quia in ægritudine exareſcãt, et eſarceſcẽtes fiunt lõgiores. Poſtea addit Auic. Licet illud longius exiſtat; & neceſſario exiens magis. *Vos poteſtis hæc uerba applicare ad pinguedinem, & iſte erit ſenſus: licet ipſe impinguatus longiùs recedat; et ſit augmẽtũ à natura, quàm ariditas in pueris; ut deſit, diminutio, & decrementũ. Nã facilius fieri poteſt, ut adoleſcentes decreſcãt ſecundum formã ex ariditate, quàm ſenes ex impinguatione. Si uerò applicetis ad ariditatem; erit ſenſus; licet minùs neceſſarium ſit, ut ex ariditate adoleſcentes nũc decreſcant, quàm, quòd ſenes ex impinguatione augeantur, &c. Et cadit in idem; ſed prior expoſitio uidetur mihi magis ſecundùm uerba. Nam pronomen illud refertur ad id, quod eſt remotius; ſicut hoc ad propinquius. Et hæc eſt regula grammaticorum.* Et nutritiua operatio tribus particularibus operationibus complet ur. *Poſtquàm dedit differentiam inter, nutritiuam, & augmentatiuam; dicit, nutritiuam compleri tribus uirtutibus. Sciendum eſt (ut dicit Gal. ſecundo de facul. naturalibus) nutrimentũ duplex eſſe; quoddam intrinſecum, & quoddam extrinſecum. Extrinſecum eſt materia potiùs nutrimenti; quàm nutritum. Intrinſecum autem eſt triplex; quoddam uerum nutrimentum,*

tum, quando apposita humiditas est, & assimilatur. Quoddam quasi nutrimentum; quod est ipse sanguis. Quoddam futurum nutrimentum, quod est ipse chylus. Ex hoc triplici genere subiecti cognoscetur triplex facultas nutritiua. Quando dicit Auic. Nutritiuum completur tribus uirtutibus; de qua nutritiua intelligitur? Non intellexit de nutritiua, quæ est circa extrinsecum alimentum; nam hæc nutritiua est illa, quæ existit in uentriculo, & ista non completur tribus uirtutibus. Est postea aliud alimentum intrinsecum, & primum, quod est in uentriculo. Quoniam dicitur chylus, qui est obiectum sanguificatiuæ in hepate. & hæc nutritiua non completur nec ipsa tribus uirtutibus. Est deinde sanguis in uenis; qui est obiectum nutritionis membrorum totius corporis, & est uera nutritiua; & de hac uerum est, quòd completur tribus uirtutibus. Quando enim sanguis transit extra uenas, ut nutriat; primò apponitur, & est hæc prima naturæ operatio. Secundò agglutinatur, & unitur. Tertiò alteratur, & assimilatur; ultima alteratione & assimilatione. Et ita, si nutrimentum debeat fieri pars membri; oportet, ut transeat per triplicẽ operationem naturæ. habetis hæc omnia declarata in secundo De facult. naturalibus à Gal. Hic igitur quando Auic. dicit, quòd tres sunt facultates nutritiuæ; non intelligatis de omni nutritiua; sed de ea, quæ est in singulis partibus corporis. In his autem tribus generibus actionum nascuntur tria genera morborum. Nam, si nutrimentum non apponitur, fit morbus, qui

dicitur

dicitur Atrophia, hoc est priuatio alimenti. Nam, si non apponitur; quomodò potest nutriri corpus? Et Medici, quando cognoscunt hanc ægritudinem; faciunt frictiones, & apponunt dropacismos; ut attrahant calorem, & nutrimentum. Sed uitium, quod accidit secundæ operationi, id est agglutinationi; est illa ægritudo, quæ dicitur anasarca. Nam, cùm apponitur quidem sed non agglutinatur; remanet illud nutrimentum inter carnem, & membra solida; quod & ipsum nomen anasarca felicissimè indicat apud Græcos. Secundum uitium, appositum tertiæ operationi, quando non assimilatur; est, quando, uel redundat, uel deficit calor membri. Si enim redundat; fiunt, impetigines, lichenes, morphæa; quæ fiunt ex humoribus adustis nigris. Si ueró deficiant propter debilitatem caloris; fiunt, lichenes, & morphæa albæ; quia humor est, crudus, & albus; & pituitosus. Hæc quidem sunt principia; tamen ars tota fundatur super primis his principijs. Omnia modò sunt facilia usq; ad illam partem. Generatiuæ verò virtuti secunda species. *Expediui iam duas species facultatis naturalis, scilicet augmentatiuam, & nutritiuam; superest igitur nunc tertia, uidelicet generatiua, quæ diuiditur ab Auic. in duas partes. Quædam enim uersatur circa generationem spermatis, uiri, & fœminæ. (Intelligatis autem semen fœminæ, eo modo, quo diximus; non semẽ propriè, & formaliter; sed materialiter.) Quædam uerò, quæ disponit, & agit in generationem, & perficit operationem. Quantùm ad primum; quòd sit*

uirtus

uirtus quædã propria, quæ generet ipsum semen; hæc est propria opinio Auic. Nec enim conceditur à Gal. *neq; ab Arist. Gal. uult quòd unumquodq; membrum, generans humores, generet propter se tantùm, non propter alia; quia non habet cogitatiua, ut propter aliud generet: sed, habent singula uirtutem insitam, ut generent propter se, ad sui nutritionẽ. Vbi uerò sunt abundè nutrita; eijciunt ad alia reliquum, tanquàm excrementum aggrauans. & hoc uoluit etiam Arist. Si hoc est uerum; non potest stare, quod dicit Auicen. quòd sit uirtus distincta, quæ generet semen: nam semen generatur in testibus, & uenis; à uirtute nutritiua, & in membris; ut membra ipso nutriantur;* Non, *ut pareat siue nõ (ut apparet) pro generatione.* Altera est, quæ diuidit virtutes, quæ etiam in spermate. *Virtus generatiua in semine est duplex; quædam, ut generet simplicia; quædam, ut generet composita et (ut dicit Arist. in quarto meteor.) est una uirtus, quæ operatur manifestè ut, calido, humido, frigido, & sicco; & his qualitatibus facit diuersas operõnes, ut uidemus in neruis, qui differunt, et in substantia, et in accidẽtibus; ab alijs mẽbris. Dicit itaq; Arist. quòd hæc membra fiunt manifestissimè à calido, frigido, humido, et sicco. Et hoc est primum opificium uirtutis generatiuæ, ut idem confirmat in secundo De generatione animalium; et etiam Gal. in primo de facul. naturalibus, & secundo. de temp. & hi duo magni uiri conueniunt, quãtùm ad membra composita. Dicunt enim, quòd non uidetur esse eadem causa quæ generat*

rat simplicia membra. Quod quidem exemplo facilè intelligetur. Nam argentum fit, quod est tanquàm similare; ex debita proportione qualitatum quatuor primarum. Sed, quòd ex argento fiat statua; hoc non est opus quatuor primarum qualitatum; sed uidetur uirtutis nobilioris. Hoc idem in secundo De generatione animalium. Idem etiam dicit Gal. in locis præallegatis. Et hanc uirtutem admittit; (Quæ ponit hoc membrum in hoc loco; & illudit seu alludit illi; & facit in hoc membro talem figuram, in alio aliam) et celebrat hanc, tanquàm rem aliquam diuinam, sed fatetur se ignorare, quidnam sit. Arist. similiter celebrat ipsam; sed non dicit, quidnam sit. Relinquitur igitur quæstio magna inter hos magnos uiros, quænam sit hæc uirtus. Nunquàm enim Arist. hoc clare dixit. Sed Conciliator dicit intellectum eam esse uocatam, quæ inuenitur in semine. Quantùm autem decipiatur; apparebit inferiùs. Nunquàm enim Arist. expressè pronunciauit, quidnam hæc uirtus esset; sed dixit tantùm eam esse quoddam proportionale elemẽto stellarum. Quidnam autem sit hoc proportionale; nunquam dixit. In. 7. autem, & 12. Methodi Gal. expressè fatetur, se nescire; & hoc se desiderare à philosophis. Et dicit, se plures philosophos percunctatum de hac uirtute; sed nihil unquàm à quoquàm didicisse. Auic. imaginatus est quendam formarum datorem Colcodeam nomine; uerùm nihil probauit; sed tantùm ad placitum de ea locutus est. Sufficit autem mihi, quòd hi

duo magni uiri, Arist. & Gal. expreßè quidnam ea sit, se ignorare fateantur. Alexander. 2. physic. (ut refert Simpl. qui eius recitat uerba) explicat, quid sit hæc uirtus formatiua. Cui opinioni fauere uidetur Auer. Dicit.n. ipsam uirtutẽ formatiuã nil aliud esse, quàm uirtutem quãdam in semine residentẽ propter cõnexum causarum superiorũ à prima causa consequenter usq; ad ultimam: & eam dicit his esse similem, qui faciunt bagattellas (liceat autem nunc mihi ita loqui.) Hi enim habent instrumentum quoddam; & cordulas, illi connexas, quæ ad motum unius mouentur omnes; & ad motum primæ mouetur secũda, & ita usq; ad ultimam; quæ postea simul motæ faciunt aliud lignum ambulare. Et ita isti iocularij homines conantur immutare naturam, & primum motorem, qui cùm sapientißimus sit, & potentißimus; mouet primam causam, & secundam, sic usq; ad animalia; in quibus est uirtus emanans usq; à prima causa per connexum; & perseuerat, & perseuerabit usqúe ad ultimum. Per huiusmodi itaqúe causarum connexus est uirtus in omnibus animalibus, ut generet sibi simile. Ideo, cùm decidit semen ex homine; quia in semine est uirtus illa diuina, ideo facit tam miranda artificia; non, quòd ibi sint, & Deus, & Colcodea; eo modo, quo intelligit Auic. sed tanquàm diuina quædam uirtus. Nam (ut Poeta inquit.) Iouis omnia plena. Pro declaratione tertiæ uirtutum naturalium speciei; quæ dicitur generatiua; suprà ostendimus,

dimus, Gal. & Arist. hanc uirtutem, quam etiam appellant formatiuã diuisisse in duas species. Prima habet hoc munus; quòd membra effingit similaria; quod facit quatuor primis qualitatibus, quæ propter uariam proportionem caloris cum alijs qualitatibus uariam habent figuram, & complexionem. Secũdum est, ut effingeret membra composita. quod non fit ex actione primarum quatuor qualitatum; sed est nobilioris cuiusdam agentis. & dabat exemplum Arist. de argento, & statua. Membra enim organica omnino fiũt ampliùs à quatuor qualitatibus; sed ab aliquo intellectu, & nobiliori agente. & Aristot. extollens hanc uirtutem; dicit eam non esse, ignem, non calorem; sed quoddam proportionale stellarum elemento. Quodnam aut hoc esset, nunquàm dixit Gal. Et ipse magnificat hanc uirtutem; Sed fatetur se ignorare, quid sit; imo desiderat sibi declarari ab aliquo Philosopho. Alexander autem dicit, in singulis seminibus inueniri, propter connexum perpetuum causarum inferiorum cum superioribus à prima causa usq; ad ultimam. & exemplificabat de illis machinis ligneis circa latorum, quæ quidem ambulant, sed ita; ut, dum ipse mouent quoddam ferrum; quod ferrum mouet aliud, & hoc rursus aliud, donec tandem deueniatur ad ambulationem. quod est mirandum. Sed non uidetur mirandum ei, qui cognoscit cõnexus causarum mouentium. Ita igitur est de uirtute formatiua, quæ est per connexum in semine causæ primæ, & sequentium,

ſequentium, uſq; ad ipſum ſemen. Hæc eſt opinio Alexandri citata à Simplicio ſecundo Phyſicorum. Simplicius, & Gal. contra hanc opinionem arguunt, & dicunt ambo, quòd non uidetur ueriſimile, quòd hoc ꝑſeueret ꝑ tot ſecula ſine ullo errore. Et ego qui dem miror, quare hi mirentur in prima cauſa, id eſt in Deo. Limitant enim hanc uirtutem primi agentis; ſicut limitabatur uirtus circulatoris illius. At uirtus primi agentis eſt immenſa. Ego igitur nõ uideo, quare debeant hoc admirari. Et hæc opinio eſt conſona, ueritati, & philoſophiæ Peripateticæ. Et, ſi hæc non ſit uera; haud facilè inuenietis ueriorem. Neſcio hic modò, quomodo Galenus poterit ſaluare ſententiam ſuam, qui fatetur membra organica non eſſe à primis qualitatibus. Quomodo igitur poterit ſaluare complexionem eſſe formam compoſiti; ex quò fatetur hic cum Ariſt. membra compoſita non per quatuor qualitates effingi, ſed beneficio alicuius agentis nobilioris. Reuera forma ipſius miſti fit ex quatuor qualitatibus; tamen ſciendum eſt; Gal. dicere, quòd, licet temperatura ſit ex primis quatuor qualitatibus; ſunt concentus reſultans ex, graui, & acuto; non eſt tamen, neq; graue, neq; acutum, ſed quoddam tertium delectans; Cùm, neq; grauis uox, neq; acuta; delectet. Ideo argumentum hoc, ſi anima eſſet temperatura, eſſet calida, & frigida; nihil eſt. Non enim ſequitur hoc. Et ita, ſi ſupponatis complexionẽ eſſe quandam formam, ex primis quatuor qualitatibus reſultantem;

tantem; in qua ſit uirtus quædã diuina; Nulla quidem erit in Galeni dictis contradictio, & omnia concordabuntur. Nam membra organica fiunt ex membris ſimilaribus, quæ ſimilaria ex quatuor fiunt qualitatibus. Sat igitur ſit; quòd membrorum organicorum temperatura ſit complexio, reſultans ex quatuor primis qualitatibus; &, quòd generentur à uirtute quadam diuina. Nec credo, quòd alia ratione excuſari poßit Gal. Sed ſatis de hac uirtute formatiua; cùm de ea alias iam tractauerimus.

AVICENNAE LIBRI PRIMI, FEN Primæ, Doctrinæ Sextæ,

De Virtutibus Naturalibus Miniſtrantibus Caput.

AVDIVISTIS *iam de uirtutibus naturalibus; quòd quædam ſunt miniſtratæ tantùm; quædam, & miniſtrantes, & miniſtratæ; quædam miniſtrantes. De primis duobus generibus audiuiſtis. De miniſtrantibus tamen minimè. De eis igitur nunc audiatis. Hæ igitur quatuor ſunt, attractiua, retentiua, concoctiua, & expulſiua. Si enim debeat concoqui; oportet primò ad concoctionis locum attrahi. Cæterùm non ſufficit attrahi; ſed oportet etiam, ut retineat. Deinde, ſi debeat nutrire; oportet, ut cõcoquatur. Cùm autem partes ſint diſsimiles, & totum non poßit immutari*

mutari fiunt excrementa necessariò; quæ, quoniam sunt contraria naturæ; debent expelli; ideo quarta uirtus est necessaria, scilicet expulsiua. Hæ autem uirtutes fiunt per fibras seu per uillos; tanquàm per instrumenta. Villi autem sunt filamenta, quæ uidetis in texturis; quæ filamenta contexunt, ut uidetis in hominibus. Hi autẽ uilli in humano corpore sunt in triplici genere. Primùm enim est illud, quod contexit membra, Sed illæ fibræ non sunt illius generis, cuius aliæ; sed dicuntur fibræ admodùm communiter. Ideo uidetis apud Gal. quandoq; membranas contextas ex fibris, quandoq; non. Vndè uidetur contradictio; ut alibi diximus, & soluimus. Secundo modo dicuntur fibræ proprijßimè dictæ, quæ sunt & ipse filamenta, sed habent usum proprium, uidelicet dandi motum et sensum. & proueniunt ex neruis. Tertio modo dicuntur fibræ, quæ, neq; ita improprie sunt fibræ, sicut illæ mẽbrorum; neq; ita proprie, sicut illæ; quæ dant sensum, & motum. & hæ sunt in membranis pro operationibus naturalibus. Et harum quædam sunt longè ad attrahendum, quædam obliquæ ad retinẽdum, quædam circulares ad expellendum. &, quia tres tantùm uirtutes indigent fibris; ideo tantùm tres fibrarum in uentre sunt species. Concoctio enim ipsa fit per quietem, non per motum. Quando enim opus est expreßione; Circularis illa stringit, sicut marsubium. Et, ita exprimitur materia. Obliquæ ueró, dum constringunturper obliquum; retinent. Longitudinales

attrahunt

attrahunt. Auic. autem loquitur hic de his fibris, tertio modò dictis, idest naturalibus. Notetis modò; quia aliud est retinere, aliud continere. Continere enim est, quando res amplectitur, ita, ut nihil sit uacui inter continens, & contentum. Itaq; ad continendum, oportet, ut sint omnes tres fibræ, sicut est in utero. Sed, quid faciunt hæ fibræ? Contrahunt omnes; & ita, quod erat magnum, fit paruum; per contractionem omnium fibrarum; quoniam illud, quod continetur; est paruum. &, quod continet, magnum. Sed, quando illud, quod continetur; est magnum; et, quod continet; est paruum; fit totum oppositum. Nam dilatatur, quod continet, per productionem omnium fibrarum; ut apparet in uesica. Quod, uel ipsi pueri nouerunt, qui indigebant maxima extensione uesicæ propter urinam. Sic & uterus, quia indigebat ad retinendum; sufficiunt illi obliquæ fibræ. Ad continendum autem necessariæ sunt omnes tres species uillorum. Et hæc satis de uirtutibus naturalibus, cum suis instrumentis operantibus. Digestiua verò est illa, quæ, quod attractiua. Notandum circa digestiuam, seu concoctiuam; quòd eius ponit duas species. Vna est (dicit) quæ in iuuatiuo fit à calore, aßimilante nutrimentum membro nutriẽdo; & hæc proprie dicitur digestio. Est deinde alia in superfluo, seu noxio; quæ proprie dicitur maturatio. Nam, licet quandoq; uideantur synonyma; sunt tamen reuera diuersa. Quoniam hæc maturatio procedit incrassan-

do ſubtile, & attenuando craſſa; quod non fit in con coctione, quæ ſemper procedit incraſſando. Hæc eſt uera opinio Auic. quæ tenetur à recentioribus. Ideo fiunt plurimi errores in praxi; & multa dicuntur ab eis, quæ ſunt contra & Galen. & Ariſt. & rei naturam. Circa rei ueritatem; fundamentum Ariſt. eſt, (quod etiam probauit Gal.) quòd concoctio nil aliud ſit ex meteor. 4. niſi conueniens terminatio humidi cum ſicco. Quia debet uinci humidum, & perfici; à calore naturali. Quando enim calor naturalis uicerit humidum, & bene terminauerit cum ſicco; dicitur concoctio. Bene autem coniungere cum ſicco; eſt; quando ad formam, quæ debet introduci; terminatur. Bene enim coniungi, & non bene; eſt, peruenire, uel non peruenire; ad finem, quæ eſt forma introducenda. Iſta uerò concoctio, uel eſt in aliquo excremento, uel alimento proprio. In aliquo excremento; eſt illud quòd ab Ariſt. maturatio nominatur, quæ eſt in fructibus, qui etiam dicuntur περικάρπια: Περικάρπιον enim propriè eſt illa caro in fructibus, quæ eſt circa ſemen; quod ſemen à Græcis καρπός, & à latinis fructus dicitur; ita, ut περικάρπιον ſit, ueluti excrementum fructus. Neq; enim natura genuit fructum ob pericarpium; ſed ob ſemen in eo contentum. Ideo, cùm κάρπος dicatur ſemen, ex quo aliud poteſt naſci; appellant carnem, quæ adnaſcitur circa ipſum fructum; περικάρπιον. Quæ quandoq; eſt comeſtibilis, ut in ceraſis. Quandoq; non comeſtibilis; ut in

nucibus.

nucibus. Hæc itaq; concoquuntur, quia matureſcũt. Maturatio autem eſt ſpecies concoctionis; ſiquidem competit ei ſua definitio. Dicitur autem maturatio; ad differentiam aliarum coctionum, quæ non fiunt in excremento; ſicut iſta. Eſt igitur iſta in pericarpio propriè. Propter autem nominis defectum, & propter ſimilitudinem (dicebat Ariſtot.) transferimus ad excrementum hoc in corpore humano. Ita, quando in pituita, & in abſceſſibus; fiunt concoctiones in ſuppuratione; dicuntur maturationes; non, quòd propriè ſint maturationes; ſed propter defectum nominis. Dicitur autem concoctio; quia habet & ipſa diffinitionem. Quando enim uincitur illud humidum à calore naturali ita, ut bene coniungatur cum ſicco; dicitur concoctio hæc elixatio, poſtea & aſſatio; Quæ ſunt duæ aliæ ſpecies concoctionis. Quæ enim fiunt in humano corpore; non fiunt in excremento, ſed in alimento; quod quidem, quandoq; fit elixando, quandoq; aſſando. Aſſando quidem; quando fit alimentum oſſium; & corporis, ſicci, & duri. Quando autem debet nutrimentum procedere molle, & humidum; fit concoctio per elixationem. Et ita habetis omnes differentias concoctionis ex mente Ariſtot. Notetis unum, quod eſt contra Auic. Dicit ipſe, quòd omnis, concoctio, & maturatio etiam; fit incraſſando. Vnde dicit, quòd ex flatu, maturato, & incraſſato; fit aer. Ex aere fit aqua. Sic ex ſucco in pomis incraſſato fit maturatio. Neceſſarium eſt enim ita fieri; ſi

uera

uera est definitio, data de concoctione ab Aristotele; uidelicet esse terminationem humidi cum sicco, factam à calore naturali. Ergo oportet; ut fiat crassior. Oportet enim; ut à calore resoluantur partes serosiores; & ita fit incrassatio, & uiscositas ex concoctione, & terminatione; bona humidi cum sicco. Et ita omnis concoctio fit incrassando; siue fit maturatio, siue elixatio, siue assatio. His igitur suppositis; notetis modò, quid dicat Auic. Dicit, digestionem quandam proprie dici, quæ fit in iuuatiuo; per quam conuertitur nutrimentum in substantiam nutriti. Et hæc uera sunt. Postea dicit, quòd est alia digestio, quæ appellatur maturatio; quæ fit in superfluitatibus corporis humani; uel, ut eas cõuertat in substantiã membri; uel, ut eas reddat ad expulsionem paratas. Et hãc dicit fieri modò incrassando, modò attenuando. Hic modò deuiat à rei scopo multipliciter. Cùm enim dicit, quòd hæc fit in supfluitatibus corporis aliquo modo; Tunc quidem uerum dicit; sed non est proprie maturatio. Quando enim est aliquis humor crassus, qui potest conuerti; calor innatus agit in ipsum, uel elixando, uel incrassando. Nam, quod est crudum, et potest conuerti; non dicitur excrementum, nisi fortè ratione quantitatis; quomodò etiã sanguis dicitur excremẽtum. Ideo ad ipsum nõ attinet maturatio. Hoc enim priùs conuertitur in sanguinem. Et ita per elixationem conuertetur; non per maturationem. Quando postea dicit, quòd hæc maturatio fit incrassando, quod est subtile;

est subtile; & tenuando, quod est crassum; hoc totum est falsum, quidem contra, & Gal. & Arist. & naturam. Nunquàm enim natura tentat aliquid attenuare, si sit crassum; neq; incrassare, si sit tenue; sed semper tentat concoctionem, siue maturando, siue elixando, siue assando. Neq; unquàm attenuatur ex se. Sed hoc bene sequitur; ut, si sit quædam pituita, frigida, & crassa; quæ fuerit incrassata propter frigiditatẽ, quæ expreßit humorem, et congelauit quod dissoluit à calido. Cùm sit igitur hæc pituita congelata à frigiditate quare concoquitur adueniente calore? Attenuatur quidem quia dissoluitur à calore. Natura autem non tentat attenuationem, sed cõcoctionem. Quæ cùm fiat à calore; dissoluitur congelatio, & ita fit attenuatio ex accidenti.

Suppositis, quæ supra dicta sunt; uidelicet, quòd nil aliud sit cõcoctio; quàm perfectio, et terminatio; conueniens humidi cum sicco ab innato calore. Suppositis suis speciebus, quæ erant tres; utiq; maturatio; elixatio, & assatio. Supposito etiam, quòd maturatio sit in excremento quodam, & differat ab alijs duabus speciebus in hoc; quia hæ duæ attinent ad alimentũ; quanquàm semp dicitur de naturalibus; sicut & Arist. dicit quòd maturatio in fructibus est in principijs. Supposito etiã ex Aris. quòd p metaphorã excremẽta in corpora animalis dicantur maturari. His (inquàm) suppositis; Quæ quidem, & Arist. sunt, & ubiq; à Gal. comprobata; Dicebamus postea quòd, quãdo sunt aliquæ

quæ superfluitates in corpore humano; si illæ superfluitates talis naturæ sint, ut ex illis possit fieri nutrimentum; Illa utiq; coctio non dicit maturatio, sed est coctio, quæ fit, uel per elixationẽ, uel per assationem. maturatio autem nunquam est, neq; apud Arist. neq; apud Gal. Nam maturatio aliud est; uidelicet actio caloris innati, terminans humidum cum sicco in superfluitate, quatenus superfluitas est. Excellens doctor unus corombonus Eugubiensis; fuit coactus dicere aliam coctionem esse Medicorum, aliam Philosophorum. Et uerum dixisset, si uellemus Auicennam substinere. Itaq; uidetis quantùm referat fundamentũ. Ideo bene notetis, quòd eadem quidem est apud omnes concoctio in rei ueritate. Sed Auic. dedit occasionem aliter sentiendi. Quia maturatio semper fit incrassando. Notetis igitur, quòd natura quidem, & attenuat, & incrassat; sed nondum concoquit; sed dum præparat. Nam primò diuidit cibum in minima, ut faciliùs immutet; sed hinc siue hæc est præparatio. Ideo fatemur crassa à natura incidi. Verùm hæc non est concoctio, sed præparatio. Dicetis; tu dicis ex, Arist. et Gal. concoctionem semper fieri incrassando. Non equidem illorum authoritatem nego, sed dico, in corpore esse cibos crassos, qui concoquuntur, per subtiliationem, nõ per incrassationem. Eorum autem error ideo fuit; quia non nouerant; Gal. in princ. de facul. naturalibus distinguere duas operationes, exuctionem uidelicet, & concoctionem. Nam prius extrahit succum;

Deinde

Deinde concoquit. Et ita concoquitur, et incrassatur. Et hoc est necessarium ex natura rei. Nam, si concoctio est terminatio humidi cum sicco; resoluũtur partes tenuiores; & ita fit incrassatio. Sed dicet quis. Nónne in humano corpore humores incrassantur, & attenuantur; ut, pituita attenuatur, & bilis incrassatur? Nonne hæ sunt concoctiones? Primò, quantùm ad pituitam, quæ uidetur attenuari, quando concoquitur; dicimus, quòd pituita, quando est crassa, et fit subtilis; non fit subtilis propter concoctionẽ per se. Nam, quando crassescit pituita; fit propter congelationem. Ideo; sicut crassa est; ita etiam frigida. Est igitur congelata. Sed modò ex. 4. Meteor. habetis regulam; quòd, quæ sunt coagulata per frigidum, dissoluuntur per calidum. Vndè; si pituita congelatur; concoquitur per calidum; & attenuatur, quia dissoluitur congelatio. Et ita resolutis illis partibus aquosis; reliquum incrassando concoquit. Quando uerò bilis fit crassior seipsa; non fit crassior seipsa, nisi propter, uel maturationem, uel elixationem, uel assationem. Per maturationem; quando est in aliqua suppuratione ita; ut non possit esse nutrimentum. Si enim humidum; debet terminari cum sicco ita; ut non fluitet. Oportet, ut non crassescat. Et ita uidetis saniem, uel pus; quòd sit consistentiæ crassioris. Et ita nõ potest aliqua materia maturari, nisi crassescat. Tenuat quidem præparando; sed non concoquendo. Rursus posset quis dicere; Nonne Medici imitantur naturam? sed nonne

Medici

Medici quotidie utuntur instrumentis, ut attenuent, quod est crassius? Est sanè uerum; sed nil contra nos. ubi enim Medicus uidet pituitam, crassiorem, uel humorem ualdè melancholicum; attenuat incidendo; & sic præparat, ut postea faciliùs concoquatur. Calor enim agit in singulis partibus redactis ad minima. Si uerò fuerit humor melancholicus, qui non est terrestris propter congelationem, sed propter exiccationem; quid nam fit per hanc diuisionem? Fit hoc, quòd natura fortior est in concoquendo materiam ad minima incisam. Et si non potest fieri elixatio, aut assatio; fit saltèm maturatio. Quātùm autem attinet ad crassefactionē humorū tenuium; licet Rasis dixerit humores tenues nō esse crassefaciendos; supponamus tamē & nos, quod Medicus dicitur, uel crassefacere, uel adiuuare naturā. Quoties igitur etiam humor tenuis fuerit, qualis est biliosus; Medicus adiuuat ad maturationem. Fit enim maturatio à calore innato uincente humidum, & terminātè illud cum sicco. Sed ubi est bilis tenuissima; ibi est calor igneus. & à calore igneo non fit maturatio; sed à calore innato. Contemperat igitur Medicus calorem refrigerātibus. Ideoq; uerum est, quòd nullum remedium commodius est ad præparationem bilis; quàm exhibere, frigida; & humida. Quia corroboratur calor innatus cōcoquēs, qui erat igneus. Et hic uidetis; quare dixerit Hippocr. Concocta medicari oportet, licet græcus textus non habeat concocta, sed πεπονα. id est maturata. Ita, ut interpres

pres nomine communi; in translatione, Hippoc. nomine specifico utatur. unde, nè confundantur hæc nomina; bene dicit Auic. Quàmuis maturatio differat à concoctione; tamen quandoq; confunduntur, ut & Galen. quando non uult exquisitè loqui; appellat maturationem concoctionem. Et hactenus quidem de concoctiua uirtute habetis, quæ dicenda erant. Expulsiua est illa, quæ superfluitatem, &c. Circa hanc uirtutem sciendum est, quòd expulsio nil aliud est, nisi motus materiæ de uno, et loco, & membro; ad aliud. Hæc autem expulsio potest fieri tripliciter. Vel enim fit propter materiam expellendam; uel propter motum naturæ; uel propter utrunq; quando utrunq; concurrit. Melius tamen fit à natura tantùm; uel à natura, et materia; simul. Quæ à natura tātùm; est duplex. Vel, quando ipsa uirtus expellens in termino à quo adiuuat, & simul adiuuatur. uirtus alia attractiua quæ est in termino ad quē ita; quòd uirtus expulsiua insurgit ad expellendum, & uirtus attractiua ad attrahēdū. et hæc expulsio est optima, & intenta à natura. & hæc non requirit ut recipiens sit latum multum, neq; uitæ ualdè latæ, neq; situs decliuis. Sed, siue sit supius istud membrum, siue inferius; siue istæ uiæ sint latæ, siue angustæ; fit ista expulsio. Talis est in uentriculo. Postquàm enim ipse fuerit nutritus à chylo; expellit ipsum, & separat. Quem postea hepar attrahit. Et ita sunt duo motus. Et ideo fit facilè hic motus. Et dicitur motus expulsionis, factus à natura absolutè, concurrente

rente duplici uirtute. Alia est expulsio naturæ, quæ fit ab una naturæ actione tantùm, id est uirtute expulsiua & hic motus est item naturalis, sed non ita absolutè. Et in hoc confert, ut sit situs decluis, & uiæ latæ, & membrum recipiens capax. Talis est expulsio excrementi ad intestina. Ideo habent situm decliuem, et uiæ sunt latæ. Talis etiam expulsio est urinæ ad uesicam. Fuit autem in hoc sagacissima natura. Nam cùm uirtute attrahente destitueretur; uidit, opus esse, quia motus erat debilior; cõuenienti situ, & latitudine uiarum, & capacitate membri recipientis. A' materia tãtùm fit expulsio; quãdo nulla uirtus adiuuat. Quando materia propter suam molem non continetur, & non regitur à natura; sponte perfluit ad locum, ad quem magis est decliuis. Et hic locus dicitur à Medicis διαφορητικὸς. *Et est pessimus; nam prædicit mortem; & hinc fiunt sudores* διαφορητικοὶ *in morituris, quia materiæ non rectæ à natura; exeunt, et suprà, & infrà. Vnde etiam uidemus fluere urinã sponte, necnon chylum etiam. Et dicitur* διαφορητικὸς; *quia transfertur, & transmeat sine actione naturæ. Quædam uerò expulsio fit, & à materia; simul; ex una parte materiæ, quæ, uel propter molem, uel propter malam qualitatem; stimulat, & membrum, et naturam. Et, quàmuis hic non esset expellenda, uel, quia cruda, uel propter aliud; natura tamen, licet debilis; insurgit & ipsa, quia grauatur, & expellit. Et iste motus dicitur à Medicis symptomaticus; quia uidetur potius*

potius motus accidentis, quod quidem accidens, non est ordinatum à natura. Nam quæ eueniunt à natura; habent causas determinatas. Est igitur motus symptomaticus; quia non à natura fit, sed per accidens. Et sicut ille, qui fit à natura tantùm merè naturalis, & optimus est; &, qui fit à materia tantùm, est merè præter naturam, & pessimus; ita quidem hic est medius. Videndum est igitur, utrùm natura superet, aut materia; & ita erit cautè prognosticandum. Hinc enim prognosticum sumetur, & insuper modum curandi facilè habebitis, cognita rei natura. Et hæc quantùm ad expulsiuam. Quæ Auicenna hic omnia quidem innuit; sed tamen confusissimè. Sequitur. Quæ ad nutriendum non est conueniens, aut quæ excedunt mensuram. *Notandum, quòd absque hac diuisione nunquam poteritis elicere sensum ex his uerbis. Prædicta autem facilè intelligetis omnia.* Cunque in parte expulsionis fuerit declinatio, &cæt. *Hic notandum unum; quòd, ubi est defluxus ab una parte ad aliam; non facilè sistitur; sed natura conatur materiam ad illum locum, ad quem primò incepit; mittere. (& uidetis ita reuera esse) & omnes aliæ partes insurgunt ad expellendum sua excrementa ad illum locum. Sicut, quando mordetur & unus canis ab alio; teri quidem in eum insurgunt, qui morsus est. et reddit causam huius rei Gal. in secundo de facultatibus na*

turalibus. Quia ita est insitum à natura: ut omne membrum habeat uirtutem expellendi. Ideo expellit, & ipsa ad aliam partem. & fit hic motus; donec tandem uentum fuerit ad partem imbecillam, quæ non poßit expellere. Tunc enim statim, quicquid est in alijs membris superfluum; decurret ad hunc locum. Hinc igitur est; quòd ubi sit aliquis defluxus; non facilè sistitur. Videmus hoc in fluxu diarrhææ, & catarrhi; donec tandem ad illam partem, ad quam fluit; deueniant totius excrementa corporis. Apparet illud idem in ulceribus malignis, quæ ideo difficilè curantur, quia semper decurrunt materiæ ad locum ulceratum. Melancholia quædam naturalis, quædam non naturalis. Naturalis à Gal. proprio nomine appellatur succus melancholicus; & est pars fœculenta, & sedimentum sanguinis siue hypostasis. Non naturalis à calido atra bilis appellatur. Quandoq; tamen hæc nomina confunduntur. Sed, si propriè loqui uelimus; ita appellandi sunt. Succus melancholicus ita appellatur; quia à natura intenditur, & habet causas omnes naturales, quæ diriguntur ad finem intentum, neq; redundant, neq; deficiunt; Quàmuis hi defectus, aut excessus; sint in aliqua latitudine, intra quam consistit gradus naturalis melancholiæ. Causæ igitur sunt efficiens, finis, & materia. Quas postea sequitur, forma, efficiens intrinsecum, siue extrinsecum. Extrinsecum est primò cibus, & potus; aer; exercitium; animi motus. Somnus, & uigilia;

Inanitio

Inanitio, & repletio. Hæ omnes causæ alterantes, si excesserint; acuunt calorem intrinsecum; & ita ignescunt humores. Vnde postea melancholia naturalis non generatur; sed eius loco, adusta, & non naturalis. Si uerò defecerit calor; minui uidetur; & ita, quantum deficit de naturali melancholia, tantum de pituita redundat. Si ergo naturalis melãcholia generari debet; omnes causas alterantes mediocres esse oportet. Quod commune est omnibus humoribus. Efficiens autem intrinsecum maximè proprium, & imediatum; est ipse calor innatus. Qui, si fuerit temperatus; quantùm in se est; generat, melancholiam, & alios humores naturales, quantos, et quales oportet. Longè enim aberrant illi, qui putant sanguinem tantùm generari à calore temperato, reliquos uerò humores ab intemperato. Hi enim non distinguunt; neq; differentias intuentur humorũ, & naturalium, & non naturalium. Omne enim, quod naturale est; causas habet naturales. Calor autem non temperatus, quatenus temperiem excedit, eatenus & naturam excedit, & operationes omnes minores efficit. & quantò magis deteriores; tanto magis à natura recedentes. Et è contrà quantò magis est temperatus; tanto magis naturales efficit operationes. Et ex consequenti magis humores naturales, & fient à calore, magis naturaliter se habente. Talis autem est calor maximè temperatus. Et hoc modo patet, quòd causæ naturales sunt & ipsæ,

ſæ, intrinſecæ, & extrinſecæ. Extrinſecæ; ipſa alimenta. Quæ, ſi melancholiam naturalem generare debent, in quali, & quanto; oportet, ut ipſa ſubſtantia, & qualitate; temperata ſint. Nam, ſi calidiora fuerint; plus, bilis, & humorum aduſtorum; generabunt. Si fi igidiora; pituita generabitur. Craſſioris etiã ſubſtantiæ alimenta plus generant de fæce, quàm generari oporteat; præcipuè, ſi alimẽtum cum craſſitudine, & ſiccitatem, habuerint. ſicut ſunt, legumina, caſeus antiquus, caro bubula, leporina, & ſimilia. Materia intrinſeca eſt ipſe ſanguis, id eſt maſſa ſanguinea quæ etiam ipſa, ſubſtantia, & qualitate; temperata eſſe debẽt. Natura ubi aliquid, uel in qualitate, uel ſubſtantia; exceſſerit, uel defecerit; eadem omnia abſurda ſequentur. Et hactenus de alimentis, & materia extrinſeca; diximus. Hic unum aduertendum, in materia ob humorum generationem neceſſitatem inueniri, quæ appellatur ab Ariſtot. primo de partibus animalium cap. primo. Neceſſitas materiæ, uel neceſſitas ſuppoſitionum. Quæ eadem neceſſitas; ordinatur, refertur, & unitur; cum neceſſitate finis. Quæ neceſſitas finis eſt neceſſitas abſoluta; et non ex ſuppoſitione. Ad quam neceſſitatem omnes actiones, & alterationes; agentes in materia, referuntur & deducuntur. Materia igitur hanc habet neceſſitatem, quæ reducitur ad neceſſitatem finis. Hoc modo neceſſarium erat (exempli gratia) ut ſuccus melancholicus in humano corpore generaretur, propter

pter cauſas, paulopoſt dicendas. Modò, ſi ſuccus melancholicus generari debebat, oportebat inueniri materiam, quæ eſſet conueniens, haberetq; & ipſa propriam neceſſitatem, quæ fini coniungeretur. Ergo fuit extractus à natura ex alimentis ſolidioribus; In quo (ſicut neceſſariò contingit in omnibus ſuccis extractis) quatuor eſſe partes diſſimilares neceſſe eſt. Quarum una leuis eſt, quam florem Gal. Auic. quaſi ſpumam; appellauit. Alia pars eſt aquoſa; Tertia craſſa, & fæculenta; quarta perfecta, & ultimò concocta. Quoniam igitur iſtæ quatuor partes in maſſa ſanguinis erant neceſſariæ ad corporis nutritionem (ſicut optimè probant Hippocr. & Gal. primo de natura humana;) Ideo prudens rerũ cõditor excogitauit materiam talem, in qua neceſſariò quatuor illæ partes inuenirentur. Et hæc neceſſitas fuit materiæ, quam ad finis neceſſitatẽ coniungi diximus. De cauſa materiali iam ſatis. Finalis autem cauſa duplex eſt; altera eſſendi abſolutè, altera bene eſſendi. Neceſſitas abſolutè eſſendi; in generatione ſucci melancholici fuit, quia ex hoc præcipuè ſucco plurimæ partes erant alendæ; ut omnia oſſa, & lien. Bene autem eſſendi neceſſitas; fuit, quoniam & fames indè excitatur, aſcendente portione huius ſucci ad uentriculum. Et, quoniam ſanguis, & ſpiritus, cũ calore naturali; firmantur ab hoc ſucco, et cõtemperãtur; alioqui ſine hoc humore ſpũs eſſent fugaces, & non conſiſtentes (quòd facilè uidemus contingere in

re in his; in quibus plurimum de, sanguine, & bile; reperitur; minimum autem de succo melancholico) tales enim homines, licet ingeniosi sint; sunt tamen leues, & instabiles, & nunquàm in eodem proposito perseuerantes, propter leuitatem spirituum.) Ideo optimè assertum fuit ab Arist. tertio problematum sesto, primo problemate; omnes sapientes fuisse melancholicos. iudicium enim, & prudentia; non in motu, sed in quiete, perficitur. Vnde tertio physic. Aristot. dicit animam, dum quiescit; prudentem fieri. Quies autem, & residentia in spiritibus; soli succo melancholico accepta referri debet. Ex his igitur apparet, quid sit succus melancholicus naturalis habet enim definitio ex recta cognitione causarum. Erit itaq; et humor ille melancholicus ex parte crassiori alimenti factus à calore naturali concoquente cibum in hepate ob plurimos usus, uitæ necessarijs. Ex recta autem cognitione huius diffinitionis, quæ habetur per suas causas; sequitur cognitio omniũ, affectuum, & accidentium; quæ consequuntur essentiam huius humoris. quod quidem est communißimum in omnibus alijs rebus naturalibus, quarum essentiæ, & rationes; noscuntur. In primis igitur color hic niger sequitur ab essentia cognita; est enim terrestris, & crassus; ergo minimum habet de diaphano, & ex consequenti necessario est niger. Si modò meministis eorum, quæ de colorum iam diximus causis; diaphanum esse materiam colorum; neq; oportet

tet ostendere, substantiam crassam esse; cùm ipsum terrestrem esse dixerimus insuper sedimentum sanguinis. Est præterea sapor acerbus, non dulcis, non acidus, ut existimabat Auicen. (per hoc enim distinguitur à bile atra, quæ acida est.) Sed succus melancholicus acerbus, qui sapor ponticus appellatur. Consequitur ratio huius acerbitatis cum diffinitione, sicut & reliqui omnes affectus; & ab essentia, rectè cognita. Si enim succus terrestris est in quo nulla accesserit adustio, sed à calore tantum naturali fuerit separatus à reliquis humoribus tenuioribus; sequitur, quòd habeat saporem acerbum. Vndè sciendum est ex Galen. saporem acerbum, ubi materia terrestris dominatur in misto; generari sine aliqua adustione accidente. Sequitur etiam ex eadem ratione definitionis; hunc succum esse frigidum, & siccum; cò, quia terrestris est; non siccus adustione aliqua. Videtis igitur, quemadmodùm omnes affectus, et accidentia rei naturalis consequuntur, et ostenduntur; ex diffinitione alicuius rei, rectè cognita, cõtra Empiricos, qui opinantur diffinitiones accidentium esse medium in demonstratione; peßimè quidem intelligentes Aristotelem; neqúe saltèm hoc uidentes, quòd ex sua opinione sequatur, in qualibet demonstratione esse petitionem principij. Et hæc satis de melancholico succo naturali. Quæritur modò; Vtrùm atra bilis non naturalis habeat causas oppositas naturali. Et dicimus, quòd sic. Quoniam, sicut

cut res naturalis, habet causas naturales; ita & res non naturalis causas habet, quæ sunt oppositæ naturalibus. Atra ergo bilis fit; uel à materia; uel agente; uel ab utroque, non naturaliter se habente. A materia autem; uel intrinseca, uel extrinseca. Vt cibi calidiores putrescibiles; uel, pessima, aut aliqua mala qualitate; affecta. Ex his enim propter materiæ dispositionem, & à calore temperato generabitur adustio; & iste succus per adustionem factus non naturalis (quam atram bilem appellari diximus) à materia intrinseca. ut, si sanguis, uel crassior, uel calidior fuerit, quàm oporteat. Ex hoc enim sanguine generabitur atra bilis; ut uidimus contingere in corporibus calidis, & siccis; quæ (ut dicit Gal. in secundo Artis paruæ) in tempore paracmasticæ ætatis efficiuntur melancholica. Ab agente nõ naturali fit atra bilis, extrinseco, & intrinseco. Agens extrinsecum est; ut aer calidior. Vnde Aegyptij; et, alij, qui degunt sub tertio climate; & calidioribus regionibus; hoc succo plurimum redundant. uigiliæ, animi molestiæ; necnon ualida exercitia ex eisdem sunt. Agens autem intrinsecum est ipse calor intrinsecus igneus, uel naturaliter, uel ex morbo. Naturaliter, ut sunt temperaturæ, calidæ; & siccæ. Ex morbo, ut propter febres, uel phrenitides, uel aliquas magnas inflammationes intrinsecas. Ex his enim multiplicatur humor adustus. Et ita habetis causas humoris melancholici adusti; quæ quidem & ipsæ sunt naturales,

les, suntq; uel efficiens, uel materia. Vbi ergo efficiẽs uel materia, non se habuerint secundùm naturam, tunc non attingitur finis, intentus à natura. &, si non attingatur finis intentus; à natura; ille effectus non est naturalis. Ex quo sequitur ex mala dispositione naturæ, & imbecillitate agentis, neq; formam, neq; finem; prouenire, quæ tamen à natura intenduntur. Habetis igitur, quid sit atra bilis; est enim humor non naturalis, per adustionem ex, crassa, & adustibili; materia, per calorem adurentem genitus. Ex qua definitione ostenduntur passiones. Nam primò sequitur, hunc humorem substantia esse crassum, quia est adustus. Omnia enim adusta crassescunt. Sequitur etiam; quòd colore sit niger; frigidus, siccus, opacus, & minimum de diaphano habens; sed non absolutè, ut de succo melancholico dictum est; immo plurimas partes habet calidas propter adustionis oppressionem; ut contingit in omni cinere. Item, sequitur eum esse saporis tum acris, tum acidi. Acris, quia partes terreæ sunt adustæ, et attenuatæ ui caloris plurimi, unde acrimonia generatur, ut in pipere, & omnibus aromatibus, in quibus est sapor acris plurimus per adustionem factam in partibus terreis attenuatis. Aciditas uerò inest propter serum, seu aquositatem; huius humoris; quod quidem serum, antea nunquàm separatur ab humore, actu fluido, ut aliàs declarauimus. Quod autem fit in partibus terreis, interim ebullit; & per ebullitionem transpirat calidum. & hæc est causa

causa aciditatis immediata, sicut apparet in uino acescente. Quanto enim uinum, calidius, & potentius est; tanto megis illos suos sapores acquirit, per aciditatem scilicet et acrimoniam. Quoniam in eo tùm maior ebullitio, tum maior adustio; fit. Ex adustione autem acrimoniam; ex ebullitione aute aciditatem; acquirit, ut ex definitione innotescit. Hinc etiã fit; quòd feruet super terram; & abradit partes, quibus adhæret. feruet aũt; quoniã ingreditur meatus existẽtes in superficie terræ, & propter subtilitatem quarundam suarum partium penetrat anfractus, ad quos alij humores crassiores & frigidiores; penetrare nõ possunt. &, cùm subitò, & confertim; penetrat; spiritus inclusus his meatibus reluctatur, & exagitatur, & quærit exitum; & tamen ea agitatione, & reluctatione; sequitur ebullitio; ut uidemus in lebete bulliente; Quia fit illa ebullitio ex spiritu reluctante cum humido. Vnde & plurimæ assurgunt ampullæ. Hæc igitur est causa ebullitionis atræ bilis super terram. Quare autem abradat superficiem, & eleuet tanquàm ramenta, et crustas; ratio est, quia facta ebullitione; & erumpente spiritu feruente; trahit secum humidum, ut dicit Arist. 4. Meteor. Ideo superficiem, quæ alioqui modicum habebat humidum; priuat omni humido; unde continuè abraditur, & separatur. Quod frequenter uidemus in cuti animalis. Vbi.n. propter pustulas, scabies, uel alias similes; exiccata fuerit; cuticulæ eleuantur; & decidunt tanquàm squa-

mæ.

mæ. Et hoc semper fit in morbo, quem uitiliginem appellant, & morphæam, & impetiginem; & in ea, quam Moderni appellant lepram eò, quia pertenues squamulæ in illa decidunt. Erodit autem, quoniam partibus crassis terreis adiunctæ sunt partes attenuatæ, adustæ, acres; & meritò harum partium, subtilium, adustarum, & acrium; fit, penetratio, ebullitio, calefactio, & exiccatio. A' partibus, terreis, crassioribus fit mora in loco; & ratione illorum duorum fit maxima impressio. Vnde necessariò sequitur, erosio, & putrefactio; ut apparet in cancris ulceratis; et ulceribus; quas phagedænas uocant, et elephantiasim. Et hæc satis de utraq; bile; & naturali, & non naturali. Nec plura hic à Montano fuerunt enarrata.

Quicunque autem Montana hæc Commentaria perlegeris; Iano Matthæo Durastanti, Medico, ac Philosopho; Sanctoiustano (Cuius quidem oculatissima censura; iam reuiuiscunt) bene præceris.

FINIS.

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc DE Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss.

Omnes sunt Quaterniones.

Tabula autem per se patet.

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L M N

CC
BO(AU
22A93
SK7Y